4° Gs
663
-1-



Io. M.a Cassini Som.co Inc.

RERUM POMPOSIANARUM HISTORIA

MONUMENTIS ILLUSTRATA


AUCTORE

D. PLACIDO FEDERICIO

MONACHO ET LECTORE CASINATE

TOMUS I.

KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG



ROMAE MDCCLXXXI.

APUD ANTONIUM FULGONIUM

PRAESIDUM FACULTATE.

Visum est mihi non praeterire silentio historiam superioribus intactam quando & viris fortibus fato suo defunctis sempiterna continget gloria, lausque apud posteros & divinorum illorum hominum praesens, ac futura progenies praeponet generosam, & honoratam vitam iucundae, & facili, dum reputat honestissimam occasionem sibi oblatam a maioribus, erectoque animo dat operam, ne ullo pacto ab illis degeneret.

Dionys. Halicarn. antiq. Roman. lib. 1.

BEATISSIMO PATRI
DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
DIVINA PROVIDENTIA
CATHOLICAE ECCLESIAE
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

PLACIDUS FEDERICIUS
MONACHUS CASINENSIS

QUibus quamque arctissimis vinculis & rationibus monasticus ordo vel ab suimet incunabulis sanctae apostolicae sedi devinctus fuerit, nemo est, Beatissime Pater, *qui Te melius, sapientiusque valeat intelligere ; Te inquam, qui quum in ea tamquam in sublimi specula positus assideas tanto cum ecclesiae universae fructu, ac decore, varia Romani Pontifica-*

tus tempora ob oculos Tibi obiiciens, monasticum coetum Tuae principi sedi omni aevo addictissimum, devotissimumque exstitisse, perspectum liquido habes. Res siquidem a monachis gestae pro illius iuribus vindicandis, potissimum autem ab iis, qui e monastici eiusdem coetus latere excisi ad pontificatus maximi solium evecti fuere, mire ostendunt, quantum Petri cathedrae perpetuo adhaeserint monachi, quamque ipsis Romanae ecclesiae splendor, auctoritas, & iura cordi maxime fuerint.

Nihilominus quidnam peragere ad eius amplitudinem, ac dignitatem undecumque sustinendam monasticus unquam ordo potuit, quod non institutum, non leges, non ipsa exigerent officia monachorum, eorumque animus acceptis de beneficiis gratissimus? Id mihi, Pater Beatissime, *fidenter asserere liceat, quidquid a monachis hactenus factum, quidquid deinceps pro sancta Romana sede facendum sit, numquam tot, iisque maximis ab antiquis Pontificibus decessoribus Tuis bene in ordinem monasticum factis, numquam illi singulari patrocinio, quod in Casinatem praesertim Italiae familiam, vel ipso in pontificatus Tui limine palam ostendisti, posse adamussim respondere.*

Non hic profecto beneficia singula, quae & multiplicia sunt, & omnis generis, recensere sinit dignitas ipsa tua, maxime quum ea & in urbe

notissi-

notissima sint, & toto in orbe celebrent omnes, nobis vero Casinatibus obsequii potius, gratiaeque meritae gloria relinquenda sit. Illud vix repetere delectat, quantum Sublacense coenobium, eiusque territorium universum Tibi debeat, cuius quum administrationem iamdiu tanto cum loci illius emolumento gesseris, eam nunc Pontificiae maiestati quodammodo inserere non dedigneris: adeout quemadmodum auctor, ac pater monasterio illi sanctissimus Benedictus fuit, ita post diuturnas tempestates, post multas, gravissimasque vicissitudines novum Te parentem, restitutorem, ac vindicem cum territorii illius, tum monasterii ipsiusmet exhibueris. Illud etiam memoriae sistere gratissimum sit, & Casinatibus singulis periucundum, solatium scilicet Tuum in accepto nuncio caussae ad laetum exitum perductae, quae totam Casinensem congregationem, *ut verbis ipse tuis honoris gratia utar in litteris religioso viro D. Philippo Benedicto de Cordova procuratori generali congregationis Casinensis datis* III. *idus novemb. an.* CIↃIↃCCXXIX., valde sollicitam habebat, *caussae, ut sapientissime ais, per quam non modo in Austriacis Langobardiae regionibus,* sed in ceteris etiam provinciis suus Casinensibus honos stetit cum rei domesticae utilitate coniunctus.

Haec cum ita sint, BEATISSIME PATER, *quae monachorum sunt singula iure & merito ad Te*

refe-

referenda existimaverim, ad Te utique, cuius firmissimo, validoque praesidio nostra omnia adeo foventur, & sustentantur. Quae caussa est, qua non solum motus, sed etiam inpulsus, ubi haec mihi edenda forent, ad augustum Tuum pontificatus solium confugerim; qua Te unum Maecenatem optimum, patronumque munificentissimum exoraverim, quum par mihi visum fuerit, monastici ordinis filium sub tantis auspiciis studium suum omne collocare debere. Licet enim amplissima dignitas, qua nulla in orbe maior, quaque merito in Dei ecclesia fulges, ea sit, quae aliis valeat faciles ad Te aditus intercludere, ea ipsa tamen me, ut securus accedam, trahit & invitat. Quid enim timendum a praeclaro PII VI. nomine, cui indita est humanitas, congenita benignitas, cuique altrix, nutrixque pietas? Et re quidem vera si nuper dedignatus non es benigne excipere, legere imo, & probare quantulascumque meas de sancti Maximi Taurinensis operibus elucubrationes, in spem profecto erigor fore, ut non absimili humanitate haec mea, quae publici iuris facere molitus sum, sub Tuis auspiciis in lucem prodire permittas, sicque mihi stimulos addes, & ad cetera, quae supersunt, facies alacriorem.

Fauste igitur fortunateque factum, ut quum lustri spatio in urbe Ferraria commoratus, ea, inquam, in urbe, cuius, non secus atque provinciae totius curam Tibi omnino cordi esse, & optimorum Legato-

gatorum destinatio , & plurima sanctissime sancita demonstrant , antiquissimi , praestantissimique monasterii ea in provincia constituti diplomaticam historiam describere fuerim aggressus , primum hoc ipsius volumen Tibi uni deberi iure optimo censuerim. Pomposianum hocce monasterium est Tibi , Tuaeque sanctissimae sedi subiectum , ab Tuis quampluries decessoribus visitatum , ditatumque , atque omnigenis privilegiis , & diplomatibus munitum , quod etiam , Guidone Aretino teste , aliquando primum in Italia fuit. Et nunc licet squallidum iaceat , ac fere inglorium , supersunt tamen monumenta eius vetera , quibus uti potuerim ad historiam ipsam contexendam. Optime enim nosti , Beatissime Pater *, notam consuetudinis rationem , ut si quis historias monasteriorum praesertim , & ecclesiarum scribere aggrediatur , necesse sit , si modo sibi haberi fidem velit , ut acta vetera , & membranas authenticas exhibeat , quae monumenta merito , ut cum Ruinartio dicam , probationum titulo ornantur , quum absque illis rerum gestarum fides vacillare videatur .*

Haec itaque , quae Tui iuris absoluti sunt , non iniucunda etiam Tibi fore confido . Quantum enim huiusmodi antiquitatis reliquias , quibus tanta est cum ecclesiae historia connexio , in pretio habeas , & quantum iis oblecteris , nemo non novit . Quinimmo hoc ipsum exigit ille multiplicium studiorum , atque litteratorum hominum singularis

gularis amor, quem ubique praefers, bonarumque artium, ac ſcientiarum, quae ad pontificatus dignitatem, ad publicum bonum mirum quantum valeant, illuſtrandarum Tibi innata ſollicitudo. Agnoverat id profecto Benedictus XIV. optimus, perfectiſſimuſque ingeniorum iudex, qui, Te ſuorum ſocio ſtudiorum in pontificatu electo, Tua doctrina, atque ſupientia delectabatur. Agnoverant, qui ſecuti ſunt Pontifices maximi, Clemens uterque, quique difficillimis in rebus Tua dexteritate uſi, atque conſilio, eas per Te bene ceſſiſſe, ac feliciter compererunt: itaut Patrum purpuratorum ſenatus ampliſſimus poſt alterius Clementis deceſſum in Te eligendo Pontifice maximo, annorum licet aetate florente recenſque ſacra nonniſi purpura ornato, uno ore conſenſerit.

In pontificatu vero vix conſtitutus, ſapientia, conſilio, prudentia, ceteriſque virtutibus certatim Te comitantibus, Pontificem vere maximum, & optimum orbi univerſo Te oſtendendum praebuiſti. Perardua catholicae eccleſiae adminiſtratio, difficiliora hac aetate rerum eccleſiaſticarum tempora, quae tanta moderaris gravitate, ac vigilantia, pontificiae ditionis provinciae plurimae Tuo ſubiectae imperio, ac regimini, ditiſſimae bibliothecae, quam comparaſti, copia, Clementinum muſeum, quod Te praecipuum fautorem agnoſcit, publica permulta opera,

Vati-

Vaticani praesertim templi cimeliarchii; Pontinaeque paludis exsiccandae; opus omnium maximum, quod excogitare, sive etiam aliquando tentare antiqui potuere, perficiendum tamen prospero eventu Tibi reservatum est; opus etiam, quod magnitudine sua pontificiam Tuam maiestatem iure meritoque traxit, ac, ut ita dicam, impulit, quo, dum haec ipsa ad Te scribo, ad paludem ipse accederes, multaque perquam opportuna provideres; opus denique potentissimis, & opulentissimis Imperatoribus dignum, quo Tui pontificatus gloriosissima tempora futuris erunt aetatibus, serisque nepotibus omnium ore praedicanda; haec, inquam omnia, aliaque haud pauca, quibus & urbs & provinciae plurimum ornantur, quibus etiam ab indigentiis tot sublevantur miseri, multaque praepediuntur facinora, quae populorum otium, egestatemque summo cum reipublicae detrimento fere sequuntur, quid quaeso, clamant, nisi animi Tui magnitudinem, mentem generosam, ac praeclarissimum ingenium, denique ad publica commoda omnino conversum?

Non mirum igitur, si Te urbs Roma universa quanta quanta est adeo veneretur, & colat. Nobilem illum maximum, atque publicum plausum, imo triumphum Tibi ad mentem revoca, Beatissime Pater; ne me Tibi palpari ullo modo suspiceris; triumphum illum multiplicem, quum Tibi pristinae reddito valetudini haud multis ab hinc

menſibus e Vaticano palatio, ſicut Tuus eſt mos, ad Quirinalem montem aeſtivo tempore revertenti urbs ipſa tota praebuit, quemque a Romano olim populo ovantibus Imperatoribus datum ſuperaſſe potius, quam aequaſſe iudicatum eſt.

En Tibi, Pater Beatissime, conſilii mei rationes, en obſequii, atque obſervantiae meae cauſſae, quam etiam publico aliquo teſtimonio peroptaverim comprobare. Quod ſi gratum hoc tantae maieſtati accidiſſe munus perſenſero, & opus, & ingenium in hac re bene mihi videbuntur impenſa.

Tu vero, Beatissime Pater, Petri annos primus in pontificatu oh utinam ſuperes, & exigas ad Dei gloriam peraugendam, ad eccleſiae ſanctae decus, ad monaſtici etiam ordinis fulcimentum, ad populorum denique ubique terrarum fructum, & gaudium! Hoc in voto conſiſto; quod divino nutu ratum fieri ex animo venerabundus deprecor, & expoſco. Quod reliquum eſt mihi, ad pedum ſanctiſſimorum oſculum devotiſſime procumbenti apoſtolicam impertire benedictionem in perenne Tuae pietatis, clementiae, ac beneficentiae pignus.

Ex ſacro archicoenobio montis Caſini idib. aprilis MDCCLXXXI.

PRAEFATIO

I. NEMO fortaſſe unus eſt in re litteraria tam hoſpes, qui praegrandia neſciat, eaque varia, & quaſi multiformia, quae a tabulariorum excuſſo tandem pulvere emergunt commoda, atque emolumenta, dum ſemel e tinearum dentibus, quibus epulae ſunt, membranae bono omine divulſae pluribus inventis, factis, aut hiſtoriis ſive ſtabiliendis, ſive corrigendis, illuſtrandiſve aptae vel maximae ſint, atque accommodatae. Hinc enim Romani ipſi annales, faſti conſulares, ac ſacri, antiquus coloniarum, municipiorum, praefecturarum ſtatus, maxime vero medii, quod vocant, aevi monimenta varia ad regiminis tunc temporis formam pertinentia, ad iuriſprudentiam cum publicam, tum privatam, ad chronologiam, geographiam, genealogiam, ad civilem denique, eccleſiaſticam, & litterariam hiſtoriam; hinc Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumque principum hominum diplomata, ſigilla, monogrammata, emblemata, inſcriptiones, actorum formulae, aliaque id genus plurima promuntur, quibus omnigenam inſtrui eruditionem, ac maximopere illuſtrari, quiſquis rerum harum non omnino rudis facile noverit.

II. Hoc ſane adnotatum olim ab immortali viro, & ſcientia, ac dignitate eminenti Angelo Maria Quirinio, qui monaſticae Italiae hiſtoriae conſcribendae manum, quam deinde e tabulis ſubmovit, appoſiturus, de archivorum, quae potiſſimum monaſteria exornant, chartis *diſſertatione* ſua loquens ita effatur (*a*): *Ex illis nimirum Romanorum Pontificum, & Imperatorum involuta medii aevi chronologia accuratius explicabitur, dynaſtarum, qui per ea tempora Italiae provincias gubernarunt, incerta adhuc genealogia, & ſeries figetur,*

(*a*) Pag. 47.

tur, *nobiliorum apud nos familiarum antiquitas comprobabitur*, *Longobardici regiminis forma innotescet*, *geographica id aetatis Italiae descriptio dignoscetur*, *barbari imperii iurisprudentia illustrabitur*, *ecclesiasticae obscuris illis temporibus politiae status apparebit*. Et post pauca: *Denique*, *ut uno verbo dicam*, *mediorum temporum eruditio obscura adhuc & caeca*, *ut effossum e terra aurum*, *perfractis monasticorum tabulariorum repagulis*, *in hominum conspectum*, *utilitatemque prodibit*.

III. Verum nil profecto est, quod ex versandis diu, pervolvendisque archivorum monasticorum membranis utilius, copiosiusque hauriatur, quam monastica ipsamet historia, quae illustrata, quum praecipua ea sit ecclesiasticae pars, fax vel huius conspicua erit. Hinc tot curae, tantaeque sollicitudines eruditorum hominum in annalibus contexendis monasticis, & ecclesiarum historiis, monumentisque colligendis. Lubinius, Ughellius, Margarinius, Cavaccius, Manriqueius, Puccinellius, Lauretius, Angelus de Nuce, aliique permulti saeculi XVII. luculenti sunt rei, quam asserimus testes. Nihilominus si summam merentur laudem litteratissimi viri, qui laboribus suis attrita suscitantes, redigentesque in codicem documenta commodo aeque nostrum, atque opportunitati inservierunt, deest tamen iis, eorum potius saeculi culpa, quam sua, castigatior ad veri trutinam critici iudicii usus, quo nihilominus uno historica omnis inniti debet veritas. Quapropter factum est, ut consequenti aevi scriptores hac in re scrupulosiores, cautioresque exstiterint, diligentique scilicet criterio Benedictinos annales summa cum laude conscripserit Mabillonius, historiam Padolironensem Bacchinius, Gotvicensem Besselius, Caveosam Tantius, Casinensem Gattula, Lenensem Lucchius, & Zacharia, Affarosius coenobii sui Regiensis, Mittarellius cum Costadonio Camaldulenses annales, Gallettius Florentinae abbatiae originem, alii alia.

IV. Nihilotamen secius monasteria plura reliqua sunt in Italia, quo-

quorum adhuc desiderantur historiae; quod aliquando eorum dolens conditionem, & casum observavit Bacchinius (*a*): quae etsi monastici instituti incunabula fuerint, in ceteras subinde Europae partes longe lateque propagati, pleraque autem insignia quoque, & nobilissima, ita tamen historiarum defectu minus illustria nonnulla sint, & obscura, ut eorum vix nomen superfuerit. Qua tamen in re ad notam labefactandam, & querulam vocem quorumdam, qui Italorum incuriam, ut ipsi vocant, atque socordiam onerarunt (*b*), meminisse velimus, plurium monasteriorum historias manuscriptis voluminibus contentas multis in tabulariis delitescere, in quibus compilandis plurimum elaborarunt non desides, nec avito splendore neglecto, homines docti. Rei testes oculati nosmet simus, qui in pervetusto Cavensi tabulario Cavensem historiam a Pacio digestam vidimus, in Sublacensi Sublacensem a Mirtio, in Severiniano Neapolis coenobii illius historiam a Laudatio, ut ceteras sileam, quae in monasticis arcis cum carie, & blattis conflictantur persaepe, eas potissimum, quas in sua Casinati bibliotheca recenset philoponus Armellinius; quae quidem si tandem in lucem prodeant, haud ita profecto ieiuna historiis erunt Italica coenobia.

V. Iam vero inter celebriora certe in Italia fuit Pomposianum monasterium sic ab insula dictum, quae *Pomposiae* nomen olim sortita haud longe a Comaclensi territorio ad Volanae Padum hactenus servat. Celebratissimum sane antiquitate, opibus, magnificentia, iurisdictione illud fuit, in quo *multi viri degerunt sanctitate ac doctrina praediti*, ut verbis utar Puccinelli (*c*), cuius etiam dominium ad totam Pomposiae insulam, ad castra plura, & oppida, ad monasteria, & ecclesias longe lateque patebat: quod tamen nunc squallidum fere iacet, & temporum iniuria inglorium, ut cum Mabillonio dicam (*d*), eius-

(*a*) Istor. di s. Benedetto di Mantova *in praefat.*

(*b*) Quirin. differt. laud. pag. 3.

(*c*) Chron. monasterii s. Petri in Glassiate pag. 138.

(*d*) Act. sanctor. ord. s. Bened. tom. VIII. pag. 447.

eiusque titulus Ferrarienſi coenobio ſancti Benedicti longas poſt tempeſtates acceſſit.

VI. Igitur temporibus maxime, quibus monaſtica res afflicta undique videtur, nobis ad celebritatem laudum domeſticarum, ad illuſtrandam nobilitatem Pompoſiae, ad fere deperditam gloriam, quantum in nobis eſt, revocandam, reparandamque monaſterii, quod in monaſtica hiſtoria in tanti honoris loco eſt poſitum, quae ſuperſunt monumenta ipſius vetuſta colligere mens fuit & animus. Quod enim primum Benedicti Bacchinii, quo viro litterarum reſpublica triumphat, quod Frederici Narantii, & Placidi Formigerii Abbatis aliquando ſancti Benedicti Ferrariae, quod Hieronymi Arcarii, & Mauri Squarzonii, qui nunc omni cum probitatis laude coenobio praeeſt, privatis, non tamen perfectis plane (quod hiſce in rebus perſaepe contingit) curis coeptum fuerat, quod, inquam, ita a maioribus animo deſtinatum, atque praeclare inchoatum, in id tandem deductum eſt, ut ſummo volente Numine, nos tantam provinciam capeſſentes hiſtoriam, ſeu annales Pompoſianos numeris ſuis abſolvere poſſe non deſperaverimus.

VII. Nihil ſane eſt ad rem conficiendam & aptius & perfectius, quod non attingere tentaverimus. Bibliothecae luſtratae, archivorum adyta penetrata, membranae nocturna verſatae manu, verſatae diurna, litterati ſaepe conſulti, verbo propriis diffiſi viribus ſingula fere cum ſapientioribus communicata, a quibus tum liberaliter acceptos, tum, quum de iis, quae ad propoſitum hocce noſtrum pertinere videbantur, curioſius iuxta, & impenſius ageremus, plurimum adiutos fuiſſe, lubentiſſime fatemur. Nec defuere etiam domeſtici adiutores, quorum in hac ſparta praecipuus ſit conſors, & ſocius laboris Conſtantinus Bongiovannius, qui aetate florens & ingenio manum ſedulam in eruendis e ſcriniis, in deſcribendis, perpendendiſque chartis antiquis egregie adhibuit. Vota, plauſus, ſtimuli acceſſere Ferrarienſium doctorum civium, & gentium exterarum, litteratorum hominum, & omnium ordinum conſenſus, ita ut quod timide,

de, ut ita dicam, & fere pedetentim coeptum fuerat, alacrius persequi, & audacter perficere opus, fuerit veluti necessarium.

VIII. Ut igitur consilium operis explanemus, illud principio nobis proposuimus, chorographicas descriptiones insulae Pomposianae anteponere, quae variam illorum locorum faciem variis pro temporibus exhibeant, datis aereis tabulis, quae aetatis antiquae, medii aevi, recentisque temporis repraesentent effigiem: qua in re nobis adfuit opera in primis Caroli Baruffaldii Ferrariensis, ac Centensis civis, solertis ingenii, publici geometrae. Quum enim ea sit historiae cuiuscumque conditio quod eruditum latet neminem, ut si geographiae lumine careat, non secus atque chronologiae, tamquam corporis animantis oculis, caeca ea sit, & quoquoversus procedat circumfusa tenebris, haud erit fortasse, qui nos vel leviter sugillet, quum Pomposianarum rerum historiam digerere aggressi fuerimus, veluti rei initium, & caput qualemcumque loci chorographicam descriptionem tentasse: hoc enim pacto fiet profecto, ut loci eiusdem natura, ac facie perspecta, ad rerum gestarum narrationem, quae inde magis etiam magisque fiunt omnino clariores, lubentius accedat lector, atque facilius.

IX. Hinc obscuriorem originem nobis perscrutantibus Pomposiani monasterii certa ab incertis secernere fuit curae, quum ea sit prima historiae lex (quod aliquando admonuit Cicero (*a*),) ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. Pomposiae tandem percurrentes historiam antiquis usi fuimus monumentis, quorum pleraque, & praecipua nobis suppeditavit sancti Benedicti Ferrariensis monasterii tabularium, in quo summa diligentia, ac fide diplomata servantur, & monumenta cetera Pomposiana, quae veluti hereditario iure ad coenobium ipsum, ceu sospitalia tecta, devenere, quaeque profecto sic avide nos arripuimus, quasi diuturnam sitim explere cupientes.

x. Sane

(*a*) Lib. 2. de oratore.

x. Sane nil est in urbe Ferrarienfi antiquius Pompofiano hocce tabulario, cuius chartas erudito, exactoque catalogo Bacchinius recenfuit ad faeculum xiv. usque, cuius rei meminit etiam Apoftolus Zenus ad Fontaninium fcribens (*a*), temporum confequentium Formigerius, & Arcarius, nobis hoc pacto fegete paratiori relicta. Ex illo autem Margarinius, Muratorius, Fontaninius laudatus, & alii documenta haufere in publicam lucem, atque aetate noftra Mittarellius, & Coftadonius, qui annalium fuorum volumine primo (*b*) de eo ita fcripfere: *Monafterii fancti Benedicti Ferrariae tabularium incredibili diligentia Abbatis Benedicti Bacchinii difpofitum, quod licuit nobis fumma animi humanitate doctiffimi praefentis Abbatis Francifci Mariae Riccii percurrere* &c. Illud tamen obvenit (quod nobis, ut modeftiffimi funt homines iuxta ac fapientiffimi, dum elapfis annis iterum ad nos rediere, fponte fateri non dubitarunt), ut quum primum brevi admodum tempore apud fancti Benedicti fuerint commorati, tabularii potius confifi catalogis, quam autographa ipfa confulentes, indicum menda, quae

(*a*) Haec Zenus ad Fontaninium fcribebat anno 1699. 12. feptembris: *Ho avuto dal Bacchini l'indice Pompofiano, che di quà a qualche tempo vi manderò, refcrivendolo ora per inferirlo nella mia raccolta delle cofe d'Italia*. Videfis *raccolta di lettere di Giusto Fontanini ftampata da Domenico Fontanini l'anno* 1762. *in Venezia alla pag.* 25. Id autem notandum, quae de indice Pompofiano Zenus enarrat haud forte referenda ad manufcriptum ingens volumen, quod in Pompofiano archivo eft; neque enim facile fuerat, illud refcribere, ac in Zeniana collectione inferere: eo etiam vel magis quod Bacchinius non ante annum 1720. laborem indicis arripuit, perfecitque. Quae ergo laudata in epiftola Zenus indicare videtur de Pompofiano, quem a Bacchinio receperat, indice, minorem alium catalogum refpicit, neque a Bacchinio ipfo confectum, fed eo antiquiorem, illum fortaffe ipfum, quem in mifcellaneis noftris adfervamus, quique non multa occupat folia. Haec magis elucefcent ex Bacchiniana vita, quae fub praelo eft typographiae Salvatorianae Ticinenfis una cum eius operibus.

(*b*) Annal. Camaldul. tom. 1. pag. 208.

quae fortaſſe interdum non tam auctorum ſunt veteris ſcripturae peritiſſimorum, quam negligentium veritatis librariorum, ſua, & publica fecerint ſuis in Camaldulenſibus Annalibus, potiſſimum ubi Abbatum Pompoſianorum fuerit texenda, atque diſponenda chronologia.

XI. Ornatiſſimum igitur promptuarium fuit nobis tabularium illud diplomatum, & omnis generis monumentorum, quibus codicem diplomaticum Pompoſianum anno auſpicatum vulgaris aerae DCCCCXXXII. (ſi tamen de membranis ex eo depromptis ſit ſermo; incipit enim revera ab anno DCCCLXXIV. ope chartarum, quas edidere Baluzius, & Muratorius) ad poſtrema Pompoſiae fata perductum, in ordinem temporum redigere licuit, quaſi materia ad conſtructionem congeſta, antequam ad conſcribendam hiſtoriam acceſſerimus: quo factum eſt, ut, quum nobis volumina manuſcripta chartarum huiuſmodi prae oculis eſſent, licet a copioſa aliquando deterreremur rerum farragine, nihilominus ſtatim copia ipſa nos erigeret, & animaret. Quapropter a nemine nos notatum iri confidimus, ſi trium fere annorum ſpatium in chartis colligendis, examinandiſque conſumpſerimus: qui enim tuto portum attingere poſſe nos, niſi inſtrumento huiuſmodì comparato, ſperandum foret? Quod qui difficultate, & mole vel ſua perpenderit, illud ſollicitis calamis adornatum fuiſſe non poterit non confiteri. Viderint interea, ſi qui huiuſmodi laborem improbum noſtrum traducere auſint, quam iniurii una ſint in maiores noſtros, qui non infrequenter ſane de adornanda hiſtoria, digerendiſque annalibus parum admodum cogitantes, potius, ac utilius monaſteriis, eccleſiiſque negotium, quod laudibus effert Maffeius (*a*), ſe confecturos rati ſunt, ſi veteres exſcriberent chartas, quibus actorum codices, barbare regeſta, vulgo chartularia compilarunt, ne illa hiſtoriae futura nepotibus monumenta miſere deperirent; quod iam a ſaecu-

(*a*) *Molti monumenti furon conſervati da un' utiliſſima diligenza, che in non pochi archivj fu pratticata, di traſcrivere gli atti più conſiderabili, e comporne un codice, che ſi chiamò regeſto, o cartolario, o regiſtro.* Haec Maffeius *Storia diplomatica* §. XV. pag. *96*.

a ſaeculo x. ſi Cointio ſit fides, vel potius IX. ut Mabillonius iudicat (*a*), Folquinus Bertinianus monachus, deinde vero Iohannes Caſaurienſis, Farfenſis regeſti auctor alter a chronographo, Cencius Camerarius, Petrus Diaconus, & Bernardus Abbas, Caſinenſes ambo, praeſtitere; quos alii ſubinde magno agmine ſecuti ſunt, quorum labores archiva ornant, ditantque non modo, ſed plurimae utilitatis ſunt, & ſummo habentur in pretio; quos etiam noſtris temporibus imitati ſunt Dacherius, Marteneius, Durandius, Mabillonius, Schannatius, Beſſelius, Filibienius, Pezius, Dummontius, Luninghius, Ludvvighius, Leibnitius, Muratorius, Mittarellius, & quotquot laudabiliter in antiquitatibus verſandis huiuſmodi operam ſuam poſuerunt.

XII. Ubi autem primum ad id operis & nos manum contulimus, cogitaveramus, codicem noſtrum diplomaticum ab hiſtoria ipſa dividere, diſtinctiſque voluminibus edere: verum obſiſtere conſilia eruditorum, obſtitere Mabillonii, Mittarellii, & aliorum exempla, illud demum obſtitit, quod in animum venit, commodum legentium. Qua de re ad volumina ſingula appendicis loco veterum chartarum codex accedet, quaſi mantiſſa, quas ſaepe nos ex difficillimis deſcripſimus, ſciſſis, conſumptiſque membranis; & ita quidem ut nobis religio omnis fuerit ipſas omittere notariorum ſtribiligines, & ſphalmata, quibus Langobardica maxime abundant tempora, ac monimenta: inter quas nihilominus offucias, & nebulas ingenua neſcio quam, & pudica veritas eminet.

XIII. Infelicem Latini idiomatis ſtatum barbaris, quae vocant, ſaeculis ſapientiores iam multo ante monuerunt, & paſſim conqueſti ſunt, illud in manus ſoloeciſmis undique, & barbariſmis ſcatentes veniſſe. Et re quidem vera tantam, & tam frequentem in chartas illorum temporum tum ſyntaxeos, tum vocum confuſionem induxere notarii, ut caliginoſum, & ferme inacceſſum contractuum ſtilum aliquando repererimus, nec facile

(*a*) In proemio annal. Benedict.

cile adeo fuerit nobis contrahentium mentem divinare. De qua rusticitate, atque barbarie loquens quammaxime eruditus Camillus Peregrinius ait (*a*): *Nec priscos tabelliones tantam alere valuisse incuriam negabunt, quibus non dicam ruditas morum, & imperitia linguae Latinae (etsi munus illud excultioribus viris, & etiam clericis demandari consuevit), sed crassa, & incauta simplicitas est bene cognita*. Quae dicta voluerimus ad vellicandas delicatulas quorumdam molestiorum auriculas, qui sermonis errores, anachronismos, ceteraque id genus vitia fastidientes, vel chartas pro falsis traducentes respuunt, vel eas neglectas, despectasque putredini consignant, & alto pulveri.

XIV. Triplex barbariei istius caussa visa Mabillonio est: *Prima ruditas saeculi*, ait (*b*), *& imperitia notariorum, secunda usus communis, seu formulae; tertia notariorum affectatio*. Deinde multis rem confirmans exemplis subdit (*c*): *Non ergo propter barbarismos, aut soloecismos suspecta debent esse prisca instrumenta; immo vitia haec ex ipsis antiquitatis fontibus procedere censenda sunt, nisi aliunde comperta sit falsitas*. Adde notariorum cacographiam, quae hominum inscitiae, eorumque amanuensium, & imperitae saeculorum ruditati adamussim respondebat, quibus de Latina lingua sarta tecta servanda, & orthographice scribenda nemo certabat. Hinc Carolus magnus, qui, ut ea ferebant tempora, graece, & latine doctus, nec sacris minus, quam profanis disciplinis imbutus, teste Ingolismensi monacho (*d*), anno DCCCV. capitulari suo (*e*) necessarium duxerat notarios admonere, & scribas, *quod vitiose non scribant*. At eventu caruit, quod provide statutum fuerat. *Certo enim scimus, actuariis, notariis, & tabellionibus publicis Latini sermonis imperitis barbariem istam*

(*a*) In serie Abbatum Casinen. apud Murator. *Scriptor. rer. Italic.* Tom. v. pag. 206.

(*b*) *De re diplomatica* lib. II. c. I.

(*c*) Ibid. num. 5.

(*d*) Apud Duchesnium Tom. II. pag. 101.

(*e*) Apud Baluzium.

istam in primis esse adscribendam, ut Fontaninius scribit (*a*): *Quis porro non animadvertit latinitatis interitum in legibus Gothicis, Langobardicis, Salicis, & Principum Galliae prioris stemmatis, in quibus desunt grammaticae regulae, & verba exotica, atque hodie ignota densantur, vel quia religio, & barbarica iurisprudentia tunc secus loqui vetabat, vel quod scriptores, ubi Latina vocabula ad sua exprimenda non suppetebant, e vernaculo idiomate latine inflexo ea depromerent, fractis ceteroquin in ipsa sermonis sylloge grammaticorum repagulis, ut adnotavit vir multiplicis, & diffusae eruditionis Carolus Cangius* (*b*). Quibus erudite animadversis, ad rem nostram addit: *Sane veteres chartae, ut sequior aetas ferebat, soloecismis obsitae simplicem, & minime fucatam veritatem spirant, adeoque etiam propter hos naevos sunt venerabiles*. Quare Baronius satis numquam laudatus scriptor admonebat (*c*), in describendis chartis vetustis summo cum scrupulo menda omnigena, & singula, quae in iis occurrunt, esse referenda, eo quia *sciendi curiositas*, ait, *quaeque aspera condiens suavia reddit*. Optimo ergo, aut fallimur, consilio & nos cautissimi pro viribus, oculique acie fuimus, dum autographa e membranis eruenda fuerunt, quae in codicem nostrum, sive appendicem transtulimus; itaut, si quid haud intelligere potuerimus, lacunis maluerimus abundare, quam exleges addere, vel detrahere aliquid, aut medicam chartae manum admovere, sed inopportunam, & incertam.

xv. In contexenda autem Pomposiana historia amplam occasionem nacti nonnulla, quae ad diplomaticam rem pertinent, adnotare sategimus cum Mabillonio, aliisque, nedum quod Pontificum bullas spectat, ac Imperatorum, Regum, & Principum hominum diplomata, sed etiam quod privatas inter personas initos contractus, quorum in examine aliquando egressionibus indul-

(*a*) *Vindic. veter. diplomat.* cap. 9. & 10.

(*b*) *Glossar. med. Latinit.* in praefat. num. 27.

(*c*) *Annal. ecclesiast.* ad an. 1019. num. 5.

indultum voluimus, & excurfibus, non ita tamen ut fcienter, currente rota, dum urceum facere cogitamus, amphoram interdum finxerit manus: fed fingula illuftrare penfum in primis fuit, licet non invito fateamur animo, nos nec reperiffe cuncta, quae dilucidanda forent, nec cuncta potuiffe, quae reperimus. Quapropter monogrammata, figilla, initiales formulae, invocationes, tituli, epochae, mulctae, ftilus, vitia ipfa chartarum haud neglecta: contractuum formae multiplices, cautiones, poenae, placita, fententiae, leges, donationes, fervitutes, iuramenta, iudicia, prima etiam Italicae linguae incunabula obfervata: Epifcoporum, Ecclefiarum, Ducum, Comitum, Iudicum, aliorumque Dynaftarum, notariorum, teftium, locorum nomina animadverfa; aliaque permulta, quae longum effet fingula recenfere, quaeque prodeffe quidem, & ubertim poffunt, ut aiebat Leibnitius *(a)*, ad politicas artes, ad hiftoriam, ad eruditionem reliquam. Ii enim nos fumus, quibus maximo in pretio funt tabulae, etiam quae tenuiores videri poffunt, neque multi faciendae; eae namque, fi cetera defiderentur, chronologicae faltem rei illuftrandae perfaepe aptiffimae funt, & quammaxime opportunae. Perpetuum meminerimus, quod arridebat Quirinio de monafticis tabulariis loquenti: *Adfunt in tabulariis noftris*, inquit (*b*), *quam plurimae chartulae*, *in quibus nihil monaftici eft*, *quod eruamus*, *nifi Abbatum*, *aut aliorum praepofitorum nuda nomina*; *eae tamen fi curiofis oculis introfpiciantur*, *conferantur*, *vertanturque in omnem partem*, *& veluti torqueantur*, *incredibile eft*, *quantus inde faepiffime exquifitae eruditionis fuccus exprimatur*.

XVI. Eo vero lubentius in hanc defcendimus partem, quod nos doluimus faepe, & condolefcimus, annales nullos, nullum chronicon, kalendarium, necrologium, liturgiam Pompofiani monafterii ufquam exfcriptam fuiffe, aut certe (quod verofimilius

(*a*) *Codic. iuris gent. diplomat.* in praefat.

(*b*) Differtat. fuperius laudata pag. 46.

ſimilius eſt) ad nos perveniſſe ; quibus facem praeferentibus diſciplinam , ritus , chronologiam , facta accuratius non interrupta ſerie adnotare potuerimus : ſed opus membranis unis , veluti Pompoſiae reliquiis , perficiendum fuit , ex quibus qualemcumque quidem temporum habemus ordinem , minime vero rerum geſtarum hiſtoriam . Quum autem aliquid ad propoſitum noſtrum vel e Vaticana bibliotheca potiſſimum , vel ex Ateſtia expiſcari ſperaverimus , fato invido carbonem , ut aiunt , pro theſauro invenimus : nam Alexandro Albanio viro eminentiſſimo , ſanctae Romanae eccleſiae bibliothecario , ac Pompoſiano Praepoſito fautore , tum benefica amicorum opera alterius bibliothecae manuſcriptis codicibus verſatis , alterius autem ex Hieronymi Tiraboſchii Praefecti eruditione illuſtris ſingulari humanitate quum noſmet perſcrutati fuerimus , vacuas iſtiuſmodi antiquitatibus auguſtas bibliothecas comperimus . Vaticanum nihilominus ſecretum tabularium praeſto fuit , ex quo monumenta perquam pretioſa hauſit pro Pompoſiana hiſtoria , atque ad nos urbane miſit amiciſſimus nobis Caietanus Marinius tabularii eiuſdem Praefectus . Praeſto fuere etiam exempla chartarum plurium ad monaſterium ſancti Andreae de Buſco in Ceneteſi dioeceſi ſitum , & olim Pompoſiano ſubiectum pertinentium , quas ſuis ex autographis nitide , exquiſiteque deſcriptas a Ludovico Lucchio monaſterii illius aliquando Abbate eius hiſtoriae adornandae animo , ipſe nobis e Brixienſi urbe , in qua longaevam ducit vitam , communicavit .

XVII. Porro quum communi in monaſteriis pene ſingulis uſu , ſaeculo praeſertim XI. & conſequenti , hiſtorici eſſent ſcriptores aſſignati , quod hic meminiſſe ſufficiat , quorum lucubrationes partim noſtra feliciter tempora attigere ab Ughellio editae , Muratorio , aliiſque , itaut quicquid per ea tempora nobis obvenit eruditionis , & ſcientiae monachorum , ad quos tamquam ad aſylum litterae confugerant , laborem peperiſſe , aut ſaltem coenobitica armaria ab interitu vindicaſſe , eruditi iudicarint ; quumque ſcriptores etiam ſuos nec paucos , nec indiligentes ha-

habuisse Pomposianum monasterium, quod viris doctissimis floruit, & bibliotheca in Italia aliquando prima, vero satis similiter affirmare possimus, cur nihil huiusmodi, quaeso, ad nos pervenit? Non hic voluerimus maiorum diligentiam sugillatam (quod qui asserunt, procul esse iubemus), sed gravissimas potius temporum calamitates accusandas esse censemus, rerumque varios casus, quibus tot fuisse monumenta absumpta, quae non modo ad Pomposiam, sed ad alia etiam permulta monasteria, & ecclesias pertinerent, non opus est, ut demonstremus, dum ad historiam ipsam properamus: satisque sit de Pomposiano coenobio firmatum ex iis, quae in Agnelliani pontificalis continuatione leguntur; de Gebehardo enim Ravennate Archiepiscopo agens anonymus auctor (a), *multum*, ait, *ampliavit monasterium Pomposianum*, *ut habetur in chronicis suis*, quae propterea exstasse illius tempore dubitare non licet, potissimum quum, facta ab Raynaldo Maria Atestio perpetuo, uti vocant, commendatario, atque administratore coenobii ipsius traditione bonorum anno MCCCCLXII. monasterio eidem Pomposiano libros, & bibliothecam prae ceteris monachis assignatam voluit.

XVIII. Historiam tandem nostram in libros dividimus, prementes vestigia Mabillonii, ac Mittarellii, qui nobis magistri fuere, & archetypi: eamque non Italo, quod coeperamus. sed Latino conscribimus idiomate adducti rationibus, quae mutandum suaserunt consilium, elocutione vero non splendida, & conquisita, sed simplici, ac historica, non ita tamen inculta, quantum confidimus, ut barbara redoleat saecula. Saepe etiam dicta firmare satius nobis visum est aliorum verbis, quam propriis, ut illis vim potiorem conciliaremus, vel ut si qua ex his displicuerint, paratior sit venia; non enim erunt referenda ad culpae titulum, de quibus testificatio adhibetur auctorum: quod si aliquando lectoribus nosmet inviti displicuerimus, saltem studio placere non omnino desperamus. Ea

(a) Apud Murator. *rer. Italic. scriptor.* Tom. II. pag. 207.

Ea enim, ut verbo mentem noſtram aperiamus, inita a nobis eſt ratio in conquirendis, illuſtrandiſque Pompoſianis monumentis, ut non monaſtica tantum Pompoſiana familia, ſed litteraria omnis reſpublica, in primis vero eccleſiaſtica, labore noſtro quantulocumque fruatur.

NOS D. DOMINICUS FAVILLA
A NEAPOLI
CONGREGATIONIS BENEDICTINO - CASINENSIS
PRAESES

Ac Abbas ſacri, & regalis archicoenobii Montis Caſini, eiuſque dioeceſis, ac inſignis Abbatiae s. Vincentii ad Vulturnum, & iuriſdictionis Ordinarius, & primus regni Neapolitani Baro.

ADmodum R. P. Prior, & in Univerſitate Ferrarienſi Profeſſor D. Maurus Soldi, & P. D. Iohannes Baptiſta Gualengo Congregationis noſtrae Lectores examini ſubmittant opus = *Rerum Pompoſianarum hiſtoria monumentis illuſtrata, auctore P. D. Placido Federici Monacho, & Lectore Caſinate Tom. I. ms.*, & in ſcriptis ad nos referant.

Datum in ſacro Caſinenſi noſtrae reſidentiae coenobio VI. nonas octobris anni CIↃIↃCCLXXVIII.

D. DOMINICUS ABBAS, ET PRAESES CONGREG.

D. Claudius Benedictus Treviſan
Pro-Cancellarius.

L. ✝ Sigilli.

Reg. fol. 353. a terg.

PRimum operis inſcripti: *Rerum Pompoſianarum hiſtoria &c.* volumen a Placido Federicio Monacho, & Lectore emerito elucubratum non modo laetus, & lubens naviter expendendum ſuſcepi, ut tuis (archicoenobii Caſinatis Abbas ſpectatiſſime, & totius quoque congregationis noſtrae Praeſes omnis laudis, & doctrinae genere praeſtantiſſime) imperiis religioſe ſervirem; ſed eo etiam alacrius datum mihi hoc negotium perficere curavi, ut iamdiu praeconceptam animo ſolidae doctrinae auctoris, & ſeverae eruditionis eiuſdem, omnium ore celebratae opinionem mihi ipſi confirmarem. Voto res ceſſit omnino. Nam praeterquamquod in praedicto volumine perlegendo nihil umquam menti occurrit, catholicae fidei ſanctitatem, integritatem morum, ſacraque Principum iura vel leviter laedens; plura plane comperi, mea quidem ſententia, liberali commendatione digniſſima. Inter quae ſilentio praeterire non poſſum elegantem quamdam, hiſtorici propriam, nitidi ſermonis ſimplicitatem, peritiam in chorographicis tabulis deſcribendis, in ordinandis temporum rationibus diligentiam, fidem in factis referendis, in comprobandis ſententiis acre iudicium, prudentiam in exponendis graviſſimis eruditorum hominum diſſidiis, in interpretandis diplomatibus facilitatem, & accuratum denique ordinem mirae perſpicuitati coniunctum ubique ſervatum. Hocce meum eſt quantulumcumque iudicium, quod ſi tibi, Abbas, & Praeſes ornatiſſime, pro tua fuerit humanitate probatum, nihil profecto erit, quominus cenſeas in publicam litterarii orbis lucem opus omni induſtria elaboratum, & perpolitum quatocyus eſſe proferendum. Multum quippe laudis auctoris celebritati pariet, & plurimum Caſinatis congregationis nomini addet ſplendoris. Erit namque optimarum diſciplinarum, bonarumque artium amatoribus indubiae fidei monumentum, ſtrenuos hoc quoque tempore non deeſſe Monachos, qui publicae conſulentes utilitati iucundiora, & cognitionum ubertate feraciſſima ſtudia hac maxime aetate

iure

iure optimo in deliciis habita impense, ac solerter colant, maiorum suorum vestigia secuti, a quibus eadem, sin minus prima exordia, feliciora certe incrementa, & splendidiorem amplitudinem accepisse, dubitare nemo potest.

Ferrariae ex aedibus s. Benedicti idibus decemb. an. MDCCLXXVIII.

Maurus Soldius Prior Casinensis, & Professor in publica Universitate Logices, & Metaphysices.

UT tuis mandatis obsequerer, Reverendissime Pater sacri Casinensis coenobii Abbas vigilantissime, ac totius congregationis nostrae Praeses amplissime, accurate perlegi primum operis volumen, cuius est titulus: *Rerum Pomposianarum historia &c.* a Placido Federicio Monacho, & Lectore emerito sollerter, atque ingeniose elucubratum; in quo nihil sane offendi, quod sanam, orthodoxamque doctrinam, morum puritatem, ac firma Principum iura vel leviter laedat: immo omnia ibidem perspicue, apposite, graviterque ita discussa, omnigenaque eruditione referta conspexi, ut enixe miratus sim illustre auctoris ingenium, solidamque eruditionem, & doctrinam. Quapropter opus tam elegans, eruditum, omniumque disciplinarum genere refertissimum quam brevi excudendum non solum summa cum laude auctoris, & permagno Casinatis congregationis nitore, sed etiam totius litterariae reipublicae bono oppido duco.

Datum in coenobio s. Iohannis Evangelistae Parmae VI. kalendas ianuarias MDCCLXXVIII.

Iohannes Baptista Gualengus sacrae dogmaticae Theologiae Lector.

NOS D. DOMINICUS FAVILLA
A NEAPOLI
TOTIUS CONGREGATIONIS BENEDICTINO-CASINENSIS
PRAESES

Ac Abbas ſacri, & regalis archicoenobii Montis Caſini, eiuſque dioeceſis, ac inſignis Abbatiae s. Vincentii ad Vulturnum, & iuriſdictionis Ordinarius, & primus regni Neapolitani Baro.

CUM duo congregationis noſtrae Theologi, quibus a nobis commiſſum fuit, attente perlegerint opus = *Rerum Pompoſianarum hiſtoria monumentis illuſtrata* a D. Placido Federicio congregationis noſtrae Monacho, & Lectore Tom. I. nihilque in eo offenderint, quod catholicae fidei ſanctitatem, integritatem morum, & ſacra Principum iura vel leviter laedat, immo plura invenerint liberali commendatione digna; ideo auctoritate, qua fungimur, lubenti animo facultatem tenore praeſentium elargimur, ut typis evulgetur, ſi tamen iis, ad quos ſpectat, etiam videbitur. In quorum fidem praeſentes manu noſtra firmatas, ac congregationis noſtrae ſigillo munitas dedimus in praedicto noſtrae reſidentiae coenobio decimo ſexto kalendas februarii anni CIϽIϽCCLXXIX.

D. DOMINICUS ABBAS, ET PRAESES CONGREG.

D. Claudius Benedictus Treviſan
Pro-Cancellarius.

Loc. ✝ Sigilli.

Reg. fol. 357.

ADPRO-

ADPROBATIONES.

Viri eruditissimi Placidi Federicii Genuensis monachi, & archivistae sacri coenobii Casinensis, cuius religiosam vitam, ac indefessum in rebus diplomaticis studium maxime ego semper feci, vidi & consulto, & diligenter librum, cui titulus: *Rerum Pomposianarum historia &c.*, idque mandante Rmo P. Magistro sac. palatii apostolici, nihilque profecto inter legendum obcurrit, quod prelo, typisque non perquam dignum existimarem. Contra inviolabilis sanctae nostrae religionis dogmata, aut castigatioris moralis praecepta nullibi peccat, illudque sibi egregius asceta proposuit tantum, ut maiorum nostrorum vestigiis insistens, otio minime indulgeret, tempusque tereret quo praeclara celebris adeo monasterii monumenta ex tenebris, ac squalore vetustatis excitaret, compluraque reipublicae litterariae ad discutiendas obscuriorum saeculorum caligines utilia, & opportuna daret, quod de eo in tanta monasticae historiae luce desiderabatur, ipseque primus omnium iudicio acri, & adcurato feliciter praestitit.

Ex aedibus s. Callisti die XVIII. augusti anno MDCCLXXXI.

P. A. Galletti Episcopus Cyrenensis.

MEdii aevi historiae, & epochae praestantiores, silentibus scriptoribus, & extincto fere litterarum cultu, non aliunde peti possunt, quam a diplomatum, & monumentorum, quae in tabulariis adservantur, publicatione, & examine. Quare insigni huic litteraturae parti, rationique recte consultum nemo non videt, si monasticorum coenobiorum, quorum sequioribus saeculis exstitit origo, & amplitudo, historiae conscribendae provincia suscipiatur: siquidem in generalis historiae bonum, & illustrationem peculiares huiusmodi historias cedere perspicuum est. His accedit, per eas in memoriam revocari primorum religiosarum familiarum conditorum sanctimoniam, instituta, & exempla, & ceterorum alumnorum, quos primus pietatis ardor informavit, virtutes, consuetudines, & studia, quae nonnisi utiliter ingerantur. Singula haec commoda, & emolumenta abunde emanare posse animadvertimus ex Pomposiani coenobii in agro Comaclensi historia, quam magno eruditionis apparatu, criticesque praesidio conscribendam iuxta sincerorum, ac praecipue anecdotorum monumentorum fidem aggressus est vir cl. Placidus Federicius Monachus Casinensis. Id certe nos facile deprehendimus ex ipsa I. voluminis lectione, quam pro censoris munere, nobis a Reverendissimo Patre Pio Thoma Schiara sacri palatii apostolici Magistro commisso, sedulo peregimus, ut proinde tantae utilitatis bono excitati, nulloque absurditatis vitio, quo fidei, vel morum castitas laedatur, offensi tuto id in publicam lucem emitti posse censeamus.

Datum ex aedibus sac. Congreg. de Propaganda Fide XXVIII. augusti MDCCLXXXI.

Stephanus Borgia
sac. Congreg. de Propag. Fide a secretis.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci Epiſc. Montiſalti Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PROSPECTUS EORUM
QUAE IN HOC PRIMO TOMO
CONTINENTUR.

Liber primus. Pag. 1
Diatriba I. *De antiquo Pomposiane insulae, locorumque circumiacentium statu.* 3
Diatriba II. *De Pomposianae insulae, locorumque adiacentium statu medio aevo.* 45
Diatriba III. *De recenti Pomposianae insulae statu.* 76
Liber secundus. 84
Liber tertius. 143
Liber quartus. 209
Liber quintus. 274
Liber sextus. 326
Codex diplomaticus Pomposianus. 397

RERUM POMPOSIANARUM HISTORIA

LIBER PRIMUS.

I. FA maris Adriatici parte, qua algoſa urbs inſidet in ſtagnis Comaclum dicta, ad continentem ſeptemtrionem verſus Inſula ſita eſt, cui nomen *Pompoſia*, ab urbe eadem tribus ac decem circiter millia paſſuum diſſita. De origine vocis nil eſt, quod exploratum, nil quod coniectura affirmari a nobis poſſit, ſive ipſius nominis etymon inveſtigare, ſive tempus, quo illud primum obtinuit, aſſignare velimus. Ne igitur eruditi homines exſpectent, ut in perquirendis plurimis de re admodum incerta vagi deerremus fruſtra, & falſa, dubiave tamquam vera, & certa venditemus: ea enim potius nobis mens eſt, & animus, quae neſcimus, conſulto, & quam lubentiſſime praeterire. Liquido vix illud dicendum videtur, vocem eammet *Pompoſiae* Latinae videri omnino originis, atque ſignificationis, & non ante aedificatam forte in Inſula ipſa eccleſiam Aſſumptae ad caelos Virgini dicatam adhiberi incoeptam. Certo autem conſtat, id nominis primum anno omnino DCCCLXXIV. in Iohannis VIII. Romani Pontificis litteris ad Ludovicum

Pium Auguftum datis (*a*) occurrere. Verum eo iam faeculo loci vocabulum non folum, fed monafterium etiam ipfum conftitutum ibidem celebratiffimum erat, fpectatiffimum, atque divulgatum.

II. His igitur inanibus tamquam, & inutilibus omiffis, ad ipfam loci naturam exquirendam, pofitumque accedentes, illud principio animadvertere licet, Pompofianam Infulam, de qua omnis noftra eft quaeftio, in eorum effe locorum numero, quae mari, fluminibus, vallibus undique, paludibufque circumdata multiplicem in dies faciem tum maris regreffu, fluviorumque varia fuis, novifque in alveis circumitione, tum quod concavae compleantur valles, limofaeque ficcentur paludes, immutare cogantur. Mirum enim eft, quantum re quidem vera recens Infulae illius ab antiqua longe alia fit facies. Nobis profecto propofitum eft, locum ipfum tamquam feparatum a ceteris picturae fimilitudine delineare; qua tamen in re vix tantum noftra de ingenii tenuitate confidimus, quum manum admoventes operi, intricatiffimam illam, atque infinitis obfitam difficultatibus intellexerimus. Verum ne e portu ipfo folventes naufragorum inftar omne pertimefcere videremur fretum, diu, multumque cogitantes, confulentefque, quorfum tandem curfum magna in rerum altiffimarum, quafi fluctuum, concitatione verteremus, in eam fuimus deiecti fententiam, ut tria veluti Infulae Pompofianae tempora diftinguentes, tribus chorographicis Tabulis rem totam conficeremus; quarum prima eam complecteretur partem, quam hifce de locis antiqui memoriae prodidere Geographi, Polybius, Strabo, Plinius, alii, ubi nobis latum aperuimus campum varia Padi fluminis oftia percurrendi; altera vero, quae ad medii aevi, uti vocari ea affolent, faecula fpectaret, quorum non pauca e Pompofiano Tabulario a nobis eruta monumenta fines indicant loci, atque naturam; tertia denique, qua praefens haberetur univerfae Pompofianae Infulae confpectus, finitimis etiam locis adiectis, quae

(*a*) Apud Baluzium Mifcellan. Tom. v. pag. ultima.

... videtur ex eo maxime, quod quo primum tempore,


CHOROGRAPHIA
VETUS
Ostendens Padi ostia et partem
Regionis Circumpadanae
MARE
ADRIATICUM
Altinum Antenor
Medoacus Major
Minor
Fossa Claudia
Togisonus
Edron
Brundulum
Tartarus
Athesis
Hostilia
Via Aemilia
Fossiones Philistinae
1. Fossiones Philistinae
Paludes
Atria antiqua
Padus olim Eridanus
Olana
6. Carbonaria
Trigaboli
5. Olana
Comaclum
Padòa
4. Sagis
3. Caprasia
Spina
2. Vatrenus Eridanus
sive Spineticus
Felsina
Vatrenus
Fossa Augusta
Fossa Asconis
Ravenna
Caesaraca
Caput Montonis
I.
Padusa
Classis
5 10 15 20
Milliaria Italica
Forum Cornel.
Sina
Via Aemilia
Forum Livii
Bedesis
Isapis
Gio. Ma. Cassini Somco. Inc.

quae maxime Pomposiani monasterii ditioni subdita erant. Nemo non videt unus, quo fuerit nobis elaborandum conamine, ut numeris absolutas suis, imparibus sane viribus, imagines huiusmodi adumbrandas susciperemus, quas observationibus similioribus vero illustrare necessarium esset: quod idcirco dictum volumus, ne vitio nobis quis vertat, si veterem loci formam cum recentioribus comparantes locum ipsum, ne dicam nosmetipsos haud aliquando compererimus ob tantam temporum vicissitudine iniectam caliginem, tantasque tenebras, ut quasi de veritate invenienda desperaverimus. Porro ut aliqua saltem videamur ratione procedere, ac methodo, qua deficiente obscurior evaderet res, atque implicatior, investigationes nostras omnes tribus omnino subsequentibus partiemur Diatribis ex triplici exposita divisione superius.

DIATRIBA PRIMA

De antiquo Pomposianae Insulae, locorumque circumiacentium statu.

III. QUum Pomposiae nomen antiquis fuerit prorsus ignotum Geographis, primaevum Insulae statum nobis inquirentibus non alia suppetit profecto ratio, quam quae ipsi agnoverint loca contermina Circumpadanae regionis, locorumque vocabula in medium afferre, ut eo, qui unus superest, modo ad qualemcumque ipsius notitiam pervenire possimus.

IV. Inter ea vero loca primas quidem obtinet antiquissimum omnium, quod litteris exstet, Tyrrhenorum opus, Adria, sive Atria, sive etiam Hadria, vel Hatria, modo nempe aspiratum, modo sine spiritu, quod aliis ex Oriente vocabulis non paucis contigisse, docti norunt homines. Initio immunitam Adriam fuisse, non secus atque alias Etruscorum sedes, minime dubitandum est, quos vicatim habitasse, ac sero tandem suos pagos muris permunivisse certum videtur ex eo maxime, quod quo primum tempore,

ſexto nimirum ante Romanum imperium ſaeculo, pulſis Etruſcis, Galli eorum ſedes occuparunt, adhuc tamen oppida pleraque muro carentia erant, teſte Polybio, qui de Gallis ait (a): ᾤκουν δὲ κατὰ κώμας ἀτειχίστους, *oppida ſine muris incolebant*; atque Strabone de iiſdem (b): ἅπαντες γὰρ ᾤκουν κωμηδὸν, *vicatim omnes habitabant*. De urbis Adriae etymologia erudite ex more diſputavit Mazochius (c). Celeberrima haec Tuſcorum fuit apud veteres, quam & ſinui Adriatico nomen dediſſe a multis creditum eſt, ac inter Padi, & Atheſis fluminum oſtia ad mare olim poſita, de qua lege Silveſtrium (d).

V. Ex altero vero regionis eiuſdem Circumpadanae extremo Comaclum urbs circumſpicienda eſſet, in cuius territorio Inſula iacet Pompoſiana, ſi vel eammet veteres noviſſe viderentur, cuius tamen nulla eſt apud illos mentio. Neque enim nobis negotium faceſſunt, quae a Ferrio (e) conglobantur in unum de Comaclenſis urbis origine commenta ne ſimilibus quidem vero fundamentis innixa, quaeque hic recantare non iuvat. Sane ſi illi, Sardio patri, Bonaverio, aliiſque id genus ſcriptoribus aliqua ſit fides, inter antiquiſſimas eſt in Italia urbes Comaclum a Pelaſgis iiſmet conſtructa (Graeciſne, an Tyrrhenis potius hic non moror), qui habiti ſunt vetuſtiſſimae quidem Spinae urbis conditores. Quae ipſis Comaclum eſt, ab aliis Comacula dicta fuit, ab aliis autem Cymaclum, ſive Cymaculum, quaſi a marinis undis ex Graeca voce κῦμα derivatum, ut Rubeus explicat (f), & Bollandus (g). Illud vero in dubium vocandum non eſt, primum Comacli Epiſcopum Pacatianum Romanis interfuiſſe, ſubſcripſiſſeque Synodis anno DII., ac conſequenti Symmachi Pontificis tempore apud Labbaeum (h). Alter quoque a Pacatiano, quum aliorum inter-

(a) Lib. 2.
(b) Lib. 5.
(c) Diſſert. 5. de Tyrrhenor. origine Tom. 2. Opuſculor. pag. 83.
(d) Iſtorica deſcrizione delle Paludi Adriane.
(e) Iſtor. di Comacchio.
(f) Hiſtor. Ravenn. lib. 5.
(g) Ad diem 4. martii in Vita S. Appiani Monachi.
(h) Collection. Concilior. Tom. 8. pag. 268. & ſeq. edit. noviſſ.

intercideriut nomina, Episcopus est Vincentius, a quo S. Cassiani ecclesia constituta est, ut inscriptio demonstrat, quae *in* eius aditu legitur adhuc, & nomen exhibet Cymacli urbis; eam haud missam fecit Ughellius (*a*), castigatamque retulit Prolius (*b*). Floruit autem Vincentius anno DCCVIII., quum indictionem sextam praeseferat inscriptio huic perbene anno respondentem, quo illam Vincentius aedificavit ecclesiam. Vitalis deinde Comaclensis Episcopi mentio in Caroli Magni diplomate est, quod Muratorius edidit (*c*). Haec eo referimus, & tanti habenda videntur, ut si vetustiorem non inveniri memoriam oppidi cum Cluverio (*d*) sentiamus, attamen illud a vero absonum sit, quod subdit ipse, repetitque Baudrantius (*e*), eam ad Caroli Magni tempora se tantum extendere, cuius omnium meminerint primi Regino (*f*), & Aimonius (*g*), qui urbem eamdem, sive oppidum Insulam vocavit. Priscis etiam ipsam ignotam, cuius mentio in Iohannis VIII. Romani Pontificis quadam epistola (*h*) exstat, censuit Gaspar Berettius Tabulae chorographicae Italiae medii aevi exquisitissimus auctor apud Muratorium (*i*), ideo medio omnino aevo eodem ex undis emersam, cum nempe undis Adria coepit immergi. Utut res fuerit, illud nobis indubium videtur, obscuram urbis esse originem, obscurioremque fortunam, & eam tunc solum illustrem, ex quo in controversiam deducta. Si profecto Peregrino Prisciano credimus suis in Historiis, sive Annalibus Ferrariensibus manuscriptis, quae in Atestia bibliotheca servantur (*k*), potentissima Comaclensis fuit urbs, atque vetusta, quam per Gothorum, Langobardorumque tempora ingentes armare solitam fuisse classes

(*a*) Ital. Sacr. in Episc. Comacl. num. 2. Tom. 2. pag. 482. edit. Colet.

(*b*) In notis ad Histor. Comacl. Bonaverii Par. 1. pag. 12.

(*c*) Antiq. med. aevi Tom. 2. pag. 24.

(*d*) Italia antiqua lib. 1. cap. 12.

(*e*) Lexic. Geograph. ad voc. *Comaclum*.

(*f*) Chron. lib. 11. ad ann. 808.

(*g*) Rer. Francicar. lib. 4. cap. 97.

(*h*) Collect. Concilior. Labbaei Tom. 9. epist. 167.

(*i*) Rer. Italic. Scriptor. Tom. 10.

(*k*) Cap. 13.

claſſes tradunt Ateſtiae hiſtoriae, & numeroſas armatorum militum acies. Urbem hanc innuit immortalis Ludovicus Arioſtus (*a*) iis verſibus:

E la città, che in mezzo alle piſcoſe
Paludi, del Pò tenne ambe le foci;

quibus ſignificaſſe videtur poëta, inter *Olanen*, & *Sagin* urbem Comaclum olim conſtitiſſe. Verum quandocumque, aut quomodocumque incoeperit eſſe, Galliae Tranſpadanae urbs fuit inter Padi oſtia ſita, in cuius certe territorio Pomposianam Inſulam iacuiſſe, atque iacere diximus, quod nobis ſit ſatis, ut Inſulam ipſam inter eadem oſtia Padi inquiramus.

VI. Quippe non hic quidquid Graecia mendax auſa eſt in hiſtoriis de Pado perſequi, de Phaetonte nimirum, & eius caſu, de populorum arborum lacrimis, de atrata ad hunc amnem gente, & huiuſmodi rebus tragicis his affinibus, quas in praeſens omittimus, non Padum ipſum, per quem Italia clara eſt, ut ait Solinus (*b*), tribus ſuis in fontibus ſuper Alpium iuga convenire, primaque ſede relicta varias Galliae Ciſalpinae regiones duplici, quinimo & triplici inſignitum nomine, quaſi multiformem, ac nuſquam ubi e montibus altioribus dilapſus ſine regio vectigalium comitatu peragrantem, quem ideo fluviorum regem Virgilius dixerit (*c*), nullique nobilium amnium gloria cedere Martianus Capella (*d*), & ante eum Polybius (*e*), nos circumducere contendimus, quum non hic videatur locus, voluminaque impleta ſint de iis non ſolum a noſtris, verum etiam ab gentium exterarum ſcriptoribus; ſed flumen ipſummet ſuis in oſtiis ad Adriaticum mare ab iis, quae nobis ſuperſtes reliquit antiquitas, ſtudioſe intueri, deſcriptumque oculis ſubiicere, quo minus incertum, atque tutius poſſit de Pomposianae Inſulae ſitu iudicium ferri.

VII. Iam-

(*a*) Cant. 3. num. 41.
(*b*) Polyhiſtor. cap. 8.
(*c*) Georgic. lib. 1. verſ. 142., & lib. 4. verſ. 370.
(*d*) Lib. 6.
(*e*) Lib. 2.

VII. Iamvero ut nobis res bene cedat, in Diatribas noſtras transferre haud pigeat, quae tum de ipſomet Pado flumine, tum de iſtius oſtiis ſummo profecto labore immortalis congeſſit Alexius Symmachus Mazochius, quocum bonis ominibus & nos aliquando Neapoli verſati fuimus, quique *totius Europae litterariae miraculum* a Carolo Le-Beavio Pariſienſis regiae inſcriptionum, humanarumque litterarum Academiae perpetuo Scriba fuit appellatus epiſtola ad eummet data Academiae ipſius nomine anno MDCCLIX. a.d. XVII. kalendas octobris (*a*). Eius aurea opuſcula Caietanus Miliorius in litteraria republica homo notiſſimus, perurbanus, atque amicus noſter in publicam Neapoli edidit lucem anno MDCCLXXI. Diſſertationem enim ſuam primam *de Tyrrhenorum origine* (*b*), ut inde exordiatur Mazochius, ubi primo in Italiam adventu Tyrrheni conſtiterunt, advertit, viſum Cluverio fuiſſe, totam illam campeſtrem planitiem, quae inter Apenninum, & mare ſuperum longe, ac late diffuſa Pado perfluitur flumine, primam illorum ſedem fuiſſe. Verum quid huius opinionis ſit, ac Cluverianarum rationum, quas non recto ſtare talo Mazochius ipſe demonſtrat in notis, illud quidem certe eſt extra dubitationis aleam, eam olim regionem ante hominum memoriam a Tyrrhenis occupatam: Livio enim teſte (*c*) Tuſci omnia loca trans Padum occuparant, excepto Venetorum angulo, hoc eſt Foroiulienſi regione. In eam clariſſimi viri ſententiam lubenter deſcendimus, quam & Dempſterus, & Bonarrotius, & Gorius, & Guarnaccius, & alii philotyrrheni reliqui utroque ſunt pollice amplexati, quos una cum Plinio (*d*) *pudet a Graecis rationem Italiae mutuari*.

VIII. Inquirens vero Mazochius Padi non ſolum, ſed etiam Eridani etymon, quo duplici nomine flumen frequentius fuit appellatum, haec obſervat: *Atque illi in Circumpadana*

(*a*) Inter Opuſcul. Mazoch. To.1. pag.136.

(*b*) Ibid. Tom.2. pag.75. Reperitur etiam haec Diſſertatio inter Diſſertat. Cortonen. Academ. Tom.3., ſed diverſa in pluribus a Milioriana editione.

(*c*) Lib.5. cap.19.

(*d*) Lib.3. cap.16.

padana illa Tyrrhenia, quam ab initio insederant, planitiem longe lateque diffusam (qua maior in Italia nulla esset) contemplati, eam, quia campestri Mesopotamiae persimilem repperissent, eidem cognominem effecerunt, ac פדן Paddan (*sic pluries in sacro codice Mesopotamia vocatur*), *uti credo, nuncuparunt; quod vocabulum, Aben-Esra, & R. Salomone testibus, campestrem planitiem significat. Hinc iam ex* Padanis *vocabulo, quod Circumpadanae regioni imposuissent, etiam ipsi flumini, quod eam perfluit,* Padi *nomen quaesitum fuit. Et olim quidem sic de* Padi *nomine conieceram.*

IX. *Verum* Padi *vocabulum recentius fuit prae altero* Eridani, *quomodo primitus appellatum hoc flumen inter omnes antiquos constat, praesertim Homerum. Age, experiamur, quo idiomate* Eridanus *suae indoli congruam notionem praeseferat. Hebraei doctores τȣ* ארז Erez *vocabulo non tantum* cedrum *significari, sed omnes arbores piceas, ac resinosas putant; itaque Rabbini in* Ber. Rab. *quatuor & viginti τȣ* Erez *genera distinguunt, quum contra Talmudici in* Rosh bashanab *decem tantum numerent. At vero Hebraicum* zain (*sive* zeta) *apud Chaldaeos, Syros, Arabes saepissime in* D *commutatur.* Haec autem nonnullis demonstrat exemplis Mazochius, subditque: *Ergo quam arborem Hebraei* Erez, *eam Tyrrheni orientalium propago* Ered, *aut* Erid *nuncupabant; imo Graecorum* κέδρος *ex* Ered *per* μετάθεσιν *fluxit. Quum ergo in* Padi *ripa plurimum picearum proventum casca illa Tuscorum gens deprehendisset, hinc ei flumini* Eridani *nomen imposuit.* Ostendit deinde auctor summus, piceis re quidem vera arboribus loca circa Padum abundasse, laricibus in primis, atque abietibus, & addit: *Hac* Eridani *etymologia fateor me semper unice delectatum. Verum quis ignorat, quam sit hoc argumentandi genus fallacissimum? Quid enim? an non fieri potuisset, ut casu, qui in hoc genere plurimum potest, factum sit, ut* Eridani *nomen ex Hebraeo explicari posset, quum forsan longe aliud ea vox apud Tyrrhenos significaverit? At fateor equidem de casu suspicionem oriri tum demum posse, quoties paucae numero voces sunt, quas ex Hebraeo, aut Chaldaeo feliciter exponantur; aut ubi*

sunt

ſunt innumerae, *nego id de nihilo eſſe*. *Verum ne ab* Ered, *ideſt* picea *diſcedam*, *id quidem antea dumtaxat coniectura aſſequebar*. *At eam poſtea coniectionem certiſſimam mihi reddidit ex Metrodoro Plinius*; *cui magnam propterea & ego*, *& mecum* φιλοτύῤῥενοι *omnes habebunt gratiam*. *Ergo Plinius lib.* III. *extremo* XVI. *capite de Pado ſic loquitur*: Pudet a Graecis Italiae rationem mutuari. *Metrodorus tamen Scepſius dicit*, quoniam circa fontem arbor multa ſit picea, quales Gallice vocantur Padi, hoc nomen accepiſſe. *Ex quo liquido iam vides*, Padi *vocem eſſe antiquioris Tuſci vocabuli* Eridanus *Gallicum interpretamentum*; *ac tantumdem Tyrrheno ſermone eſſe* Eridanus, *quod Celtico* Padus. *Ac equidem vix credo*, *Gallos fontis Padi accolas* (*hunc enim arbitrantur*, *ſi vera narrant*, *in ſolo Gallico oriri*) *nominis huius auctores eſſe*, *ſed potius eos Gallos*, *qui primi Circumpadanam regionem*, *exactis inde Tuſcis*, *occuparunt*. *Qui quum* Eridani *nomen*, *ſimulque explicationem nominis a picearum copia deducti audiſſent*, *maluerunt*, *reiecto nomine extraneo*, *nominis interpretatione uti*; *ſicque illum* Padum *nuncuparunt*. *Sane familiaris mos antiquis erat*, *ut qui populus novam regionem*, *pulſis accolis occupaſſet*, *is locorum nomina interpretando in ſuam linguam traduceret*. *Sexcenta moris huius afferri poſſent exempla in geographicis nominibus*, *quorum recentiorum nomina Graeca antiquorum Syrorum notioni reſpondent*; *cuius generis Bochartus ſcatet*. *Nos etiam idem in* Volaterris, Capua, Vadis Sabatiis, Foſſionibus Philiſtinis *factitatum obſervabimus*. *Quid quod etiam barbara virorum nomina Graeci interpretando ſua faciebant*? *ut qui* Eſaum Erythram *dicerent*, Iſaacum Γέλωτα, Gelotem, *& alia ſexcenta*. Hiſce autem de Eridani Tyrrhenica, Padique Celtica ſignificatione cum doctiſſimo viro ſtabilitis, adiectiſque permultis ab eo, quae de reliquis in Italia Etruſcorum ſedibus quam exquiſitiſſime perſcrutatus eſt, Diatribam ipſe primam ſuam adornavit, quae & in eius *Spicilegio* (*a*) recuſa eſt, *de ſeptem Maribus Etruriae Tranſpadanae*, *de Foſſionibus Philiſtinis*, *deque Padi nominis ex orientali ſermone explanandis*,

(*a*) Tom. 2.

in qua multa recondita, ac nova antiquissimae eruditionis documenta exhibuit, quorum non pauca ab illo viro nos mutuari voluimus, non modo ut eruditis hoc pacto gratificemur, quibus Mazochius is erit profecto, a quo eorum expleatur, satieturque inquirendi sitis, verum etiam ut quae nobis praepositae sunt curae, chorographicam Tabulam priscae illius aetatis Insulae Pomposianae praeferentem positionem exornandi, tanto procedant duce, atque adiutore succrescant; id etenim perpetuo intendimus, ut in unam hancmet Insulam inquisitiones istiusmodi omnes collineent, ad quam ea propter quae reliqua a Mazochio praetermissa fuerint, aut alia a nostra sententia dicta, animadvertere, & adnotare curabimus. Viri profecto incomparabilis orientales locorum Circumpadanorum etymologias reiicere animus non est, in quas inoffensum referre pedem, bene multis praeeuntibus litterariae reipublicae archontibus, liceat, non eas modo, quae veterum scriptorum auctoritate nitantur, quas ipse admiserit Guarnaccius (*a*), verum etiam in reliquas intima ex idiomatum orientalium studiosa desumptas analysi, atque visceribus. Etsi enim eorum studia non satis probemus, qui in vocabulis derivandis toti sunt, haud secum reputantes, quam dubia, quam incerta isthaec opinantium potius, quam disserentium occupatio, tamen quidni homini credamus eruditissimo, linguarumque pene omnium peritissimo, qui quidquid ait, & affirmat, non verbo tenus ait, & affirmat, sed locorum ipsorum situ, natura, caelo, ceterisque rebus circumstantibus collatis, quod ex vocabuli ipsa origine iam videbatur collectum, aperte probat, & confirmat? Nihilominus quae de locorum eorumdem situ, ac ordine exposuit clari nominis vir, non ea sunt perpetuum, quae a reliquis prodita fuerint Geographis, qui ceteroquin & ipsi digladiantur inter se, ut quae interitu, & longo temporis intervallo e memoria hominum deleta sunt loca pervetusta, de quibus multa obscuravit aetas, qualicumque studeant in lumine colloca-

(*a*) Origini Italiche Tom. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 194.

locare, quod ipſum quondam Straboni contigiſſe ipſe eſt teſtis de obſoletis geographicis Homeri deſcriptionibus. Quum igitur nos ex iis eſſe nolimus, quos Quinctilianus ſugillat (*a*), difficultatum patrocinia praetexentes ſegnitie, ne videamur etiam nos quieſcere in unius Mazochii ſermone, quaſi in aliquo opportuno diverſorio, nobiſcum praeclare actum iri putabimus, ſi aliorum etiam in medium hac de re prolatis ſententiis, non eas quidem tamquam obruſſam experientes, quod longum foret, ac nimis arduum, ſed parce percurrentes, quae veroſimiliora videantur, explanemus, eaque tandem noſtram in chorographicam Tabulam deducamus.

X. Ut rei itaque ſumamus initium, quibus, quotve Padus faucibus Adriaticum Mare antiquioribus ſaeculis ſubierit, nobis ignotum eſt. Ad hydroſtaticae tamen immutabiles leges & variae, & multae eſſe debuerant. Quum enim alveum ſibimet componere adhuc debuiſſet, ubi a mari urgeretur, neceſſarium prorſus erat, uti extenderetur longius, inſularumque fere coronam efformaret, atque arenarum congeriem inter paludem, & ipſum mare. Maiorum quippe fluminum undae, ſi ad mare viam ſibi vaſtas per paludes aperuerint, progrediuntur ultra perpetuum, ſalſorum fluctuum ad mare idem terminum, ut ita dicam, comprimentes. Verum Polybii aetate, ante aeram vulgarem ſcilicet annis biſcentum duo omnino erant oſtia Padi. En ipſa hiſtorici verba (*b*): Ὁ δὲ Πάδος ποταμὸς ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν δυσὶ στόμασι εἰς κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπους Ἀναπλεῖται δ' ἐκ θαλάττης κατὰ τὸ στόμα τὸ καλούμενον Ὄλανα σχεδὸν ἐπὶ δισχιλίους. τὴν μὲν γὰρ πρώτην ἐκ τῶν πηγῶν ἔχει ῥύσιν ἁπλῆν· σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα. κεῖται δ' ἐπὶ τούτῳ λιμὴν, οὐδενὸς τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν ἥττω, παρεχόμενος ἀσφάλειαν τοῖς ἐν αὐτῷ καθορμιζομένοις. Quae hocce pacto Perottus in Latinum vertit idioma: *Padus fluvius . . . duobus oſtiis prorumpit in Adriaticum*

(*a*) Inſtitut. orator. lib. 1. cap. 12. (*b*) Lib. 2. cap. 16.

ticum ſinum ... Navigatur a loco, quem incolae Volanam appellant, verſus Alpes circiter duo millia ſtadiorum. Ubi primum oritur ſimplex eſt, mox in duos alveos diviſus, binis in ſinum Adriaticum oſtiis erumpit, Padoam, Volanamque incolae vocant. Volana portum efficit inter omnes maris Adriatici portus tutiſſimum. At vero clari nominis vir Cluverius Polybianum ſic textum tranſtulit (*a*): *Duobus oſtiis in ſinum Adriatlcum effunditur... aſcenderunt in eo naves e mari per oſtium Olanen ad millia paſſuum* 250. *Nam ipſe amnis a fontibus quidem unico fertur alveo, ubi vero ad Trigabolos, quos vocant, pervenit, in duas ſcinditur partes. Oſtiorum alteri nomen Paduae, alteri Olanae, ubi portus nulli omnium, quos habet ſinus Adriaticus, inferior ad ſecuritatem adpellentibus praeſtandum.* Igitur Padus unico ſemper ductus alveo ad Trigabolos uſque affluebat; ibi vero tanta urgebatur aquarum copia amnis, ut iam gravis terrae ageretur in profundum, niſi divideretur in partes. Magna profecto eſt de Trigabolorum loco contentio inter auctores. Alii enim, ubi nunc eſt Codreae vicus, habitaſſe Trigabolos cenſuere, quaſi corrupta ea vox *Caput Eridani* exprimat. Alii diviſionem illam Polybianam factam, ubi Ferraria urbs eſt, dixere. Porro antiqua marmorea monumenta pone urbem eamdem effoſſa, ac primum edita Venetiis anno MDCLXXVI. in libello, cui titulus eſt: *Fragmenti d' iſtoria dell' antichità della nobiliſſima città di Ferrara*: manifeſte declarant, poſt Trigabolos olim Romanos ea loca incoluiſſe, & longo maxime tractu Padi littora occupaſſe; quinimo oſtendunt etiam, illos naupegiam ibi commiſiſſe, argumentum certum, ſuper Padum flumen ea iacuiſſe loca. Iam vero ad Padi ipſius dexteram magna illa palus erat, quam regio ipſa continebat. Urbis ergo, quae nunc Ferraria eſt, locus, de cuius origine longe incerta ſunt, quae proferuntur, ad fluminis laevam eſſe debebat. Quare veroſimiliter, uti nobis videtur, Polybiana Padi diviſio fiebat, ubi Monaſterium adeſt Sancto Georgio dicatum, ibique proinde Trigaboli Tuſcorum populi

(*a*) Italia antiqua lib. 1. cap. 35.

puli Ultrapadanam tenentes ripam habitarant, ad quos scilicet, teste Polybio, ubi pervenerit Padus, quia tunc absque muris habitabatur per vicos, & domos suas ripae longitudinem secuti posuerant Trigaboli, in duas scindebatur partes, quarum dextera Padoa, laeva autem Olana quondam dicta.

XI. E duabus huiusmodi Padanis faucibus antiquiores fluminis rami prodiere, ea Insularum, quas diximus, corona efformat, quum fauces ambae per lacunam sese longius extenderent, & alveum suum, & aggeres sibimet disponerent. Verum Aemilii Scauri opera Placentini, atque Parmensis territorii aquis Pado adiectis, Strabone teste (*a*), ad turbulentiores, copiosioresque aquas sustentandas haud sufficiens fluminis agger evasit, adeout necessarium fuerit, ut a Polybio rami commemorati minores in alios erumperent. En cur Diodorus Siculus, qui centum a Polybio atque quinquaginta annis floruit, de Padi ostiis loquens ait (*b*): *Eridanus, qui in Alpibus fontes habet, quinque ostiis descendit in mare*. Auctus igitur Diodori aetate iam ostiorum numerus erat, quae satis verosimiliter ab divisione primaeva penes Trigabolos facta dependebant, quorum alia etiam ad laevam, ad dexteram alia maioris alvei fluere deberent. Iterum vero Pomponii Melae tempore, qui non multo post Diodorum vixit, saeculo nempe vulgaris aerae primo, ad septem ea ostia creverant, haec enim habet antiquus ille Geographus (*c*): *Ab imis radicibus Vesuli montis* (Padus) *exortus mox aliis omnibus adeo augescit, atque alitur, ut se per septem ad postremum ostia effundat. Unum de his magnum Padum appellant*. Sed compressam hanc Melae descriptionem ea subsequatur, quam nobis Plinius fere synchronus auctor reliquit: *Padus*, inquit (*d*), *urgetur aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terrae, quamquam deductus in flumina, & fossas inter Ravennam, Altinumque passuum* CXX. M., *tamen quia largius vomit, septem maria dictus facere. Angusta fossa Raven-*

(*a*) Lib. 5. de situ orbis.
(*b*) De fabulosis antiq. gestis lib. 6.
(*c*) Ital. descript. cap. XI.
(*d*) Lib. 3. cap. 16.

vennam trahitur, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicius appellatus. Proximum inde ostium magnitudinem portus habet, qui Vaterni dicitur, quo Claudius Caesar e Brittania triumphans praegrandi illa domo verius, quam nave intravit Adriam. Hoc ante Eridanum ostium dictum est, aliis Spineticum ab urbe Spina, quae fuit iuxta praevalens, & Delphicis (creditum est) thesauris condita a Diomede. Auget ibi Padum Vaternus amnis ex Forocorneliensi agro. Proximum inde ostium Caprasiae, dein Sagis, dein Volane, quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina, fossasque primi Asagi fecere Tusci, egesto amnis impetu per transversum in Adrianorum paludes, quae septem maria appellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum. Inde ostia plena Carbonaria, ac Fossiones Philistinae, quod alii Tartarum vocant; omnia & Philistinae fossae abundatione nascentia, accedentibus Atesi ex Tridentinis Alpibus, Togisono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum facit Brundulum, sicut Edronem Medoaci duo, ac fossa Clodia. Hic se Padus miscet, ac per haec effunditur. Adnotamus autem, in his describendis novissima usos fuisse Plinii Rezzoniciana recensione, si unum excipias, ubi *Fossam Augustam* pro *angusta* posuit doctissimus editor, de qua re nos inferius dicemus.

XII. Apparet profecto ex his, Plinii tempore multa in flumina Padum divisum, atque a fossis plurimis detruncatum Ravennam inter, & Altinum. Fossas huiusmodi, ac flumina antiquis iam temporibus industria Tuscorum manu effossa pro certo habet Plinius idem, ut in eo Insularum ambitu, quas incolebant, ex adversa faucium Padanarum parte aquae minuerentur, urgerenturque in paludes super Adriam urbem. De fossis utique, nempe canalibus, quos, nullo ante exstante vestigio, hominum illorum industria cavaverit, nullus videtur nobis dubitandi locus. De fluminibus autem, hoc est de iis Padi brachiis, quae vetustissimis temporibus primi Italiae cultores navigarant, illud tuto possumus affirmare, impetu suo flumen aliquando, imo & saepius fuisse perruptum, quod re quidem vera pluries contigisse

tigisse Pado, Lucanus saeculi I. aerae nostrae scriptor testis est *iis verbis* (*a*):

Sic pleno Padus ore tumens
. non flumina toto
Transit, & ignotos aperit sibi gurgite campos.

Quum vero id fieret, ea nos in sententia sumus, probe novisse Tuscos, palustribus iis in locis praecludendas haud esse aquas, quod sane arduum nimis fuisset opus, sed potius eas maturate expurgandas semitas, quae fluminis occurrerent hiatibus, quo simul facilius congregarentur aquae, naturaque sua non alio distractae novum sibi alveum efformarent. Hoc sane ipsum nonne quotidie obvenire fluminibus experientia edocemur? At regeret quis fortasse: qui scilicet habendae sint, Plinio teste, Tyrrhenorum opus eiusmodi fossae, si multo ante Polybii aetatem suis e sedibus illos exegerant Galli? Nihilominus Polybianis etiam temporibus non duobus omnino, bene vero quinque divisum ostiis Padum fuisse, dicendum nobis videtur, quot revera a Plinio ipsomet commemorata a Tyrrhenis manufacta dicuntur, quorum primum fossa angusta fuerit, quae Spinetico coniungebatur ostio, idem deinde Spineticum, Caprasia, Sagis, & Olane. Tyrrhenorum autem primaevae illae fossae non fluminum alvei habendi sunt, sed ad aquas facilius deducendas parati tramites, qui deinde conversi in flumina fuerint, ubi nimirum aquae eaedem aggeres sibimet constituerint. Ast Polybii tempore, aut certe sub Gallorum adventum adhuc fossae fuerant, non flumina, haud conferenda propterea cum duobus maioribus, e quibus propagabantur. Ecce tibi, cur ea minime noverit, recensueritque ille. Inquirens vero Mazochius, cur ne Spinetici quidem meminerit, quod Troicis exstabat temporibus, tantaeque iam tum magnitudinis, ut Pelasagi per illud ingressi naves in eodem reliquerint, teste Dionysio, suspicatur, hoc Polybii de Spinetico silentium caussam fuisse Cellario Spineticum cum Padoa confundendi, quae tamen diserte distinxit Plinius; & quidem nisi

(*a*) Pharsal. lib. 6. vers. 272.

nisi distinguatur, septem haud stabit ostiorum numerus. Sed Spinetici non meminisse Polybium, opinatur Mazochius, quia hoc quoque ex Padoa, altero ex duobus ramis sive arte, sive potius antiquitus vi fluminis propagatum fuerat. Eae autem fossae tot evaserant flumina post annos centum quinquaginta. Ecce tibi, cur a Diodoro Siculo eadem relata.

XIII. Ad rectam Pliniani textus, quem exscripsimus, intelligentiam desudarunt olim, hodieque desudant eruditi homines; multa enim in eo occurrunt quammaxime obscura. Qui enim scribere potuerit ea verba: *Egesto amnis impetu per transversum in Atrianorum paludes, quae septem maria appellantur*, quasi nimirum septem maria eiusmodi Atrianorum paludes dicerentur, quum paullo ante scripserit, *Padum, quo largius vomit, septem maria dictum facere*? Ultra ne magis progrediebatur Padus, quam deinceps suum extenderit alveum, an ad ipsius alvei caput Padanas aquas emersas vastos sibi constituisse sinus sive paludosos, sive lacunosos, dicendum erit, qui tot viderentur maria, quot Padi ostia erant? At vero ita habeo, eam revera appellationem ad Adrianas potius paludes Plinium retulisse: *Padus*, ait paullo superius, *quamquam deductus in flumina, & fossas, tamen qua largius vomit, septem maria dictus facere*; nam in iis paludibus largius vomit. Alias profecto a septem maribus esse fossas septem, aut ostia Padi, manifeste Plinius iis verbis innuit, quia Padus ipse septem maria eo loci dictus, qua largius vomit. In itineraria Peutingerii Tabula, quae aetatis Theodosii magni censetur, hocce pacto iter notatur per paludes, & Padi ostia Ravenna Altinum usque:

Ravenna	*VII. Maria VI.*
Butrio VI.	*Fossis VII.*
Augusta VI.	*Ebrone XVIII.*
Sacis ad Padum XII.	*Mino Meduaco VI.*
Neroma IIII.	*Maio Meduaco VI.*
Corniculani	*Ad Portum III.*
Radriani VI.	*Altino XVI.*

Nemo

Nemo homo ignorat, multa locorum nomina, multosque intervallorum numeros librariorum incuria, atque imperitia in Tabulam illam irrepsisse; adeout difficilius hinc etiam periculum evaserit, illa liquido stabiliendi nomina, locaque determinandi. Sic *Radriani* corrupte legi in Tabula censuit Cellarius, & vicum *Arianum* dictum designari: vocem autem *Neroma* fortasse pro *Neronia* positam, hoc est *Neroniana fossa*, qua transversa Volanam inter, & Carbonariam hodie navigatur ab *Hadriano*, nempe Ariano ad *Capitisgauri* vicum, qui communem olim ipsa cum fossa nuncupationem habuerit: *Corniculanum* etiam inter *Hadrianum*, & *Neronianae fossae* initium vicum nunc *Mediumgaurum* mediae ferme *fossae Neronianae* impositum dixit Cellarius ipse (*a*), atque censuit, *VII. Maria* loci quasi cuiusdam nomen indicasse Tabulam, quum tamen haud difficile nobis persuaserimus, *VII. Maria* in ea non proprium locum esse, sed respondere omnino paludibus Adrianis, quae ipsae septem maria dicerentur; adeout nec unum certum locum significare voluerit Peutingerii Tabula, ut vulgo eruditis visum est, nec etiam illam ab urbe Ravenna Altinum usque perpetuam paludem, in qua alia Padi ostia erant, sed Adrianas ipsas paludes, ubi flumen largius vomeret, ac veluti mare videretur factum. Si quaeras autem, unde Adrianarum paludum caput, ac marium septem, illud ab Volanae ostio desumendum esse respondemus, ubi maxima erat Padi alluvies ad Adriam urbem usque. Nam sicuti qui nostris temporibus *Primarii* dicitur Padus, ad rami illius dexteram diffundebatur, quo cum iuncta fossa angusta, per alveum suum late procedebat, eiusque ostium Spineticum dictum, quod primum erat Ravennam versus, ita versus Adriam alterum Padanas deferebat aquas, a quo postremo urbem ipsam Adriam Caesar petiit. Quare super eamdem urbem Padanarum omnium aquarum alluviones evehebantur, quas suis in finibus amplectebatur regio illa, quae inter Volanae Padum nunc iacet, & Atesin, adeout proinde ad mare ipsa magis processerit, erexeritque

(*a*) Italia antiqua lib.2. cap.9. pag.697.

ritque citius sese, quam altera, quae inter Padum *Primari* interiacet, & viam Aemiliam. Contra vero ab alluvionibus, sive ramis, qui a Volanae Pado prodibant, Padus ipse in fossam Philistinam urgebatur, quam Tartarus flumen, Plinio teste, excipiebat, eiusque paludes non longe ab Hostiliae finibus usque deductas, si id colligere liceat ex iis Taciti verbis (*a*): *Ceccina inter Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis castra permuniit*. Ab fossae autem illius ostio, quam opinatus est Cluverius (*b*), locum illummet esse, quo *magnus* nunc dictus *Padus* decurrit, postrema oriebantur ostia duo, Carbonaria, atque Fossiones Philistinae.

XIV. Constat igitur ex his, quid etiam Plinius *septem marium* nomine intellexerit, nimirum non de ostiis Padi in Adriaticum mare influentis accipienda esse; de qua re consulendus Silvestrius in erudito libro, quem *de Adrianis paludibus* exaravit. Scio profecto, opponi nobis posse tum Herodianum, tum Antonini Itinerarium, qui *VII. Maria* intellexisse visi sunt totam paludem, quae ab Ravenna urbe est Altinum usque. Illae enim haec ait (*c*): Ὁ δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας ἀπέστη Ἀκυληΐᾳ, διαβὰς τὰ τενάγη ἅτε ὑπὸ Ἠριδανοῦ ποταμοῦ πληρούμενα καὶ τῶν περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται· ἔνθεν καὶ τῇ φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ἑπτὰ πελάγη, τὴν λίμνην ἐκείνην. *Maximus Ravenna profectus Aquileiam pervenit, transmissis vadis, quae tum ex Eridani influxu, tum ex circumiectis stagnis exundantia, septem ostiis in mare effunduntur: unde etiam indigenae patria lingua septem maria paludem illam appellant*. In Itinerario vero Antonini, itineribus descriptis ab urbe Roma usque Ariminum, haec subduntur: *Ab Arimino recto tramite Ravennam M. P. XXX. Inde navigantur septem maria Altinum usque. Inde Concordiam M. P. XXXI. Aquileiam XXXI.* Ex his enim facile colligere licet, ab Ravenna Altinum usque unam perpetuam fuisse paludem, cui *septem marium* nomen esset. Verum primo si Herodiani verba perpendantur intimius, erit, unde iter ab Ravenna urbe Altinum usque arguas

(*a*) Annal. lib. 5. (*b*) Italia antiqua cap. 35. (*c*) Lib. 8. cap. 7.

arguas non per septem maria tantummodo factum, sed etiam per Eridani ostia, adeout haec ab illis longe alia innuerit antiquus auctor. Maximus enim Ravennam profectus *Aquileiam* pervenit, transmissis non solum iis vadis, quae ex Eridani influxu exundabant, quaeque septem ostiis in mare effundebantur, sed ea etiam, quae exundabant ex circumiectis stagnis, ex quibus ea palus efformabatur, quam indigenae *septem maria* patria lingua appellabant. Haec autem palus ipsae erant, aut nos fallimur, Adrianae paludes ab Olane ostio ad Adriam urbem, quo in intervallo non pauca interiacerent stagna. Qua sane Herodiani textus interpretatione habes, cur Eridani influxum ab circumiectis stagnis ipse distinxerit, verbis licet non satis clare legitimum praeseferentibus sensum, nisi asserere lubeat, fugisse historicum accuratiorem locorum notitiam, quae eapropter una facile confunderit: re enim quidem vera asseruisse visum est, Aquileiam usque (si recte accipimus) septem maria protendi, quae nihilominus Altinum usque protenderentur omnino. Deinde vero quod Antonini ad Itinerarium pertinet, licet videatur auctor innuere, septem illa maria, quae ab urbe Ravenna Altinum usque navigabantur, unum fuisse perpetuum stagnum, cui septem esset appellatio marium, nihilominus ita etiam commode poterit sensus accipi, quasi & ostia septem Padi, quorum primum pone Ravennam urbem sumebat initium, & Maria septem, Adrianas nempe paludes, quarum caput tantummodo erat ab Olane ostio ad urbem Altinum, una significarit auctor nuncupatione, ex suae fortasse aetatis usu, aut, si mavis, eo pressiori de industria dicendi genere usus, & unum maiorem prae reliquis locum expresserit. Rem hanc haud dissimulavit Mazochius ipse, qui ceteroquin paludem unam ab urbe Ravenna Altinum usque *Septem Maria* dicta propugnat: *Si enim*, ait, *exacte ad obrussam loqui volumus*, *qui Ravenna proficiscebantur*, *ante omnia Padusam* (*id nomen erat ultimo Padi alveo Ravennam versus*) *enavigabat*; *ex Padusa autem per fossam in Atrianorum paludes*

ludes Altinum usque protensas intrabat; adhibetque Valgii testimonium apud Servium ad illud Virgilii (a):

. . . . *piscosove amne Padusae*:

qui sic loquitur:

Et placidam fossae, qua iungunt ora, Padusam
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Itaque Mazochiana etiam in sententia paludis, cuius *Septem Marium* nuncupatio, pars haud erat Padusa, nec Fossa, scilicet angusta, de qua Plinius; at nec reliqua proinde esse debebant ostia Padi, sed Adrianae paludes, quae ab ostio Olane, relictis ad dexteram Carbonaria, ac Fossionibus Philistinis, protendebantur Altinum usque septemtrionem versus, & versus occasum ad Hostiliae oppidi fines, sese cum fossa Philistina miscentes. Ipsa profecto Adrianarum paludum appellatio rem declarare videtur; si enim ab urbe Ravenna earum desumas initium, cur non potius ab urbibus Ravenna, aut Spina insignioribus, aut certe propioribus, paludes potius Ravennates, vel Spineticae dicerentur, sed ab Adria urbe nomen sortirentur suum? Si earum initium sumas septemtrionalem plagam versus, cur non paludes Altinenses appellandae essent, quae ab Altino urbe orirentur? Dictae igitur Adrianae, nostra quidem sententia, ab urbe Adria, quae earum omnino in sinu iaceret: ex quo etiam earum physicam habeas tum longitudinem, tum latitudinem, si Altini, Adriaeque situs constet.

XV. Inquirenti autem, cur *Septem Maria* appellatio Adrianis paludibus inhaeserit, facilis responsio videtur, eo nimirum nomine dictas sive a septem Padi proximioribus ostiis, per quae flumen ipsum in mare infunditur, sive a septem fossis aliis, aut fluminibus, quae partim a Tartaro amne, partim ab Olane Pado prodirent, unaque simul paludes constituerent illas, quia largius ibi Padus nempe Olane vomeret, Plinio teste: *at certe*, ait Mazochius idem, *vel ipsum septem marium nomen evincit, fuisse olim fossas septem siccis inter-*

(a) Aeneid. XI. vers. 456.

intervallis diſcretas. Atque licet deinde fieri potuerit, ut vel foſſarum aliae exſiccarentur, vel recens aliae fierent, tamen eadem illa vetus *Septem Marium* nuncupatio penes ipſum Adrianarum paludum ſeptiplex ſtagnum perennaret; in re enim geographica, qua in primis parte paludes intuetur, valleſque cavas, mirum certe, quantum locorum facies immutetur perpetuum, & appellationum proprietates confundantur, turbenturque, antiquis tamen retentis ſaepe nominibus. Quapropter ſi vetuſtiſſimis Tuſcorum temporibus ſeptem eae foſſae inter ſe diſcretae eſſe potuerint, obvenire etiam potuit, ut poſtrema Romanae reipublicae aetate, ſive Caeſarum aevo earum altera ceſſarit, & continens fieret contra ſtagnum.

XVI. Verum de Septem Marium natura, ac etymo intimius perquirens Mazochius, quorum parem in Palaeſtina numerum habemus, atque in Tranſpadana Tyrrhenia noſtra, rem altius repetendo, poſtquam illud praeclare adverterit, nulla ex re magis nomenclationi illi divinae (*a*): *Congregationeſque aquarum appellavit maria*, conſtare fidem, quam ex iiſdem duplici ea in regione ſeptem conſtitutis maribus, revocatiſque iis, quae fuſe, & copioſe ipſe diſſeruerat in Spicilegio ſuo (*b*) ea de re, haec opportune obſervat: *Plinius, qui Hebraica non attigiſſet, ad aquarum copiam appellationis cauſſam contulit*: qua largius, *inquit*, vomit, ſeptem maria dictus facere; *quum revera Orientales quaevis aquarum* συςήματα (*uti ſeniores vocant Gen.* 1. 10.), *ideſt coitiones*, θαλάσσας maria *dixerint*: *etiam* labra, *uti* mare aeneum *in Templi inſtrumento. At recte Herodiano quia peregrini quidpiam in ea appellatione ſubolvit, hinc ad patrium gentis* ἰδιωτισμὸν *genus loquendi retulit*, τῇ φωνῇ (ἑαυτῶν), *inquit*, *hoc eſt* patria (barbarorum) lingua.

XVII. *Verum*, ſubſequitur Mazochius, *quod multo eſt mirabilius, non tantum hoc quod* maria *vocantur*, *quae ſtagna ſunt*, *ſed & ipſe marium numerus totus ab Oriente eſt. Nam tametſi dixi*, *a ſeptem foſſis manaſſe*, *ut tota illa continens palus*

(*a*) Geneſ. cap. 1. verſ. 10. diſſ. II. pag. 184. (*b*) Ibid.

lus VII. maria diceretur, tamen, fateor, adhuc reſidet numeri iſtius arcanior cauſſa. Nec ſum neſcius, hunc apud Orientales numerum in honore fuiſſe, ac plane ſacrum: ex quo factum, ut eo maxime numero delectati, etiam quae non eſſent definita numero, tamen ſeptena dicerent. Res eſt ſatis in Scripturis pervulgata. Verum quid iſtis θρυλικωτέροις immoror, cum in Palaeſtina non minus, quam apud Tyrrhenos ſeptem marium numerus celebratiſſimus fuerit? Non in Scripturis quidem ea ſeptem maria inclaruerunt, ſed apud ſcriptores Talmudicos, & apud auctorem Midrash Tillim, uti iam notarunt Ligtfootus, Bochartus, & Hadr. Relandus in ſuae Palaeſtinae I. 37. (a). Numerantur autem in hunc modum. I. Mare magnum ab occaſu Palaeſtinae; at cetera ſunt ſtagna mera. Nam II. Mare Tiberiadis eſt. III. Mare ſalſum, ſive Sodomiticum. IV. Mare Samochoniticum. Cetera tria quemadmodum in Talmudicis ſcribuntur non ſine magna ſcriptionis varietate ſunt ad interpretandum difficillima. Ergo V. eſt Mare arenoſum, ideſt (ſi Ligtfooto credimus) Lacus Sirbonis. VI. ſic ſcribitur ימא דשליית, ſive ימא דשלחת; quod equidem interpretor Mare Siloc, ideſt illa piſcina Siloe, cuius mentio eſt Ioh. I. X. 7. Nam Bochartus, qui Sirbonis paludem hic latere putat, mihi non ſe probat. Erat autem haec piſcina, ſi minus aquarum copia, at virtute certe ſatis nobilis, ut Siloc videatur intelligi, cui & Hebraeae litterae favent. VII. Ex ſeptimo nomine, quod diverſe in Talmudicis ſcribitur, Aquas Pamias, aut Pameadis, aut Lacum Phialam Relandus exſculpſit. Atque haec ſunt clariſſima terrae Iſraeliticae Septem Maria: quae in Bocharto, atque Relando nota fuerint, iidemque ex Plinio, Herodiano, & aliis noſſe potuerint, apud Venetiae Tyrrhenos temporibus vetuſtiſſimis maria totidem, hoc eſt totidem aquarum conceptiones, celebrata fuiſſe; tamen miror, nihil iis de Tuſcorum ex terra Chanaan origine ſuboluiſſe, imo Bochartum alicubi docuiſſe, Tyrrhenis nihil prorſus cum Palaeſtinis commune fuiſſe. Verum illo redeo.

XVIII. Horumne Chanaanitidis ſeptem marium imitatione Tyr-

(a) Etiam in Syro Geographi Nubienſis, & in Prol. exſtat Septem marium mentio.

Tyrrheni ſimilem appellationem Hatrianis paludibus impoſuerunt? Non abnuerim. Nam quamvis illorum ſeptem marium *nulla uſquam mentio ante ſcriptores Talmudicos, eam tamen* ἐπικλησίαν, *atque numerum tam apud Hebraeos, teſte Thalmude, quam apud Tyrrhenos in Venetia ſatis antiquum eſſe, mihi facile perſuadeo, ac forte ab uſque Chananaeis temporibus obſervatum, quibus videtur Tyrrheni in Italiam appuliſſe. Nec vero Thalmudica omnia pro nugis habenda, ſed inter carbones plurimos miras tamen ibi latere gemmas, vel hoc unum exemplum declarat. Ergo illorum ſeptem marium Chanaanitidis exemplo ſeptem Padi alveos totidem appellarunt maria.* Ita quidem Mazochius: ſed nos paullo diverſe ſuperius rem explicavimus, non videlicet Padi oſtiis *ſeptem marium* nomen collatum, ſed Adrianis paludibus dumtaxat. *Sunt autem haec*, addit Mazochius, *alveorum illorum, ſive* ſeptem marium *nomina*. I. Paduſa. II. Spines. III. Capraſiae. IV. Sagis. V. Olane. VI. Carbonaria. VII. Foſſiones Philiſtinae. *Ex his quartum, ſextum, ac ultimum a Tyrrhenis manu effoſſos fuiſſe (quis ſcit, annon etiam* Capraſias *foderint?) infra oſtendetur. Ac fieri poteſt, idcirco ab eis nec plures, nec pauciores foſſas* marium *appellatione donatas, nimirum ut Palaeſtinae maribus par hic quoque numerus marium conſtaret. Nolo autem omittere, viſum fuiſſe nonnullis*, Foſſiones Philiſtinas *non unius certi alvei nomen fuiſſe, ſed commune omnium talium manufactorum. Id quidem poſſim non admittere, veritus ne alioqui non ſeptem, ſed tantum ſex oſtiorum numerus conſtet. Verum ſi quidem ita ſe res habuit, tum* mare magnum, *ideſt Hadriaticum, aut internum totum, numerabitur omnium primum (uti & in Paleſtina factum) ut maria ſeptem exſiſtant.*

XIX. *Quid ſi non modo patiar*, Philiſtinas Foſſiones *fuiſſe commune ſex ceterarum nomen, ſed ultro id aſtruam? ut plane ſeptenarius ille numerus ex* mari magno, *ſimul & ex ſex reliquis foſſis, aeque ac in Palaeſtina, conſletur? Atque ita certe loca poetarum vetuſtiſſima duo, Livii, & Ennii apud Feſtum arbitrari me iubent. Prior Livii Andronici eſt apud Feſtum in* Ocrem:

„ Celſoſque ocris, arvaque patria, & mare magnum.

Scite

Scite Scaliger in Coniect. petrita *pro* patria, *uti ſtet verſus, repoſuit. Alter eſt Ennii apud eumdem in* Tonſam:

„ Alius in mari vult magno tenere tonſam.

Qui Poetae undenam mare magnum *niſi ex Tuſcia didicere? Ergo ea lege* Philiſtinae Foſſiones *nomen foſſarum generale fient, modo* mare magnum *primorem inter Tyrrhenica ſeptem maria locum occupet.*

XX. Sed his praetermiſſis, in quibus tuto, ac certe ſtabiliendis maxima difficultas eſt, ſeptem alveos, ſive oſtia Padi ſic vel nos recenſemus: I. *Padoa*. II. *Spineticum*. III. *Capraſiae*. IV. *Sagis*. V. *Olane*. VI. *Carbonaria*. VII. *Foſſiones Philiſtinae*. De iis ante ſingillatim eſt inquirendi animus.

I. Padoa.

XXI. Ad Trigabolos, ut ſuperius animadvertimus ex Polybio, Padus in duos ſcinditur alveos, quorum alter *Padoa*, alter *Olana* dicitur. Vocem hic *Padoa* corruptam cenſent viri docti ab alia Παδȣσα, *Paduſa*, qua ille revera appellaretur alveus. A Pado quidem derivatam utramque conſtat. At vero an confundendae eae voces ſimul, an diſtinguendae potius, diſtinguendaque propterea loca iis expreſſa vocabulis, haud levis nobis difficultas eſt. Profecto qui *Padoam* cum *Paduſa* confundunt, in una vocum illarum maxima videntur ſimilitudine quieſcere, eaque una omnem fulcire aſſertionem ſuam, nil explorati ad rem demonſtrandam referentes. Paduſae autem meminit Plinius: *Padus... anguſta foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicius appellatus*: quae ſic expoſuere illi, quaſi Padus olim Meſſanicius dictus, ubi Paduſa vocatur, Ravennam traheretur, atque uniſonis ex vocibus *Padoa*, atque *Paduſa* arguere, Padi alveum, cuius caput Polybii temporibus *Padoa* diceretur, *Paduſae* nomen fuiſſe tractu ſuo omni Plinii aetate ſortitum. Verum principio Plinianum ſenſum ita habemus, ut Padus dictus Meſſanicius quondam Ravennam traheretur anguſta foſſa, quae ab eo inciperet loco, cui nomen *Paduſae*: unum ergo dicas *Paduſam*, atque *Padoam*, nil

infer-

infertur aliud, quam dictum *Padusam* alveum meridionalem Padi, minime vero quem Argentanum nunc dicimus, sive *Primarii*; alias enim Plinius dixisset: *qui Padusa*, non *ubi Padusa vocatur*: quibus sane verbis locum, unde derivarit Padus, ipse innuere voluit, cumque proprie notavit, *ubi Padusa vocatur*, hoc est ubi Polybii aevo Padi caput esset, qui *Padoa* diceretur, aut etiam, si mavis, *Padusa*. Deinde vero si utrumque simul conciliare velimus, ab eorum nobis non licet recedere testibus. Padi ostium alterum *Padoam* dictum Polybius ait, Plinius vero Padum, *ubi Padusa vocatur*, fuisse Ravennam tractum; adeout si nobis persuadeamus, Polybium ostium Padi dixisse *Padoam*, ipsius vero alveum Plinium *Padusam*, perbene sibi uterque cohaereat. Ast quum *Padoam*, atque *Padusam* non unam fuisse rem, certum nos habeamus, erit, unde & veriorem Plinii habeamus sensum, & cum ceteris eum possimus conciliare facilius.

XXII. Haec autem ut clariora fiant, adnotandum est nobis in primis, Ravennam urbem iis temporibus undecumque crcumdatam paludibus, Silio Italico teste, qui Plinii circiter scripsit aetate; ait enim (*a*):

Lenta paludosae perscindant stagna Ravennae.

Duo etiam praecipua loca non longe ab urbe eadem erant, Classis, atque Caesarea, e quibus Classis adhuc superstes est insignis Monasterii nomen Sancto Apollinari nuncupati, exortum inde quod eo loci ad occasum mare, si Iornandi fides sit (*b*), sinum efformaret, quo biscentum, atque quinquaginta navium classis contineretur, in quo etiam Romani ad maris Adriatici custodiam classem habuerint. Inter Classem autem, & Ravennam Caesarea erat, triaque loca simul aeque Ravenna vocata: *Ravennam*, ait Sidonius (*c*), *paullo post cursu dexteriore subeuntes, quo loci veterem civitatem, novumque portum media via Caesaris ambigas, utrum connectat, an separet.* Hunc Classensem ipsummet portum censet Cluverius, novum eo a Sidonio dictum, quod cum veteri ad

(*a*) De bello Punico lib. VIII. vers. 603.

(*b*) De rebus Gothicis cap. 29.

(*c*) Epist. 5. lib. 5.

Montonis caput penes Ravennam comparaverit. At clarius rem exprimit Iornandes ipſe: *Trino ſiquidem urbs ipſa vocabulo gloriatur, trigeminaque poſitione exſultat, ideſt prima Ravenna, ultima Claſſis, media Caeſarea*. Itaque ille Claſſenſis portus utique non multum anguſtus habendus qui conflari potuerit, niſi maior aquarum copia in illum efflueret, qui multarum navium capax erat? Quare quemadmodum aquis Tranſpadanis contigerat iam Plinii aetate, ut a Pado repulſae, quibus ſe ipſe miſceret, ac per eas effunderetur, minus aggeratae in propiores ruerent paludes, atque per Foſſam Philiſtinam, ac Tartarum amnem in Carbonariam, Philiſtinaſque fauces deſcenderent, non aliud de Ciſpadanis aquis factum eſt, quae Tranſpadanas fortaſſe ſuperarent, aequarent certe, ut videlicet, confluentibus praecipue ſimul Vaterni, Sinnae, Alemonis, ac Bedeſis amnium fluctibus, oſtium ſibi aliquod & alveum aperuerint. Haud aliter profecto rem obveniſſe, ipſe ſit teſtis tantae magnitudinis Claſſenſis portus; teſtis ſit etiam Procopius, qui de Ravennati littore loquens ait (*a*): *Ibi quotidie quiddam fit ſane permirum. Diluculo mare in morem fluminis tanto ſpatio, quantum expeditus viator uno die conficiat, in terram effundit ſeſe, & naves patitur in media continente. Veſperi traiectum, quem dedit, aufert, atque aeſtu reciprocante ad ſe undas reducit*. Quare ſi aetate Procopii, qui a Plinio annis D. abfuit, Ciſpadana cum palude communicaverit mare, aeſtus adeo ſuos in terram impellens, ut non longius ad Aemiliam pervenerint, poteritque expeditus viator illuc iter ab Ravenna urbe uno die conficere, cur vel Plinii aevo idem contingere non potuerit? Conſtat certo, naturali ſibi providentia mare iis in locis littus perpetuo exaggeraſſe, itaut denique aquarum omnium praecluſerit effuſionem. Qui igitur naturam mutaverit aliquando ſuam, littuſque depreſſerit a Plinii ad Procopii tempora? Verius arguere liceat, Plinii temporibus magis etiam occidentem verſus aeſtus illos proceſſiſſe, de quorum exſiſtentia teſtis eſt Strabo, qui ait (*b*): Δέχεται δ' οὐ μικρὸν τῆς θαλάττης

μέρος

(*a*) De bello Gothico lib. 1. cap. 1. (*b*) Lib. 5. pag. 213.

μέρος ἐν ταῖς πλημμυρίσιν. *Ravenna, cum a mari fiunt inundationes, non mediocris accipit maris partem.* Et post eum Claudianus iis versibus (*a*):

. . . . Et antiquae muros egressa Ravennae
Signa movet, iam ora Padi, portusque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Aestruat, & pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque littora fluctu.

XXIII. Profecto eiusmodi maris fluctibus iis in locis perennis continuatio, & impetus, ut alveum sibi profundum quempiam aperuerit, necessarium fuit, quem propterea Plinii aetate *Padusam* vocatum, si coniectando dicamus, fuerit, aut certe ostium ipsius, perbelle nobis videtur, Plinianum ipsum textum eo exponi posse sensu, ut Padus quondam Messanicius appellatus Augusta fossa Ravennam usque fuerit inde pertractus, ubi Padusa vocatur. Quippe a Pado nempe Massanicio fossa prodibat usque ad Classem pervecta, teste Iornande: *Eridanus ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus, qui septima sui alvei parte mediam influit civitatem ad ostia sua amoenissimum portum praebens, classem biscentum quinquaginta navium, Dione referente, tutissima dudum credebatur recipere statione.* Si qui ad Classem usque alveus perveniret, sive ostium ipsius tantummodo dictum *Padusa* fuisset, nonne fossae eiusdem terminus fuerat exprimendus? Haec sane mirum in modum constare videntur, ubi diversa inter se *Padoam*, atque *Padusam* censeamus, quae licet Cluverius, Cellarius, aliique non pauci eruditi Geographi confunderint, quum tamen prolatis haud tabulis rem confecerint, ab eorum nobis licitum erit sententia recedere, quos ceteroquin nos colimus, & magni facimus, statuentes propterea, nomina illa duo, non unum reapse nomen habendum esse, quae re quidem vera distinxerat olim Valgius iis, quos supra etiam retulimus, versiculis:

Et placidam Fossae qua iungunt ora Padusam
Navigat Alpini flumina magna Padi.

D 2 En

(*a*) De sexto consul. Honor. Carm. 28. vers. 494.

En Padus a Padusa manifeste discretus per Valgium apud Servium, si Servii ea sint omnia, quae in Virgilii Aeneides commentaria habentur. Eo autem freti praecipue non pauci Padusam Primarii Padum dixere; quum enim Virgilius (*a*) Padusae meminerit iis versibus:

Haud secus atque alto in luco cum forte cavernae
Consedere avium, piscosove amne Padusae
Dant sonitum rauci per stagna loquacia Cycni;

vox illa *amnis* offendit, quasi vastae paludi significandae inepta, dictaque proinde de ipso Pado. Verum nonne Pado veluti vectigale flumen palus illa haberi, concipive poterint? Nonne piscosus amnis piscatoribus esse maeandri ii plures poterant paludis ipsius, in quibus piscarentur? Utcumque tamen res sit, aptissima nobis est itineris per Padum a Luciano saeculo altero vulgaris aerae facti descriptio. Haec autem ait (*b*): *Quum enim quererer*, & *sciscitarer*, *quando ad populos electrum de se praebentes venturi essemus*, *irridebant nautae*, & *quid vellem*, *iubebant*, *planius dicerem*.... *Quinam haec tibi dixit impostor mendax*? *Ac denuo nautas interrogabam*, *cum adhuc navigaremus*. *At cycni quando vobis dulce illud melos accinunt hinc atque illic fluvio incumbentes*? *Tum illi ridentes*, *tu homo*, *inquiunt*, *non desines falsa hodie de regione nostra*, & *de fluvio dicere*? *Nos autem qui semper navigamus*, & *fere a pueris nauticam in Eridano exercemus*, *paucos quidem cycnos in fluvii paludibus nonnumquam cernimus*. Quae sane verba Cluverio etiam notissima demonstrant, numquam in Pado stetisse cycnos, sane in fluvii omnino paludibus, quos quum *piscoso in amne Padusae* stare Virgilius dixerit, manifestum est, non Padum ipsum amnis nomine, bene vero paludem intellexisse: & quidem revera non flumina natura cycnus, Ovidio teste (*c*), sed stagna colit, patulosque lacus. Deinde nil clarius hac in re Claudiani testimonio sit, qui Padusam recensens eam hoc pacto a Pado distinguit (*d*):

Eri-

(*a*) Aeneid. lib. XI. vers. 456.
(*b*) Libro de electro.
(*c*) Metamorph. lib. 2. vers. 377.
(*d*) In epital. Pallad. carm. 31. v. 109.

Eridani ripas, & raucae stagna Padusae
Diffugiens nudavit olor.

Quare ad saeculum usque aerae vulgaris quartum, quo Claudianus vivebat, quae supersunt, monumenta ostendunt, *Padusam* haud cum ipso Pado, eiusque propterea ramo, quem *Padoam* Polybius dixerat, confundendam esse.

XXIV. Verum ne protulere quidem docti viri tabulas, quibus *Fossam*, quam memorat Plinius, *Angustam* dicendam potius *Augustam* ostenderent, factam scilicet ab Augusto Imperatore. Iornandes utique, quem laudavimus, aperte ait: *Ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus*. At quinque a Plinio saeculis longe distans Iornandes, qui temporibus iam barbaris floruit, doctisque suspectus facile potuit opinionem nobis creduli vulgi propinare. Procopius enim, qui ea circiter aetate vivebat, atque Sidonius Apollinaris saeculi praecedentis scriptor innuunt quidem, eamque recensent fossam, penes utrumque tamen altum de Augusto silentium. Sed & Plinius ipsam vetustis Tyrrhenis factam, minime autem ab Augusto aperte asseruit, quod certe quidem haud reticuisset ille. Quod autem palmare est, tum Valgii, tum Apollonii Rhodiensis temporibus ea exstiterat fossa, qua iungeretur Pado Padusa. Valgii versiculos superius habes, qui Augusti aetatem centum certe annis supra quinquaginta praeivit. Apollonius vero, qui annis ante vulgarem aeram biscentum floruit, & ipse a palude, quae Padusa erat, fossam, sive alveum distinxit iis versibus (*a*):

. . . Ἡ δ᾽ ἔσσυτο πολλὸν ἐπιπρὸ
Λαίφεσιν. ἐς δ᾽ ἔβαλον μύχατον ῥόον Ἠριδανοῖο
Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο
Λίμνης ἐς προχοὰς πολιβενθέος·

quos sic in Latinum Iohannes Hartung vertit:

Ipsa vero incitata multum ulterius
Velis pervenerunt in intimum sinum Eridani,
Ubi ardentis ictus secundum pectora fulmine
Semicombustus Phaethon cecidit de curru solis
Paludis in alveum valde profundum.

Ecce

(*a*) Argonaut. lib. 4. vers. 595.

Ecce fabulantem Apollonium paludis in alveum, minime in Padum ipsum Phaetontem delapsum.

XXV. Eam autem Fossam *angustam* dictam censemus, sicuti in Plinianis editionibus plurimis, & quidem praeclarissimis etiam post Cluverianam correctionem legitur, vel quia reapse esset angusta, vel ea comparata potius tum ad vastiorem locum, unde aquas desumeret, tum ad Padi fluminis ramum, qui in paludem flueret, ex quo facilius intelligas, cur ab Iornande *altissima* fuerit vocitata, eo vel magis quod quae Plinii aetate fossa erat angusta, adaucta, postea maior, altiorque effecta fuerit, adeout iure, atque merito eam altissimam dixerit Iornandes. Non igitur doctissimo assentimur Antonio Iosepho Comiti a Turre Rezzonici, qui non solum Augustam Fossam, eamque Augusti opus Iornandis testimonio sustinet, sed etiam Harduinum sugillat, miratus, eum depravatis, ut ille falso supponit, codicibus tuto adhaesisse. Non satis autem bene intelligimus, quid ei liceat inferre ad rem ex Plinii indole, qui fossarum primaria nomina nusquam fuerit oblitus: Iis enim hic omnis est de recta Pliniana lectione, quam ex Plinii indole undenam quaeso erit arguere? Non diffitemur, Fossam hanc a Nicolao Lloydio (*a*), a Morgagnio (*b*), aliisque appellatam *Augustam*, imo ab ipso Rubeo in sua Ravennati historia (*c*). At quid inde? Iis potius singulis depravatos prae manibus fuisse codices dicendum est, & eorum nonnullos in codicibus ipsis securius, ac minus attente quievisse. Quod vero etiam assertum est aliquando, Angustam fossam alveum fuisse illum, qui Sancti Alberti deinde dictus, a vero nobis longe videtur: ea quippe a Pado Ravennam usque trahebatur ipsis Plinii temporibus, quibus a Sancti Alberti flumen millia passuum XII. distabat, & ubi eiusdem ecclesia anno MCCLIX. constituta est, Insula erat. Qui ergo fieri potuerit, ut e Sancti Alberti Ravennam usque in illa locorum tanta distantia perveniret Padus, quum illo praecipue loco verum esse debuerit mare? Sed

(*a*) Dictionar. Histor. Geograph.

(*b*) Epist. Aemil. III. art. 3.

(*c*) Lib. I. pag. 10

Sed a Padi Messanicii ostio diffluentibus undis, quae suum veluti mare portenderent, fossa erat, qua Ravennam ipse traheretur Padus, quam cum *Fossa Asconis* confundunt nonnulli, cuius meminit Iornandes (*a*): *A septemtrionali quoque plaga ramus illi* (Ravennae) *ex Pado est*, *qui* Fossa *vocatur* Asconis: *a meridie idem ipse Padus* *ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus*. Porro a septemtrionali Ravennae plaga, Iornande teste, *Asconis* erat *Fossa*; contra vero *Fossa Angusta* Ravennam a meridionali ducebatur, quum perducta Classem usque portum illum praegrandem, qui Iornandis aevo nullus erat, antiquis iam temporibus efformarat. Si haec paullulum advertisset Cluverius, *Asconis Fossam* haud cum *angusta* permiscuisset, neque *mirifica* ei visa fuisset, *& perquam absurda Augustae Fossae descriptio* Iornandis. Plinius certe eam *Asconis Fossam* reticuit, argumentum evidens neque eius aetate exstitisses; unde non a Pado eam exiisse dicendum superfit, sed ramum fuisse, uti eam revera Iornandes appellat, derivatum a *Fossa Angusta*, quae a Pado est, productumque usque Ravennam orientem versus a septemtrionali plaga, ex qua communicantibus invicem tum *Fossa Angusta*, tum ipsa *Asconis*, fieri poterat, ut haec non secus atque altera ab occidente ad meridiem Ravennae verteretur, erumpensque demum ad orientem circumdaret urbem. Itaque fidenter asserere nobis liceat, neque *Asconis Fossam* cum *Angusta* confundendam, neque hanc ab Augusto factam, adeout propterea *Angusta*, non *Augusta* dicenda sit, quod sit verum eius, ac proprium nomen, quo Plinii aetate ipsa insigniretur. Inquirant alii, an huius Fossae Asconis ab Odoacre Rege saeculo IV. confectae, ut Historici docent, traduntque, vestigia exstent apud Agnellum in vita Maximiani Archiepiscopi Ravennatis, ubi ait: *Morabatur extra portam S. Victoris non longe a fluvio*, *qui vocatur Fossa Sconti* *eieceruntque eam extra civitatem in loco*, *qui dicitur Fossa Sconii iuxta fluvium lapidibus obruerunt*. Quod demum attinet ad *Messanicii* vocem, licet pluribus codicibus, ac typis impressis libris *Messanicus* sit, eruditi diu eius ori-

(*a*) Loco super. citato.

originem ignorarunt. Doctus vero Comes de Turre Rezzonici a Messeniis Graeciae populis nomen deductum sibi facile persuadet eadem ratione, qua Messanam urbem ab eis in Siciliam conditam nuncuparunt.

XXVI. Sed regio isthaec omnis mirum in modum faciem immutare suam certe quidem debuit anno DC. quo, uti Paullus Diaconus Casinas refeat (*a*) *fuit diluvium in finibus Venetiarum, & Liguriae, seu ceteris regionibus Italiae, quale post Noe tempora creditur non fuisse*. Quis divinabit facile, quot ex praegrandi illo diluvio diversae fuerint fluviorum abruptiones factae? maxime quum saeculo iam quarto, quo nullum regionibus istis infestius, barbaris hostibus undique invadentibus, atque depopulantibus omnia, accolisque fugam arripientibus, paludes, & ipsa haud usque alveata flumina nullis aggeribus defensa, derelicta fuerint, quae erupisse quocumque, necessarium est coniectare, vallibus efformatis quamplurimis, & urbibus quasi obtrutis ipsismet. Rei, quam asseruimus, testis gravissimus sit auctor saeculi illius Sanctus Ambrosius, qui de iis regionibus loquens ait (*b*): *Tot ergo semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera.... praesertim cum illa in perpetuum prostrata, ac diruta sint*. Sed cura, ac opera Smaragdi Exarchae Argentae oppidum, & Ferraria urbs constitere cincta moeniis, si haud nos fallat Rubeus: *Smaragdus*, ait (*c*), *Argentam, & Ferrariam, quae iam inde a principio cum Ravennatibus se contra Longobardos coniunxerat, muro cinxit*. Haec quidem Rubeus. Sed nobis sit gradus ad alia.

II. Spineticum.

XXVII. *Pelasgi*, ait Dionysius Halicarnassaeus (*d*), *cupientes oram Italiae sibi proximam contingere applicuerunt ad unum e Padi ostiis, nomine Spineticum hi eo loci manentes castra cinxerunt moenibus & condiderunt urbem cognominem ostio fluminis*. Plinius vero, uti superius

(*a*) De gestis Longobardor. lib. 18.
(*b*) Epist. 39. ad Faustinum.
(*c*) Hist. Raven. lib. 4. ad ann. 604.
(*d*) De antiquit. Roman. lib. 1.

perius diximus: *Proximum inde ostium*, inquit, *magnitudinem portus habet, qui Vaterni dicitur, quo Claudius Caesar e Brittannia triumphans praegrandi illa domo verius, quam nave intravit Adriam. Hoc ante Eridanum ostium dictum est, aliis Spineticum ab urbe Spina, quae fuit iuxta praevalens, condita a Diomede*. Alterum ergo hoc est ostium Padi, *Spineticum* appellatum, de cuius situ, & cognominis urbis hic iuvat inquirere.

XXVIII. Sane *Spineticum* ostium, quod *Eridanum* etiam dictum est, non longe esse a loco debebat, ubi in Padum Vaternus amnis effluens portum, Plinio teste, efformaret: *Proximum inde ostium magnitudinem portus habet, qui Vaterni dicitur ... auget ibi Padum Vaternus amnis ex Foro Corneliensi Spineticum*. Itaque *Spineticum* ostium reperiendum superest, ubi ex Foro Corneliensi procedens fluvius Vaternus Padum adaugens portum Vaterni dictum efficeret. At recta e Foro Cornelii exiens Vaternus, qui ab indigenis *Santerno* nunc appellatur, Padum nonnisi in ostium *Padoae* influere poterat super *Fossam Angustam*, ibi sive unius ipsius fluctibus, sive aliis concurrentibus undis auxiliaribus, portus magnitudinem habens, quo Claudius Caesar praegrandi illa navi, fortasse per ostium Olane ultra progrediens, Adriam intravit, hoc est non Adriaticum mare, quemadmodum nos quidem opinamur, sed urbem ipsammet Adriam; de qua tamen re videndus tum Silvestrius (*a*), tum Comes de Turre Rezzonici (*b*), qui Plinianae narrationi mire congruere censuit, quod de suis nautis Martialis vulgatum refert (*c*):

Vaterno, Eridanoque pigriores;

ut videlicet intelligamus, Eridani impetum per Adrianas paludes egestum, fluviumque largius vomentem septem maria effecisse, uti opinatur ille, Vaternique iunctum maximarum navium capacem exstitisse. Sed consule Morgagnium (*d*), & maxime, si lubet, ea, quae de septem maribus superius

E disse-

(*a*) Delle Paludi Adriane pag. 24.

(*b*) Disquisition. Plinian. lib. 9. pag. 45. Tom. I. in notis.

(*c*) Epigramm. 67. lib. 3.

(*d*) Epist. 8. 16.

disseruimus. Igitur super ipsam Angustram Fossam *Spinetici* ostii principium erat in eodem ostio *Padoae*, & iuxta olim urbs *Spina* fuerat, sicuti idem tradit Plinius. Qui septem circiter sacculis a Spina urbe condita floruit Strabo, sic de ea loquitur (*a*): *Spina hoc quidem tempore viculus, at quondam Graeca civitas eam, ut traditur, unda maris alluerat; nunc locus* XC. *a mari stadiis distans in mediterraneis iacens*. Ex Cluveriana ratione millia passuum XII. nonaginta stadia sunt. Iam vero Strabonis ipsius aetate in paludibus Ravenna erat inter maris aestus, uti supra dictum est. Quare vel Spina urbs longe Ravenna aberat occasum versus XIV. millia passuum. Quod vero addit Strabo, Spinam in mediterraneis iacuisse, ita habeo, non perpetuam Spinam inter, atque Ravennam continentem fuisse, adeout circa ipsam Spinam urbem paludes non essent, quum de ea recte potius dixeris, quod de Ravenna ait Sidonius (*b*): *Facilius territorium habere potuit, quam terram*.

XXIX. Quaerens autem Mazochius de *Spinae* nominis etymologia, non dubitat, quin sit ab Hebraeo ספינה *Sepina*, sive (absorpto *sceva*) *Spina*, quae vox Ionae capite primo vers. 5. *navim magnam, ac tectam* designat: eamdem etiam dictionem & Chaldaeo, & Syro, & Arabico sermone frequentem esse ad *navim* significandam. Cur vero hoc ostium *Spineticum* dictum sit a *navi*, in promptu ratio est: nam olim ex Padi ostiis hoc maxime capax maiorum navigiorum erat, idque antiquioribus ipsis temporibus, quod auctor ostendit Dionysii Halicarnassaei, Pliniique verbis supra a nobis allatis; ex quibus concludit, dubium haud esse, quin hoc nomen ostio eidem, ac portui a navibus maioribus inditum fuerit, sicuti hodiedum inter Ravennam, Padumque alveus est, diversus tamen a *Spinetico*, qui utpote commeatibus serviens, vulgo appellatur *canale del naviglio*, sive *di S. Alberto*. Deinde vero neque assentitur Plinio, qui ab urbe *Spina* manasse ait, ut ostium *Spineticum* diceretur: nam & vocabulum ספינא, *Spina*, hoc est *navis* alveo,

(*a*) Lib. 5. (*b*) Lib. 1. epist. 8.

alveo, portuique, quam urbi eſt accomodatius, atque Dionyſius ante urbis illius conditae tempus oſtio id nomen tribuit. Quod ſi tamen urbi potius, quam oſtio *Spinae* nomen *impoſitum* pertendis, negat Mazochius, hanc a Diomede primitus conditam, quod ſcribit Plinius, ſed ex nominis orientalis indicio facile credit, illam a Tuſcis initio poſitam, poſtea a Diomede auctam, & latius aedificatam: urbem autem ipſam appellatam *Spinam*, quia navium ſtationem fidiſſimam haberet, ſive etiam ob hanc, quae ſequitur, cauſſam. Plures, eaeque clariſſimae urbes fuerunt, quae *Thebae*, ideſt *arcae*, ſive *naves* dictae ſunt, non alia ratione, niſi quia quum μεσοποτάμιοι eſſent, ideſt *interamnes*, ſpeciem arcae aquis circumfluae praeſeferebant. Ob eamdem cauſſam urbs haec (ſi modo prior, qua oſtium, nomen *Spinae* nacta fuerit) *Spina*, nempe *navis* appellata a Tyrrhenis fuit. Sed malvut auctor ipſe, quod Dionyſius innuit, etiam prius id nomen adeptum, quod poſtea, Plinio teſte, *Vaterni oſtium* frequentius dicebatur. Hoc autem ipſum *Vaterni*, ſeu *Vatreni* nomen, etſi aetate Plinii altero eſſet uſitatius, antiquiſſimum tamen, ac certe Tuſcum fuiſſe, Orientalis eius docet origo. Nam derivatur ἀπὸ. τῦ בתר *batter*, quod eſt *dividere*, aut a בתר *beter*, *portio*. Quum enim oſtiis Padi tota illa regio plures intercideretur in partes, ea ex Tuſcorum φυλαῖς, hoc eſt *tribubus*, cui pars inter *Spineticum*, & proximum oſtium obtigiſſet, forſitan dixerit ה בתתנו *hu vatrenu*, *haec noſtra portio* eſt; atque hinc *Vatreni* nomen ei oſtio haeſerit. Qui locorum ſexcentas ἐπικλησίας, nempe *appellationes*, in Geneſi obvias legerit, hanc certe illis apprime conſentanea non diffitebitur.

III. Caprasia.

XXX. Inter Spineticum oſtium, atque Olane alia duo Padi oſtia intererant, *Capraſiae* nimirum, & *Sagis*. Plinius enim oſtiorum ſeriem pertexens poſt Spineticum ſubdit: *Proximum inde oſtium Capraſiae, dein Sagis, dein Volane*. Itaque ſub Trigabolis Padoae oſtium dividebatur certe ſive in ra-

mum unum, sive etiam in duos: neque enim facile quis divinabit, an uterque *Caprasiae*, atque *Sagis* ramus ab ostio Padoae, an ab eo potius *Caprasia*, ab Olana vero *Sagis* manaverit, multoque minus ubi eorumdem esset ostiorum caput. Nos hoc pacto ea ponemus in chorographica tabula, ut *Caprasia* ab ostio Padoae, ob Olane vero *Sagis* prodiret. Quemadmodum autem, ait Mazochius, *Spineticum* ab urbe *Spina* nomen obtinuisse, Plinio verisimile fuit; sic *Caprasias* villarum plurium ad ostium hoc positarum fuisse nomen, dndeque ostium eodem postea nomine dictum, facile crediverim. Utut est, certe nomen ostii hoc ipsum, quod dixi, significat: nam *Caprasiae* est כפרי-ציאה *capre sia*, idest *villae*, aut *oppida ostii*, sive *exitus*. Prior vocabuli pars Hebraeis, Syris, Arabibusque *pagum*, aut *parvum oppidum* notat: in posteriori vero parte ne quis miretur, *sia* pro *iesia* esse: nam in יצא *iasa*, *exivit*, & eius derivatis perquam est familiaris primae litterae aphaeresis. Voluere nonnulli, quod nunc *Magnavacca* dicitur antiquam esse *Caprasiam*. Sed hunc *Caprasiae* alveum censent alii, qui VI. circiter millia passuum infra Ferrariam urbem ad vicum *Codrèa* dictum, ac Volanae alveo divertens, nomen vulgo habet *Verniese*, sive *Verginese* a vico cognomine non longe sito. Aliis visum est, *Caprasiam* cum Volana confundere, ubi pone Ferrariam ipsam Padum in *Padusam*, & *Caprasiam* dividi, aperte, sed contra omnem antiquorum fidem dixere. Denique Cluverius opinatus est (*a*), *Caprasiam* eam esse, quae in quibusdam chorographicis tabulis *bocca di bell'occhio* appellatur. Saepius memoratus Comes de Turre Rezzonici eidem assentitur. Verum obscurior, & satis incerta nobis est ostii huius investigatio, quum immutata praesertim locorum facies stagnis Comaclensibus fuerit, quae ab Italis *Valli di Comacchio* dicuntur, quibus veteres Padi meatus immane deturbati fuere, atque extincti,

IV. SAGIS.

XXXI. Post Caprasiae ostium *Sagis* a Plinio recensetur, dein

(*a*) Ital. antiqua pag. 339.

dein Volane, ſubditque: *omnia ea flumina Aſagi fecere Tuſci*. Nemo eſt, quin in hoc *Aſagi* difficultatem ſentiat. Rem erudite ex more perpendit Mazochius. Vel enim ea vox *Aſagi* iunctim, vel in duas diſtincta *a Sagi* ſcripta a Plinio. Si ſic diſtinctam habeas, ſignificare videtur, foſſas omnes, quae a *Sagi* Volanem verſus ſunt, a Tuſcis factas, quum tamen inter *Sagim*, & *Volanem* medius nullus alveus ſit. An non ergo inepte dixit: *omnia a Sagi facere Tuſci*? Credidit aliquando Mazochius idem, id ſignificari, omnia quidem a Tuſcis facta, ſed primum, quod fecerint, oſtium fuiſſe *Sagim*. Id ſi eſt, illud *a Sagi* non loci, ſed temporis ordinem complectitur: nec damnat Mazochius eos, qui *Sagim* hic oppidi nomen fuiſſe volunt, a quo Tuſci fodere incoeperint. Verum his miſſis, ut aliquid retruſius, ac ſimul credibilius afferat vir doctiſſimus, hoc primum docet, Padi foſſas, per quas impetus amnis egeritur, uti nunc in utraque ripa vallantur aggeribus ad prohibendam illuviem, ſic olim quoque eiſdem ſeptas, ac permunitas fuiſſe; alioquin tabefactis verno tempore nivibus (ſive *ad canis ortum*, ut ait Plinius, quod hic ex Polybio didicit, qui dixit (*a*): περὶ κυνὸς ἐπιτολὴν αὐξόμενος ὑπὸ ἀνατηκομένων χιόνων, *ad canis ortum augetur*, *liquatis nivibus*), tabeſcentibus, inquam, nivibus, omnis Circumpadana regio ſub vadis delituiſſet. Ac ſane aggerum, quibus amnium ripae utrimque vallantur, multa ubique exſtat apud antiquos mentio. At huius rei ſignificantia ineſt vocabulo *Sagis*, quod fit ab Hebraeo סוג *ſug* (cuius tum praeteritum, tum participium eſt סג *ſag*) quod verbum Canticorum capite VII. verſ. 2. *ſepire* ſignificat: eademque notione idem verbum paſſim a Chaldaeis, ac Syris uſurpatur. Si autem quaeras, cur unus ex Padi alveis vocaretur *Sagis*; reſpondebitur, quia ea vox *ſepem* ſignificat, nimirum quia ipſe aggeribus utrimque erat ſeptus. Iam vero in recitatis Plinii verbis ſi in illo *a Sagi* oppidi nomen indicari cenſeatur (id quod plures opinati ſunt Pſeudo-Cationis auctoritate, a quo *Saga*, antiquum Etru-

(*a*) Lib. 2. cap. 16.

Etruſcorum oppidum, quod interiit, in hoc tractu ponitur) quod *Aſagis* dicendum ſuſpicatur Comes de Turre Rezzonici ab *Aſagis* populis conditum, dicendum eſt, ab incolarum opificio id oppidum nomen traxiſſe, quod oppidani in perfodiendis, vallandiſque alveis operam impenderent. Certe etiam Pſeudo-Catone valere iuſſo, in Peutingeriana Tabula *Sacis ad Padum* eadem in regione occurrit, quod oppidi nomen eſſe potuerit. Ex quo porro ſequitur, illud *Tuſci a Sagì* idem fore ac *Tuſci domo Sagì*: non enim quilibet Tuſci operum illorum auctores erant, ſed uni *Sagitani*. Quid autem ſi ſcriptio altera verior ſit: *primi Aſagi* (iunctim ſcilicet) *fecere Tuſci*? Pulchra ſane lectio, ait Mazochius, qua ſignificatur, quoddam fuiſſe Etruſcorum genus, qui ab opificio dicerentur *Aſagi*, Hebraiee חיסגים *Haſſagim*, *ſepientes*; adeout emphatica prima littera vocabuli evaſerit pars, quod non raro contigit: unde poſtea, ſpiritu remoto, *Aſagì* dicti Italis fuerint. Crediderim, eorum opus Padi alveos fuiſſe, eoſque a *ſepiendo* nimirum, & vallando dictos *Aſagos*. Teſtis Silveſtrius eſt in ſaepius memorato opere, populos *Aſſagos* patrio appellari idiomate, quos & apud Leandrum Albertum (*a*) reperies. Profecto quis ferat Cluverium, qui nulla fretus antiqui ſcriptoris auctoritate illud *a Sagì* in *a Pado* mutaverit? Quid enim ſimile? Sed nota eſt viri doctiſſimi in emendando licentia, & cacoethes. *Sagis* Fabricio eſt, qui nunc *Gaurus*, haud longe ab urbe Saga prorſus exciſa inter Volanam ad meridiem, & Carbonariam ad ſeptemtrionem. Aliis, laudato in primis Cluverio, Sagis eſt, quod modo *Magnavacca*, publicum diverſorium, de quo ſupra meminimus, appellatur. Aliis oppidum neſcio quod *Foſſagge* dictum, & variante dialecto *Foſſegge*, quod ipſum *Sagis* nomen referre videatur, quaſi nimirum *Foſſa Sagis*. Aliis demum, ubi locus *Porto maggiore* vocatus iacet, ubi etiam & portus non pauci dicuntur adhuc, *Foſſa di porto*, *Porto di rotta*, *Porto di Ferrara*; quibus ex nominibus colligunt, ibi maris portum

(*a*) Deſcrizione dell'Italia; art. *Romagna di là dal Pò* pag. 308. ediz. di Bologna del Giaccarelli.

tum exſtitiſſe quondam, & proprie *Caprasiae*, eo vel magis quod haud longe villa, cui nomen *Corno di capra*, ſit, quaſi indicium nobis, antiqui eo loci *Caprasiae* cornu per Padum facti. Verum hae ne coniecturae quidem ſunt, ſed hariolationes ſaepius abhorrentes a vero. Veroſimilius opinati ſunt alii, antiquum *Sagis* illud eſſe, quod noſtris temporibus *Verginese* appellant. Ferrio demum (*a*), atque Bernardo Treviſanio (*b*) viſum eſt *Sagim* cum *Caprasia* confundere, quae loca manifeſte diſtinxit Plinius. At de hac re nil certi, nilque explorati nos habemus.

V. Olane.

XXXII. Quod olim Polybio contigerat, ut adventum Gallorum in Italiam recenſens, in adventus eiuſdem gratiam Padi fluminis in primis deſcriptionem ſuſceperit, id ipſum fere vel contigit nobis, ut Inſulae Pompoſianae ſtatum inquirentes, quum eam inter Padi oſtia compererimus, oſtia ipſius fluvii ſingula perſcrutari, ac veluti ſub oculis ſubiicere cogitaverimus. Iam vero Inſulam eamdem in *Volanae* oſtio, de quo hic inveſtigare aggredimur, iacuiſſe olim, noſtriſque iacere temporibus, omnibus perſpicuum eſt. Hoc unum Padi oſtium eſt vetuſtum, adhuc nomen ſervans, cuius caput ad Trigabolorum ſedem erat, eodem Polybio teſte: *Padus ubi ad Trigabolos, quos vocant, pervenit, in duas ſcinditur partes. Oſtiorum alteri nomen Padoae, alteri Olanae*. Plinius vero, poſtquam *Sagis* oſtium commemoraverit, *Volane* ſubſequi docet, *quod ante Olane vocabatur*, quemadmodum a Polybio reapſe dictum eſt. Alterum itaque antiquiſſimum, ac verum Padi oſtium *Olane* erat una cum altero *Padoae* oſtio, de quo initio loquebamur, alvei enim ceteri (ſi *Spineticum* fortaſſe excipias) erant minores, & niſi manufacti, certe a Tuſcis perfecti ad vim egerendam amnis. *Olane* etymologiam, ut abſolet, inquirens Mazochius, quum in Chiffletiano Plinii manuſcripto codice ſit *Alana*, dubitavit ali-

(*a*) Iſtor. di Comacchio lib. I. capit. 3.

(*b*) Della laguna di Venezia punto ſecondo pag. 19.

aliquando, utrum ab Arabico verbo עלן *alana*, quod eſt *patefacere*, veniret, uta ut vox *Alana*, ſive *Olana*, *oſtium* notet, ſeu *aperitionem*, per quam amnis egreditur. Deinde vero quum aegre ferret, ex Arabico fonte Tuſcorum etyma deducenda eſſe, quae multo reperit ſemper in Hebraea, Chaldaea, Syriave linguis aptiora, advertit, *Olana* vocabulum ex Hebraea voce derivare עלה *ala*, *aſcendere*, ex quo adſcita lettera *n* (qnia, inquit, hoc genus verborum quieſcientium tertia ſaepe in derivatis aſſumit litteram eamdem in fine) fit *Olan*, hoc eſt *aſcenſus*, qnod vocabulum Graeco reſpondet ἀνάπλους, quod de fluminum navigabilium oſtiis uſurpatur, quoties a mari ſurſum verſus enavigatur. Hinc Strabo in ſuis fluminum deſcriptionibus habet ubique penſi adnotare, an ea ἀνάπλουν habeant, hoc eſt *aſcenſum navium*, ſive a mari ſurſum verſus navigationem, aut quouſque, ſive quotum ſtadium ſit ἀνάπλους. Verum ne plura: Polybium in medium afferre ſatis ſit, qui de *Olana* ipſa appoſite *aſcendendi* verbo utitur: Ἀναπλεῖται δ᾽ ἐκ θαλάττης κατὰ τὸ στόμα τὸ καλούμενον Ὄλανα, σχεδὸν ἐπὶ διχιλίους σταδίους. *Aſcendunt in eo* (Pado) *naves e mari per oſtium Olanen ad bis mille propemodum ſtadia*. Ex quibus manifeſtum eſt, quod ἀνάπλους, ſive *aſcenſus* ſit oſtiorum navigabilium celebratiſſima vox. Atqui *Olane* (ſive gutturali prima littera in digamma mutata, unde erit poſterior Pliniana appellatio *Volane*) ſi ex Hebraeo exponatur fonte, tantumdem plane erit, quod ἀνάπλους, de qua etymologia neque aliquantiſper dubitandum cenſet eximius auctor.

XXXIII. Iam vero Padanus Volanae alveus portum ad mare habebat, eodem teſte Polybio, omnium tutiſſimum inter omnes Adriatici maris: *Oſtiorum alteri*, ait, *nomen Olane*, *ubi portus nulli omnium*, *quos habet ſinus Adriaticus*, *inferior ad ſecuritatem adpellentibus praeſtandum*. Huic certe oſtio Padi nullam fere mutationem contigiſſe apparet, cui & nomen ſervatum adhuc, & alveus licet aquis remiſſior, & portus ſatis commodus, de quo in altera noſtra dicemus diatriba. Illud dumtaxat adnotandum eſt, alveum ipſum ma-

magis, quam nunc protrahitur, fortaſſe protractum olim, & ad mare uſque perveniſſe, ubi portus ille tutiſſimus erat. Pompoſianae, quae deinde fuit, Inſulae ſitus, ac reliqua circumiacentia loca inter *Olane* oſtium, & *Carbonariam*, de quo mox dicemus, requirenda ſunt. Monaſterium autem aedificatum non longe ab ipſo Olane portu occidentem verſus, & ad alvei eiuſdem ſeptemtrionalem partem.

VI. Carbonaria.

XXXIV. Quinque priora Padi oſtia, quae commemorat Plinius, ſubſequuntur *inde*, ut ait ipſe, *oſtia plena Carbonaria, ac Foſſiones Philiſtinae*. Hoc autem *Carbonariae* oſtium ipſo ſuo nomine prodit, quemadmodum advertit Mazochius, unam ex foſſis illis eſſe non natura, ſed arte per Tuſcos excavatis, additque, hodiedum id genus foſſas, quae a ruſticis ad *ſiccandam* in agris paludem fiunt, a noſtratibus agricolis *ſeccatoj* vocari, ſive *aſſeccatoj*. Neque aliud praeſefert *Carbonariae* nomen: nam a verbo Hebraeo חרב *charab*, hoc eſt *ſiccari* fit Hebraicum nomen חרבין *charbon* (cuius tantum plurale reperitur in Pſalmo XXXII. verſ. 4.) ideſt *ſiccitas*, & Chaldaicum חרבונא *charbona* ſignificationis eiuſdem, quod citat Aruch ex Targum Hier. Deuteron. XXVIII. verſ. 27., etſi ibi in noſtris editionibus hodie גרבא *garba* legatur, quae eſt *ſcabies ſicca*. Ergo, concludit Mazochius, apud Tyrrhenos *Carbona*, ſive (quum rhotaciſmo maxime laboraverit Etruſca dialectus) *Carbonar* foſſa erat ad emungendam paludem facta, unde terminatione Latina eſt *Carbonaria*.

XXXV. Verum adhuc levis controverſia eſt inter eruditos viros a Plinianis verbis: *inde oſtia plena*. Teſtis eſt Comes de Turre Rezzonici, in antiquis codicibus, ac primigeniis impreſſionibus Plinianorum operum ſic eam dictionem haberi: *inde oſtia a plena Carbonaria*, adeoque coniunctim vocem lecturus oſtium aliud Padi in Plinium invexit, quod *Aplena* vocavit, Plinii ipſius aetate ſuper *Foſſiones Philiſtinas* una cum *Carbonaria* viſendum exſtitiſſe, reiicitque Harduinianam lectionem, qua littera *a* exploſa eſt, & ſo-

lum *inde ostia plena* lectum, quemadmodum uterque manuscriptis praesefert Ambrosianus codex, quum non probe intellexerit laudatus homo doctus, quid sibi velint *ostia plena*, quae certo aliis minime maiora essent, quinimo & nulla fuisse videtur, falso tamen, innuere Silvestrius, falso, inquam, quum *Carbonariae* ostium post *Volana* aperte in Plinianae Geographiae tabula ipse recenseat auctor. Fatemur quidem, haud satis nos Plinii verba intelligere, in quibus etiam errorem cubare suspicamur. Nihilotamensecius non facile novum illud, ignotumque adhuc ostium Padi in scenam admittere voluerimus. Eritne dubitandi locus, non *Aplena* veluti ostium alterum scripsisse Plinium, sed *ostia aplena Carbonaria*, *ac Fossiones Philistinas*, hoc est *non plena* ab *a* Graeca significatione negante, & Latina voce *plena*? Non unum est rei huiusmodi Latinis in scriptoribus saltem post Augusteum saeculum exemplum. Verum nos retinendam censemus Harduinianam lectionem, coniectantes *plena* ea ostia dicta a Plinio, *Carbonariam*, ac *Fossiones Philistinas*, quae re quidem vera plena, ac turgida essent, non tam ubi e Pado exirent, quam potissimum adaucta superioribus amnibus, qui una simul eo loci paludes efficerent Adrianas, de quibus alibi locuti sumus. Omnia tamen nobis incerta, & adhuc eruditis provincia superest, clarius, certiusque Plinianum hunc textum enucleare, quod bene cedet aliquando fortasse, ubi antiqui alicuius manuscripti codicis optima lectio sit. Contendit Silvestrius (*a*), *Carbonariae* ostium esse, qui deinde Laureti portus dictus est, ac tandem *bocca delle fornaci*: Sardius vero, qui nunc *porto delle donzelle* vocatur. Sed penes ipsos sit fides.

VII. Fossiones Philistinae.

XXXVI. Ultimum alveum Padi *Fossiones Philistinas* recenset Plinius, nosque habemus, quas opus a Philistaeis peractum probabili, erudita certe coniectura colligit Mazochius, cui illi consentient quidem omnes, qui Phoenices primos Italiae

(*a*) Delle paludi Adriane pag. 95.

Italiae colonos faciunt. Conſtat enim hos ſacris in litteris Philiſtaeos appellari, ut oſtendit egregie Conradus Ikenius (*a*), neque hac de re aliquantiſper Mazochius dubitat, addens *Peleſtinos* in vicina Umbria fuiſſe, quos diſerte Plinius (*b*) in cenſum populorum Umbriae retulit; Umbriam autem a Tuſcis habitatam, antequam inde a Gallis exigerentur, idem Plinius, ubi de Umbria agit, teſtatur. Quin & Umbri ipſi, aut antiquiores Tuſcis erant, aut paris certe antiquitatis, modo nomine potius, quam genere diverſi a Tuſcis eſſent. Verum utut res iſthaec fuerit, in tanto antiquitatis ſilentio ſcite advertit Comes de Turre Rezzonici, nullum nobis, dempta nominis affinitate, indicium ſupereſſe, unde Philiſtaeos, ſeu Philiſtinos ab indigena terra huc uſque penetraſſe ſtatuamus. Plinii locum illuſtravit Coelius Rhodiginus (*c*), qui, quo ſcribebat, tempore teſtatur, nomen duraſſe adhuc, *ſed paullo modo luxatum*, ait, *qui vetuſtatis mos eſt*, *Piſtrinam dicunt*. Huius etiam foſſae veſtigia multis in locis apparuiſſe, idem Rhodiginus affirmat, quae nihilominus noſtra aetate vix, aut ne vix quidem cerni Silveſtrius admonet. Iam vero haud nobis arridet ſententia illorum, qui ſex reliquis Padanis oſtiis *Foſſionum Philiſtinarum* commune fuiſſe nomen opinati ſunt, ſed potius foſſionibus ipſis, tamquam diſtincto a ceteris alveo, *Tartari* etiam nomen haeſiſſe cenſemus, quod aperte ſcribit Plinius: *inde oſtia plena Carbonaria, ac Foſſiones Philiſtinae, quod alii Tartarum vocant*. Sed hoc alterum nomen ex eo videtur quaeſitum, quod proprium eſſet oſtium *Tartari* amnis, aut certe ex amne eodem foſſio prodiret aliqua, quacum iuncta altera Padi *Foſſiones Philiſtinas* efformaret. *Tartari* vero fluvii Tacitus meminit, eiuſque paludum his verbis (*d*): *Ceccina inter Hoſtiliam vicum Veronenſium, & paludes Tartari fluminis caſtra permuniit*. Et nomen orientale aſſerit Mazochius, pluribuſque oſten-

(*a*) Antiquit. Hebr. part. 2. pag. 354.

(*b*) Lib. 3. Hiſtor. natur. cap. 14.

(*c*) Lib. 5.

(*d*) Lib. 5. Annal.

oſtendit (*a*), quo videlicet intenſiſſimum frigus ad tremorem adigens notetur.

XXXVII. Quod autem ad ipſum *Philiſtinarum Foſſionum* vocabulum pertinet, Dalechampium ridet Mazochius ipſe, ubi id nominis arceſſit ille a *Tuſcorum tribubus*, *&* *decuriis* (φυλὰς *Graeci vocant*) *eius rei cauſſa accitis*. Deinde vero in ipſum *Philiſtinorum* nomen inquirens, a פלש *phelash*, quod ex uſu tum Chaldaico, tum etiam Syro eſt *fodere*, illos nomen deductum habuiſſe docet, nec ab eo nomine vitae illorum inſtitutum abhorrere, quos Geneſ. capite XXVI. verſ. 18. (ubi prima Philiſtinorum mentio occurrit) circa puteos fuiſſe occupatos, certum eſt. Quare concludit, inter Tuſcos tum Padi accolas, tum Umbriae fuiſſe, qui *Philiſtini* dicerentur, quorum opus eſſet librare (*b*) aquas, foſſas deducere, eaſque aggeribus, ac vallis munire, in eamque partem difficilem Plinii locum accipit, de cuius obſcuritate diu eſt, quod Cluverius, Cellarius, aliique viri doctiſſimi conqueruntur, ſubditque demum, in Plinii *Foſſionibus Philiſtinis* idem contigiſſe, quod in *Aquis Faliſcis*, *Cluſium*, *Camers*, aliiſque bilinguibus Etruriae nominibus, in quibus Latina vox tantumdem valet, quod priſca prior, quod ii potiſſimum aequi bonique conſulent, qui norint, qua via, ac methodo viri ſummi in hoc genere litterarum, exponendi videlicet ex orientalibus linguis vocabula, ſint verſati.

XXXVIII. Sed iam ſatis de hac Circumpadana Ciſalpinae Galliae parte, cuius faciem ex novis deductis foſſis, ex horrendis Padi, Atheſis, aliorumque interfluentium amnium praeruptionibus, ex mari receſſu, ex limi ingeſtis montibus arte, ſive natura immutatam omnes intelligunt. Et quid mirum profecto? Si vel noſtris temporibus locorum eorumdem peritos interrogemus, reſpondent ſtatim, non ſaecula, aut

(*a*) In kalendar. marmor. ad 19. maii in S. Patritii acta pag. 385. adnotat. 198.

(*b*) Nempe ut ſit ex Hebraeo פלס *philles*, quod verbum in aquis, foſſiſque librandis valet. At non temere eſt, quod Palaeſtina in Talmudicis cum *ſamech* ſcripta reperitur. Haec Mazochius.

re,


TOPOGRAPHICA
TABULA
INSULAE
POMPOSIANAE
MEDII AEVI
Maranga
Cavadizzia
Silvus longus
Tuonis Flumen sive Alfare
Messanzatica
Rivus Angeli
Gaurus
Portus Gauri
Portus Abbatis
Canalis Falce
Fossa Lupata sive Medii Gauri
Medium Gauri
Concagata
Tidini vel Cisini
Gaurus
Canalis S. Blasii vel Vedelozza
Monticelli
Piscaria
Tidini Flumen
Caput Gauri
POMPOSIA
Gavalena major
Volanae
Portus
VOLANAE
Vaccolinum
Gavalena minor
Curba
Massa Fiscalea
Miliarium
S. Iacobus
Marozzium
Agger malus
Piscaria Volanae
Valelusura
Fiscalea
FLUMEN S
Miliarinum
Lacus Sanctus
Padusalus
Alberlongum
Tribba
Fossa Laterculi
Vstulatum
Comaclum
Miliaria Sex Ferrariensia
I. II. III. IV. V. VI.
Carolus de Baruffaldis Pub. Geom. A.D. 1779 Ferrariae

aut annos, sed menses satis esse, & dies, quo immanis aliquando iis in locis mutatio contingat, atque appareat. Isthaec est, omnes noverint, regionis illius sors, & conditio, quae mari, paludibus, fluviis, vallibus undeunde circumdatur, & limosis lacubus. Verum ad alteram tandem nostram progrediamur Diatribam.

Diatriba Secunda

De Pomposianae Insulae, locorumque adiacentium statu medio aevo.

XXXIX. Historiae Pomposianae perquam necessariam fore medii, quod vocant, aevi chorographiam ii probe intelligent eruditi omnes, qui eiusmet usum, & utilitatem noverint, qua nimirum destituta caeca, mutila, & quasi manca omnis abierit historia. Quum enim per medii ipsius aevi saecula historia nostra, ut ita dicam, spatietur in primis, vel hocce pacto lucem haud exiguam ei accessuram, non iniuria confidimus. Itaque chorographicam antiquae aetatis tabulam altera, ut maneamus promissis, excipiat, quae formam exhibeat ab illa longe diversam. Difficillimum mehercule visum est nobis, primam illam examussim describere, & an res bene cesserit, penes doctos iudicium esto, quum in veterum Geographorum tanta versaremur penuria, immanique recentiorum discordia: utcumque tamen rem confecimus, oculatiorum vestigia prementes, atque ita Tabula adornata. Facile autem erit, tertiam in consequenti Diatriba delineare, quod & praestiterint alii, & loci ipsius aspectus cuique patens difficultatem eliminet totam. Arduum in praesenti nobis est negotium, mediam hanc tabulam contexere, quae conatus omnes nostros expostulat, quo spartam, quam sortiti sumus, ni quanta quanta sit, utique quantum in nobis est, ornemus. Verum enimvero nobis temporis illius medii nullum Geographum nactis ne ulla quidem praesto est aetatis ipsius adhuc usque satis illustrata Geographia Italiae, quam aliquando docti vix polliciti fuere,

re,

re, si unam excipias *de tabula chorographica Italiae medii aevi isagogen*, quam summis profecto laboribus, eruditioneque prorsus praestantissima dispoſuit Gaspar Berettius Casisinas homo (*a*), cuius nihilominus studia, quum Italiam universam complectantur, vix, aut ne vix quidem ad exiguum illius angulum introspiciendum, singillatimque describendum nobis posse conferre, nemo non videt.

XL. Superest tamen adhuc documentorum seges copiosa, quae e Tabulario nos eruimus Pomposiano, quibus nimirum unis tamquam fontibus cum ad tabulae, tum ad historiae nostrae fere universae perfectionem uti potuerimus, Geographis, ubi ea deficerent, in subsidium vocatis, non quidem coaevis, quos nullos diximus, iis tamen, qui non longe ab illis absint temporibus. In Pomposianis enim monumentis loca saepius etiam humiliora, praediorum fines, nomina fluminum, vici, villaeque, & huiusmodi alia de Pomposiano territorio, atque circumiacenti extra Pomposiae Insulam, Monasterio tamen Pomposiano subiecto occurrunt, quibus simul compositis itinerarium veluti Pomposianum, ac tabula chorographica emerserit Pomposiae medii aevi. Ea tamen tanta non sunt, ut rem sua in luce positam omnem nobis reliquerint. Quum enim medii iam aevi saeculis aut evanuerint nomina antiqua locorum, & alia fuerint recens exorta, corrupta, atque variata, aut etiam loca eademmet non pauca conciderint, retentis aliquando vetustis nominibus, quae locis aliis deinde propius extructis adscita fuere, atque accommodata, immanibus temporum illorum tum Geographia, tum maxime Chorographia difficultatibus undecumque est obsita, iisque profecto, quibus in solvendis operam saepius & oleum perdant viri doctissimi. Rei huiusmodi testis ipse sit Berettius, quem supra laudavimus, quo certe accuratius nemo Chorographiam Italiae medii aevi congessit: at enim quot nodi, quot scopuli in aurea eius isagoge, quot lacunae! Id norint ii omnes, qui Italiae partes non universas, sed singulas ad examen revocare, atque introspicere

cere

(*a*) Apud Murator. rer. Italic. Scriptor. in fronte Tomi x.

cere ſtuduerint ; quod & ipſemet fatetur Berettius, Chorographiam nempe eius plane informem corrigendam eſſe, atque amplificandam. Id nos etiam intelligimus, qui Pompoſianae Inſulae ſtatum, locorumque ei adiacentium, quod medium ad aevum pertinet, in illa fruſtra quaeſivimus, quem nihilominus nec comperire nos poſſe uſpiam confidebamus. Inter Ravennam quidem, & Adriam urbes maritimam oram interpoſitam auctor recenſet (*a*), ſed ita preſſe decurrens, ut paucis de urbe Comaclo, deque Pado flumine dictis, de Pompoſiana regione, atque conterminis locis alte ſiluerit.

XLI. Principio itaque Pompoſianae Inſulae ortum, atque incunabula ignoramus omnino. Illud abſque dubio affirmandum videtur, nullam eam vetuſtiſſimis fuiſſe temporibus, ſed unde unde paludes nonniſi, ac mare ſuper Volanae oſtium fuiſſe, & Carbonariae, quemadmodum in ſuperiori nos innuimus Diatriba. Iis autem aliquando exſiccatis, ſive aquis vergentibus alio, & maris potiſſimum recedentibus undis, continentis pars, quae nulla antea, vel perexigua fuerat, aucta ſit quamplurimum, adeout Inſulae ſpeciem praeſeferret, quam *Pompoſianam* deinceps appellaverint, idque eo maxime loci contigerit, quod ad rem docet Ariſtoteles fieri ſaepius (*b*): *plura enim ſunt*, ait, *quae prius aquoſa, nunc etiam continens fiunt*. Eam vero nunc pro viribus nos deſcripturi, ad quam latam nobiſmet viam Diatriba ſuperiori paravimus, quidquid huius argumenti in medii temporis monumentis Pompoſiani Tabularii reperitur, revolvemus, Inſulae ipſius circumſcribentes fines, quos natura ipſa aliquando conſtituiſſe videtur, pluribus conſulto omiſſis hiſce de regionibus, quae doctiſſimi iamdiu evulgarunt auctores.

XLII. Ubi igitur primum in Pompoſianis tabulis Inſulae Pompoſianae mentio occurrit (praetermiſſis hic tum Iohannis VIII. Rom. Pontificis epiſtola ad Ludovicum Imperatorem anno DCCLXXIV., tum charta donationis ab Ingelarda Comitiſſa factae an. DCCCLXXXXVI., tum indicato an. DCCCCLXXXVI., & reliquis ſubſequentibus monumentis, in quibus unum recen-

(*a*) Section. 16. num. 82. & 83. (*b*) Meteor. lib. 1. cap. 2.

censetur monasterium Sanctae Mariae in Pomposia) primum, inquam, est Conradi Imperatoris diploma monasterio Pomposiano datum anno MXXXVII., in quo tamen Pomposianae Insulae fines neque describuntur, neque indicantur, sed dumtaxat: *confirmantes*, inquit Augustus, *specialiter praedicto monasterio tam ipsam Insulam Pomposiam ex integro quam extra eamdem Insulam scilicet lacum sanctum &c.* Quod nihilominus in Conradiano desideratur privilegio, apertis exprimitur verbis in reliquis Imperatorum diplomatibus, qui consecuti sunt, Henrici nimirum III. annis MXLV. MXLVII. ac sequenti, Henrici IV. anno MLXVI., Friderici I. anno MCLXXVII., Henrici VI. anno MCLXXXXV., ac Friderici II. anno MCCXX., in quibus singulis repetuntur perpetuum Insulae Pomposianae fines hoc modo: *cum omnibus pertinentiis suis, & cum lateribus in tota Insula primo latere Pado percurrente in mare, secundo latere litus maris tertio latere Gauro. Insuper Piscariam, quae vocatur Volana, a rivo Paderino usque ad mare, & locus, qui dicitur lacu sancto cum omnibus sibi pertinentibus &c.* Eadem descripturus loca auctor Chronici parvi Ferrariensis haec repetit (*a*): *Si solvendo navem a ripa Ferrariae versus ortum navigabis per* XXV. *millia passuum, invenies vicum, qui dicitur caput Gauri, situm in angulo Insulae Pomposiae, ubi Gaurus ex Pado exiit (tendens versus boream, relinquens sinistra Insulam, qua sita est Ferraria, dextra vero Insulam Pomposiae, quae ditionis est monasterii Pomposiani: cingitur autem ea Insula nemorosa ab occasu, & a borea fluvio Gauro, a meridie Pado antiquo usque in portum Volanae, ab ortu vero sinu Adriatico terminatur. Cum relicto vico Capitisgauri per Padum antiquum navem dimittes per millia passuum circiter* VIII. *per portum Volanae pelagus Adriaticum remis pulsabis.*

XLIII. Itaque Padus flumen Adriaticum mare ab occasu orientem versus pervadens omnium primus Pomposianae Insulae finis constituitur, hoc est Padi alveus ille, qui Volanae dictus, ad Insulae meridionalem partem positus ad mare usque deducebatur, ubi & portum tutissimum efformaret, qui Volanae

(*a*) Apud Murator. rer. Italic. Scriptor. Tom. 8. col. 476.

lanae appellatus est, cuius & mentio est in diplomate Gregorii V. Romani Pontificis Ravennati ecclesiae dato anno DCCCCLXXXXVI. apud Amadesium (*a*), de quo & nos loquemur alibi: *necnon portum Volanae*, dicitur in diplomate, *usque ad portum*, *qui dicitur Cervia*. Ab oriente vero ipsum littus maris Adriatici alter erat Insulae terminus, & eius basis ab Volanae portu sese recta ad Gauri extendens portum, quos XVIII. millia passuum invicem dissitos dixit auctor laudatus Chronici parvi Ferrariensis (*b*). Tertium denique latus ab occidentali plaga ad boream Insulae ipse fuit fluvius Gaurus, qui & in mare progrediens portum haberet, qui Gauri dictus est. Triangularem igitur formam habuit Pomposiana Insula, cuius primus angulus, atque initium Capitisgauri oppidum, latera vero duo, alterum Volanae Padus, quem antiquum dixit historicus idem, alterum ipse Gaurus, uterque ad mare protensus, ille quidem ad meridionalem Insulae oram, hic vero ad septemtrionalem. Eius longitudinem, latitudinemque certo determinare haud facile est, quum fluminum inflexiones variae longiorem, latioremque alicubi, alicubi autem minus latam, decurtatamque Insulam necessario reliquerit. Si auctori Chronici eiusdem fidem habeas, cuius aetate, saeculo nempe XIV., a portu Volanae ad portum Gauri duodeviginti millia passuum numerarentur, tantumdem erit longitudo basis Insulae Pomposianae. Quum autem ab eius meridionali parte Capitisgauri oppidum hodie dum ab ecclesia ipsa Pomposiana, & monasterio tria nonnisi & quingentum absit passuum millia; quumque non longe a Padi Volanae margine monasterium fuerit situm, quod vel ab maris undis littoralibus ablueretur omnino, vel ab ipso littore haud multum certe distaret; adeout ecclesiae, quae adhuc superest, turris tutissimum nautis signum fuerit, sequitur, ab ea meridionali parte Insulae latitudinem non ultra extendisse sese. Quod demum ad alterum septemtrionale latus pertinet, paullulum longius illud suspicari liceat,

(*a*) Dissertat. de iurisdict. Ravenn. Archiep. in civit. & dioecef. Ferrariens. in Append. num. 7. pag. 53.

(*b*) Loco laud. col. 475.

quam nostris sit temporibus, cuius caput ultra Massenzaticae oppidum intra Insulae fines positum desumendum est, & ad mare usque progrediens V. circiter millia passuum. Iam vero difficultatis huiusmodi ratio ex eo oritur, quod multum linea iis in regionibus ad mare processerit, recesseritque mare ipsum aliquot passuum millia, quinimo & fluminis alveus ad meridiem vergerit, quo fit, ut si de latitudine Insulae sermo sit, eam certo stabilire nequeamus.

XLIV. Ut vero de finibus ipsis dicamus, initio quid de Volanae Pado addamus multa non est, de quo in praecedenti locuti sumus diatriba. Nomen adhuc suum retinet, deficientibus tamen in eo aquis multis ab hinc saeculis, aut ut vix aliquando navigari queat, neque ad mare usque procedat, nisi omnino remissior, numereturque hodie inter minora ostia Padi: *in praesens Volanensis Padus*, ait Hieronymus Rubeus (*a*), *tanta aquarum inopia attenuatur augusto mense*, *ut difficilis a Ferraria in Comaclum reddatur navigatio*. Sed medio, de quo loquimur, aevo maxime flumen navigabile fuit etiam post Padi fluminis irruptionem factam sub vico, quem *Atrioli* alii vocant, *Varianum* alii, vulgo *Figarolo*, non quidem anno MCCL. ut falso nonnulli opinati sunt, sed MCLI. (*b*), aut certe ante MCLXXV., quod multis constat publicis actis: neque enim Volanae aquas ab ea irruptione, quae *Ruptae* nomen primis illis annis retinuit, deinde aggeribus constructis *Padi* nuncupationem comparavit, nos imminutas censemus, sed potius post saeculi XVI. initium, quum videlicet in Ferrariensem Padi alveum Rheni fluminis aquae intromissae sunt anno MDXXII. Sane ad annum usque MCCCX. quo circiter scribebat auctor anonymus Chronici parvi Ferrariensis, aquae Volanae haud attenuatae multum fuerant, quod ipse his verbis innuere videtur (*c*): *Ex portu Volanae*, *& ex portu Gauri est commodus commeatus vehendi merces Ferrariam ex omni portu maritimo*, *sed impeditur superbia*, *& avaritia Venetorum*, *quos inordinatus amor sui excaecans in cladem induxit Dei iudicio*,

(*a*) Histor. Raven. lib. 5.
(*b*) Priscian. Annal. Ferrar. l. cap. 9.
(*c*) Loco superius laud. col. 477.

cio, *& opera Romani Pontificis Clementis Papae Quinti eorum excessibus lacessiti*. Sed rem hanc late persequitur Dominicus de Conradis de Austria (*a*).

XLV. Illud tamen animadvertere iuvat, antiquum medii aevii Volanae portum alium ab eo, qui nostris superest temporibus, censuisse nonnullos. Quum enim laudatus Chronici parvi auctor testis luculentus sit, a Gauri portu XVIII. passuum millia portum Volanae distasse adhuc saeculo XIV., qui invicem nostra aetate VIIII. millia passuum circiter distant dumtaxat, ex hoc collegerunt fortasse, quo tanta resultaret distantia, portum Volanae, qui nunc est, antiquis qui fuit temporibus, superstetisse, & recentem Gauriano esse propiorem. Hac in sententia versatus Ioseph Thomas Bonfadinius videtur, qui in sua Ferrariensis territorii topographica tabula anno MDCCVIII. adornata novum Volanae portum distinguens a veteri, inferiorem hunc, illum superiorem posuit. Haec contigisse non abnuimus: immanis tamen immutatio pleraque ex ipso Gauri portu potius expetienda est, ubi Padanae aquae, & confluentes aliae tot deinde abruptionibus dedere locum.

XLVI. Portus huius Volanae, atque piscationum in ea mentio frequentissima est in Pomposianis monumentis. Sed primo quidem in diplomate Benedicti VIII. Romani Pontificis anno MXIII. pridie nonas iulias, in quo haec leguntur: *Insuper concedimus vobis piscariam integram, qui vocatur Volanum*. Deinde in actis synodi habitae Ravennae anno MXVI. pridie kalendas maias, in caussa, quae inter Sanctum Pomposiae Abbatem Guidonem, & Vitalem Abbatem monasterii Sancti Alberti de Insula Perei agebatur ipso de portu Volanae, quem una cum piscatoribus, ac littoribus suis uterque sibi adsciscebat. Quum vero in illum contenderet ipsa Ravennae ecclesia, recedere iussi sunt tum Guido, tum Vitalis, & Volanae portus cum piscationibus supradictis Ravennati ecclesiae adiudicatus est. Verum non multo post, anno

 nimi-

(*a*) *Effetti dannosi, che produrrà il Reno, se sia messo in Pò di Lombardia &c. contro Eustachio Manfredi* art. 2. §. 71. & seqq. pag. 79. & seqq.

nimirum MXVIII. X. kalendas martias, quum Arnaldus Ravennas Archiepiscopus probe intellexisset, Pomposiano monasterio omne ius in Volanae portum competere, cum concessit cum piscationibus suis Petro Abbati sub annuo censu solvendo. Portus idem, ac piscationes memorantur etiam aliis in tabulis, maxime vero quae ad annos referuntur MXXII. ac sequentem, MXL. MCXLII. & MCCXXX.

XLVII. Adnotandum vero est ab duplici Volanae ripa duas efformatas fuisse Insulas, quarum altera Pomposiae superior, inferior altera Volanae fuit proprie dicta, quas tamen perperam confunderunt non pauci etiam e doctioribus. Sic Peregrinus Priscianus in suis manuscriptis Annalibus Ferrariensibus, qui in Atestio Mutinae tabulario servantur: *Volana Insula*, ait (*a*), *quam nunc Pomposianam dicimus*. Et Sardius iunior in sua itidem manuscripta Padusae descriptione haec scribit: *Il Toy diffuse medesimamente in Ariano il Tragetto, l' Affare, ed il Maranga, e dalla destra ricevute in se le acque, ed il nome di Gauro scorreva nel mare, facendo l' Isola di Volana, detta Pomposiana, cinta dal Pò, dal Gauro, dalla Fossa Lupata, e dal Toy*. Ast licet optimo iure tum septemtrionalis, tum meridionalis Insula Volanae appellari potuisset, ita tamen eas distinxere maiores nostri, ut haec una Volanae nomen haberet, illa vero Pomposiae. Res constat manifeste ex Pomposianis tabulis. Anno enim MCCXIX. fines assignantur Volanae Insulae, qui alii profecto sunt ab Insulae Pomposianae terminis: *a primo latere dicte Insule*, dicitur in charta anni illius pridie kalendas augusti, *vadit Padus*, nimirum Volanae, *percurrens a secundo latere posidet Sancta Maria in Portu. a tercio mare. a quarto . . .* scilicet lacuna est in membrana vitio notarii. Ita etiam anno MCCCXIV. pridie idus septembris Raynaldus Ravennas Archiepiscopus Pomposiano monasterio bona confirmaturus: *concedimus*, ait, *id totum quod olim Dominus Ubertinus Guidonis Dusdei iure sancte Ravennatis ecclesie habuit, & detinuit, quod est sexta pars totius loci, qui dicitur Insula de Volana, secundum divisionem factam*

(*a*) Cap. 21.

ctam inter Abbatem Pomposianum ex parte una, & Priorem celle Volane ex altera, ac Priorem Sancte Marie in Portu ex alia, & Dominum Henricum Marchionem ex alia. Deinde addit: *Latera, & confinia Insule tocius de qua innovamus. . . . suprascripto monasterio sextam partem. Mare a secundo Padus, a tercio Gatola iure Canonice Portuensis: & a quarto Raybosola inter Comaclum, & suprascriptam Insulam in portum Maliavace descendens.* Insulam demum hanc Volanae indicaverat Pomposianus anonymus auctor vitae Sancti Guidonis Abbatis, eique coaevus de Martino Eremita loquens, qui Guidonem ipsum excepit; de eo enim ait: *habitabat autem in Insula, quae interfluente Pado Pomposiam a se divisam ab aquilone considerat.* Ecce Padum, scilicet Volanae, duas inter Insulas interfluentem, e quibus Volana ad meridionalem plagam est, ad aquilonarem Pomposia. Sed de hac re alibi.

XLVIII. In ea Volanae Insula ecclesia Sancti Iacobi fuit, quae anno MCCXIV. *cella* dicitur, & passim, ac *Prior* eiusdem *Bonaiunta* nomine, quem inter, ac Pomposianum monasterium controversia fuit de monasterii utriusque finibus, cuius articulos legere licet in tabulis anni MCCXIX. Contendebat enim monasterium Pomposiae, ecclesiam S. Iacobi de cella Volanae sibi subiectam, & in bona ipsius absolutum, quod *fundiarium* dicunt, ius obtinere ex donatione eidem facta ab Ubertino Dosdei anno MCCXIV. qui fuit *patronus ecclesiae Sancti Iacobi de cella Volane.* Iis ex articulis colligitur, Insulae Volanae vicum fuisse *Vacolinum*, cuius meminit etiam charta anni MCLXIX., & alia loca, quorum nomina haec: *Matrices*, *Vaccaria*, *Stagium*, sive *Stazium*, ac *Rimitorium*, hoc est *Eremitorium*, ubi videlicet Eremitae vixissent olim, degerentque fortasse etiam tunc. Praeterea rivus *Badarenus*, seu potius *Padorenus* Insulam abluebat, de de quo re quidem vera caussa agebatur, deque *Gavalenis*, in quas navigabatur de Pado in mare, atque *Ponticellis*, sive verius *Porticellis*, quae non ex cellae Volanae parte fuere, bene vero ex altera Pomposiae. Haec in charta laudata anni MCCXIX., in qua etiam legitur: *Item ponit, quod eccle-*
sia

ſia Sancti Iacobi fuit fundata, vel conſtructa, ſeu edificata ab illis, qui fuerunt domini Inſule Volane, quod non credit altera pars. Item ponit, quod eccleſia celle Volane eſt edificata in ſolo eorum, qui condam fuerunt domini Inſule Volane, quod non credit altera pars. Sed & in tabulis anni MCCXIV. nonis iunii alter recenſetur locus in eadem Volanae Inſula poſitus, nempe *Campus da la Porta*, cuius fines aſſignantur: *a primo latere Pundolus, ſecundo Corigium Sancti Zenonis, tercio canale Aqualioli, quarto Trebba, & Volta Aqualioli.* Ceterum qui rivus *Badarenus* nuncupatur ſuperius, occurrit non ſemel in ceteris Pompoſianis monumentis, potiſſimum anno MXIII. pridie nonas iulias in diplomate Benedicti VIII. Papae: *Inſuper concedimus vobis piſcariam integram, qui vocatur Volanum cum rivo Baderino*: & anno (ut ceteras omittamus chartas) MXLVII. in diplomate Pompoſiae dato ab Henrico III. Imperatore: *Et piſcariam, que vocatur Volana cum portu integro a rivo Badarino uſque in mare*; quod repetitur anno MCLV. in Hadriani IV. Romani Pontificis bulla. Nemo rivum hunc Inſulae Volanae cum fluvio *Padoreno* confundet, qui non longe abeſt urbe Ravenna, cuius mentio eſt in codicis Pompoſiani chartis anni MLXVII., & MLXX., quem etiam plures exhibent tabulae penes Camaldulenſium rerum ſcriptores (*a*).

XLIX. Ad haec *Gavalenae* occurrunt in noſtris membranis, nimirum in laudato Benedicti VIII. diplomate poſt allata verba ſtatim haec conſequuntur: *& Gavelena maiore ad ipſam piſcariam pertinente cum Porticellis ex utriuſque partibus ſicut olim intraverunt in mare eidem ſimiliter pertinentibus*: quae recantantur omnino in ſuperius indicato Hadriani IV. diplomate, tum in ſubſequentibus Alexandri III. Pontificis anno MCCLX., & Friderici I. Imperatoris anno MCLXXVII., tum denique in charta anni MCCXXX. IX. kalendas maias.

L. Iam vero reliquos perſequamur Inſulae Pompoſianae fines. Alterum eius latus, quod vel baſis Inſulae totius, maris Adriatici littus fuit, quod tamen a Volanae portu ad por-

(*a*) Annal. Camaldulen. Tom. 1. & 2. paſſim.

portum Gauri, quantam diximus Insulae longitudinem, vero satis similiter varios efformaret sinus, ripas, ac portus: quin imo & ipsum monasterium ad ripas maris aedificatum fuisse, aut certe non longe ab illa, ex eo colligere licet, quod anno DCCCCLXXXXVII. III. nonas octobris datae fuerint tabulae *in ripa Sancte Marie*, *que vocatur in Pomposia*; passim vero *ripa domnicata Pomposiae* occurrit, quae anno MCXLVIII. *ripa Sancti Benedicti* appellatur, & anno MCLII. *portus Sancti Benedicti*, modo ii non sint invicem distinguendi, quod nos tuto asserere non possumus: si nihilominus varii dicendi sint, non unus, haud longe eos abfuisse censemus in eodem littore maris. Inibi etiam celebris est *portus Abbatis*, in superiori nimirum littoris parte ad portum Gauri. Quo incoeperit tempore, nos latet, sed Pomposianorum utique opus fuit, uti vel ipsum, quod sortitum est, nomen ostendit. Nonnisi fortasse post annum MCLI. coeptum est, post Padi nimirum factam sub Ficarioli vicum memorabilem irruptionem, de qua diximus supra. Quum enim eo novo Padi ramo natura ipsamet alveum sibi proprium pedetentim compararet, coepit ille magis, magisque augeri in dies, & altera in primis anno MCLXXXXII. accedenti Siccardi cuiusdam opera Padi sectione super *Ruinae* vicum, libere vicinas in regiones ad septemtrionem maxime dominari, ac veluti submergere territoria. Universalem fere abruptionem huiusmodi incolae diu multis tentarunt artibus coercere, sed irrito conatu; adeout tandem tutiores, certioresque Pado componere aggeres proposuerint, & varios flumini concedere alveos. Hinc novae fossae, alveique recens manufacti, de quibus multa Ferrarienses praesertim hydrographi disserere solent.

LI. Itaque non compressis manibus tunc Pomposiani sederunt. Primo namque Padi redundantibus aquis in superiori regione, & ramo efformato ab *Papotiarum* viculo in Gauri fauces, fossa manu confecta est, quae *Sylvae longae*, aut *Silvi longi*, & *Cavadissi* appellata fuit, qua nimirum ad Ariani Insulam usque Gauri fluminis undae, quibus alterius amnis

amnis, qui *Toy* eſt dictus, quemque non alterum ab ipſo Padano Ariani ramo cenſuit Sardius ſua in manuſcripta Paduſae deſcriptione, & *Canale Tuonis* etiam una cum *Lacu Tuello* vocatur in Marini II. Pontificis diplomate penes Silveſtrium (*a*), coniunctae iam fuerant aquae, libere communicarentur, eoque pacto inferior Pompoſianae Inſulae pars ſervaretur incolumis, tametſi deinde alveus ille adeo creverit, & iterum Gauro fluvio occurrens ſuper *Maſenzaticae* vicum ipſum penetraverit, latamque ſibi viam ad fauces Gauri aperuerit. Hinc in Pompoſiano archivo tabulae exſtant anni MCLVI. paucos nimirum poſt annos ab Ficariolenſi abruptione, in qua ab Iohanne Pompoſiano Abbate diſponitur, ordinaturque conſtructio aggerum in ea Inſulae parte: *ad utilitatem omnium habitantium*, dicitur, *infra Inſulam Pompoſianam fecimus iurare quondam noſtrum fidelem Struphaldus nomine de hoc quod ego preciperem ei de faciendo facere argelem a Talliata de Maſſenzatica uſque a Capite de ſubto. ville Capitiſgauri, & ex alia parte ville de Capite de ſubto uſque ad locum, qui dicitur Capite de Curba, & bene facere aptare puntam, quae dicitur Sancti Martini, & faciendo facere roſtam, & ageres, & aptare vias ville Capitiſgauri, & faciendo facere ſcuſſores per terram intra Inſulam*.

LII. Deinde vero quum eo magis Pompoſianis ſuae ditionis paludes exſiccare curae eſſet, praegrandi alteri foſſae manum admovere coeperunt, qua ſtagnantibus aquis ad mare uſque patens daretur via. Verum eam in foſſam abrupit multum adauctus, uti ſuperius dictum eſt, Gaurianus Padus, atque novam ſibi patefecit ad mare ſemitam, adeout etiam illud pervadens ſummam repererit altitudinem; quo pacto portus confectus eſt, cui nomen fuit *Abbatis* inditum, haud multum diſſitus a portu Gauri. Mirum ſane eſt, eius nullam uſque mentionem occurrere in univerſo Pompoſiano inſtrumento. Hunc in portum naves adigebantur feliciter, atque conſidebant in eo, perduravitque ad annum MDLXVI., quo ad valles inſtaurandas Ferrarienſis territorii, quod

(*a*) Deſcriz. delle paludi Adriane pag. 140.

quod *Polixinum* media aetate dictum est, hodieque *Polesine* dicitur, Alphonsus alter Atestius Ferrariae Dux, illo refecto cornu Pado, portum obturavit, quem quasi excipulum destinavit aquis ad mare fluentibus aestuum maxime tempore, opportunis etiam appositis ostiis, quae ad aquarum in in ipsis aedibus exuberanti onere patefacta omni possent periculo subtrahere campos, atque planitiem: quo beneficio factum est, ut damna plura haud subeat Ferraria urbs; quod certe contigisset aliquando, atque contingere posset post amissum Ferrariensem, Volanae, & Argentanum Padum. Loco adhuc *Chiavica dell'Abate* nuncupatio superest.

LIII. Tertium Pomposianae Insulae latus Gaurus est, quod tum flumini est, tum vico nomen. Vicus quidem prope portum ipsum, ubi mare pervaderet flumen, unde & *Gauri portus*, nostris superstes temporibus, dictus fuit. Vici, sive oppiduli *Gauri* mentio primo est, si de Pomposianis tabulis sit sermo, anno MXVIII. XII. kalendas maias; tum deinceps passim, & anno MCLV. XII. kalendas februarii *via Gauri* recensetur, atque demum *Androna Berthuldorum* in Gauro anno MCCLXXXX. Visenda se praebet hucusque eo loci turris vetusta, quae vulgo *torre di Goro* vocatur. Portus vero, qui percommodus fuit, teste Chronici parvi Ferrariensis auctore, mentio est anno DCCCXLIV., quo Marinus II. penes Silvestrium (*a*) Adriensi ecclesiae eum dono dedit. Sed in Pomposiano codice primum habetur anno MCXLII.. quo Paullus Pomposiae Abbas Petro Schoinae, eiusque liberis, atque haeredibus concedit *medietatem unius litoris maris a portu Gauri usque ad portum Volanae*, ac Deodato *quartam partem litoris maris a Gauro usque ad Volana*. Opinatus fuit Iohannes Baptista Alleottius, vulgo *Argenta* dictus, in sua Hydrologia manuscripta (*b*), portum hunc efformatum fuisse, ubi *porticinus* vocatur, quem ipse non alium censuit ab eo, qui *porto delle donzelle* nuncupatus est, eo fretus argumento, quod adhuc vicina vallis eo appellaretur nomine. Sed de his apud ipsum fides.

(*a*) Loco supra laud. (*b*) Cap. 23.

LIV. Non longe vero ab eo portu *delle donzelle* alter deinde comparuit *Mensulae*, sive *Mensularum* dictus, vulgo *la Mesola*, quasi media Insula fortasse. Sed quo tempore inceperit esse incertum. Circa saeculi XVI. finem Alphonsum alterum Ferrariae Ducem ad maris litus ibidem aedes ad ruris voluptates condidisse, testis est Rubeus (*a*). Octo circiter in praesentia passuum millibus distant a mari. Id nobis videtur, intra Pomposianae Insulae fines locum initio fuisse contentum, utpote qui Gauri portu, quo ipsa terminabatur Insula, tunc temporis esset inferior: iam enim animadvertimus, portus Gauri, ac Volanae XVIII. millia passuum invicem distasse; quare non unus *Mensulae* locus, sed & superiores alii sinus nonnulli, ac loca intra Pomposianos fines adnumeranda videntur. Profecto testis est Aleottius laudatus, suo adhuc tempore, saeculi nempe XVI. initio, sinum exstitisse, qui *sacca di Goro* dicebatur, longe supra recensem Gauri portum. Non abs re forte erit asserere, ubi tunc *tacca di Goro* visebatur, ipsum portum Gauri medio aevo constitisse.

LV. Recta vero ab ipso portu occasum versus procedebat Gaurus flumen, usquedum curvatus non longe a *Masenzaticae* vico versus meridiem descendens Padum Volanae pertingeret, cuius vel ramus fuit, eo loci exiens, ubi Capitisgauri oppidum. Ea autem curva Gauri fluminis linea Volanae Pado coniuncta universa intercludebatur Pomposiana Insula ad dexteram mare versus relicta. Fluvii eiusdem primum in Pomposianis monumentis meminit, quam laudavimus, membrana anni MXVIII., & perpetuum deinde reliquae multae nostri Codicis diplomatici chartae, in quo tamen anno MXL. *Gorus* dicitur, uti Italico nunc idiomate exprimitur.

LVI. Verum ut secundo potius quam adverso navigemus flumine, iter a fronte arripiendum est, ex quo oritur Gaurus. Per Volanae itaque Padum, sive aggeres deinde non longe constructos Ferraria recta orientem versus progredien-

(*a*) Hist. Raven. lib. 6.

dientes ubi ad Capitisgauri oppidum pervenerimus ab urbe eadem dissitum XXX. millia circiter passuum, & in Insula Pomposianae angulo situm, ramum ab ipso Pado, qui ad septemtrionem fluit, conspiciemus, ubi Gauri initium. In laudata superius Padusae descriptione litteris mandavit Sardius, Gaurum ab oriente occasum versus a suo recessisse cursu ad locum usque, cui *Ambrosii* nomen, deinde versum ad septemtrionem per *fossam*, quae alias *Lupata* est dicta, alias vero *Gaurus*, cum Venetico Padi ramo sese coniunxisse haud longe a vico *Coloniae*, vulgo *Cologna*, ibique duos discerptum in alveos, communi *Gauri* nomine dictos, quorum dexter ortum peteret, boream sinister, adeout hocce pacto Ariani Insulam efformaret, sed ille *Toy*, & proprie *Gaurus* appellaretur, hic *canalis Longolae*, & *Corbola*. Quare ad Sardii mentem Pomposianae Insulae ambitus inter Padum fuit, Gaurum, fossam Lupatam, Toyque. Verum haec verosimilius sunt posterioris aetatis, post Ficarioli nempe Padanam irruptionem. Certe *Toy* mentio nulla est in singulis Pomposianis tabulis, cuius tamen nomen in Mariniana bulla legi, diximus supra. *Fossa* autem *Lupata* fortasse est, quae *concha agathulae descendens in Gaurum* vocatur anno MLIII., & MXCIII. Dubium nobis etiam subest, quo fundamento innixus sinum a Gauro praegrandem efformatum asseruerit Sardius ad *Ambrosium* usque, quo profecto maxima Insulae Pomposianae latitudo exstitisset, quum ab *Ambrosio* ad *Capitisgauri* oppidum XIII. circiter millia numerentur passuum. Fundus hic *Ambrosio* dictus occurrit in charta anni MXC., sed ante eam in laudato Marini II. diplomate. Gaurum aliquos efformasse sinus, sive portus propria in ripa meridiem versus, ubi a Volanae Pado exierit, suumque ad septemtrionem cursum direxerit, non ambigimus: quot vero, quive exstiterint, affirmare non possumus. *Portus Prioris* recensetur in chartis saeculi XII., tum *Portus Cellarii* anno MCCLXVI. *Portus de Noguale* anno MCCLXXXXIII., qui *Oguale* nuncupatur Ostulatum versus anno MCCLVIII. *Meguale*, ac *Neguale* anno MCCLXIV. *Hoguale* demum anno MCCXCII. *Portus Corizii* anno

no MCCLXXXIV. *Portus de Rovere* anno MCCLXVI. ad Lacum ſanctum.

LVII. Locus vero ipſemet, quo e Pado egrediebatur Gaurus, verſus Maſſae Fiſcaliae oppidum ad meridionalem plagam *Pizzale Gaudegori*, nimirum Capitiſgauri, dicitur in Pomposianis chartis anni MCCXXVIII., quod *Puncta Sancti Martini* eſt anno MCLVI., & *Puncta Capitiſgauri* annis MCCXX., MCCXC. Prope Padum, & Gaurum, ideoque non longe ab ipſo *Pizzale* recenſetur *Agger* quidam in charta anni MXXVI., & anno MCCXXXV. *Arzer Salegetae*, qui idemne cum eo, an alter, neſcio; ſed & *Saligeta*, *Salageta*, *Seligeta*, & *Selegata*, cum eius via frequens eſt in Pomposianis monumentis. Anno MCLXXXVII. *Ramus vetulus*. Annis MXVIII., & MLVIII. ſilva *Montone* dicta prope flumen Gauri. Annis MCLII., MCCIV., & MCCLVI. *Taliata*, atque *Taliata Convicinorum* annis MXXVI., MCCXXVI, & MCCLV. quae *ſupra viam*, *quae vadit ad Maledam* dicitur anno MCCXXXII., & alibi. Quaedam *Valcis* anno MXXXIV. memoratur non longe ad eodem Gauro flumine, & *foſſa Martini de Urſilla* prope Caputgaurum anno MCLII. *Canalis de Rovere de Corroto* anno MCCXXXVI., ac ſequenti, quo etiam *canalis de Tidano*, cuius fit mentio vel anno MCCXLIII Anno eodem, & MCCLII. *Taliata de Bordino* occurrit. *Taglata* vero *Sichi* anno MCCXXXVI. *Taleata de Gunzis*, & *Lamare de Gunzo* anno MCCLIX. verſus Maſſam Fiſcaliam. *Ripa de Laterclo* verſus Lacum ſanctum anno MCXLIX. *Taglata de Albaro* anno MCCII. *Volta de Albaris* annis MCXIV., & MCCLI. *Corigium Albarii* MCCLXII., quod *Correzo de Albaro* dicitur anno MCCLXXII., & MCCLXIV., eiuſque via recenſetur anno MCCLIX. verſus Maſſam Fiſcaliam, ac Lacum ſanctum. Anno MCCII. *crux* quaedam memoratur, quae eſt *a latere Gauri*. Anno MCCV. *caput Curbae*, *quod ſecundum teſtes utriuſque partis eſt ſub capite Gauri fere per duo miliaria iuxtam ipſam Curbam*: ſententia enim lata fuit ab Ugizone Ferrarienſi Epiſcopo, ad quem ex compromiſſo Pomposianum monaſterium, Maſſaeque Fiſcaliae homines invicem venerant pro finibus Maſſam inter Fiſcaliam ipſam, & Vallem

Clu-

Clusuriam stabiliendis; quod & annis MCCLIII., ac duobus sequentibus repetitum fuit. In ea autem sententia *fossae Caballariae* mentio fit, *quae dicitur de Bertis*, & *Tallateque profundior*, *& vicinior est capiti Gauri*. De Curba inferius. Annis MLXIV. MCCXXXXVI. MCCLIII, ac MCXC. *Bradia domnicata de Pomposia*, atque pone eamdem *Padisolus* rivus annis MCLIX., & MCCVI., qui alibi *Padicolus*, ac *Padiusalus* Fiscaliam versus: quin anno MLVIII. *Talliata maiore de Bradia domnicata iuxta Gaurum*, eodemque anno *Talliata de Venerando*. Anno MCCLX. *Proda*. Anno MCCLXX. *canalis quidem magnus* recensetur. *A latere* etiam *Gauri* fuit *hospitale ad honorem Dei aedificatum*, de quo etiam inferius dicemus, uti constat ex tabulis anni MCCLXXXII. Tum anno MLVIII. flumen prope Gaurum memoratur, cui nomen *Chini*, quod forte aliud non est a fluvio *Tidini*, de cuius finibus infra. Haec quidem fere singula ad Gauri ripam iacebant: verum facile non est, qua revera ripae parte consisterent, determinare, sed fortassis pertinebant eorum alia ad occidentalem partem, ad meridiem alia; qua coniectura innixi, ubi certiora non habuerimus, inibi nos in nostra chorographica tabula eadem descripsimus.

LVIII. Alteram vero ripam Gauri, septemtrionalem, nimirum, navigantes haud longe a *Masenzaticae* vico *Talliatam Massenzaticae* eiusdem *supra Caputgaurum* reperimus anno MCLVI. & *Polisinum de supra* annis MLVIII., ac MCXC. sive *Polisinum* simpliciter biennio post. Anno eodem MLVIII. *Fronte supra*, atque eo circiter loci *Vespolum de Pontano de Sancto Georgio*. Praeterea annis praecedenti, & MLXVI. MLXXX. ac MXC. loca alia, quibus nomina *Tumba de Fraseno*, *Fronti*, nisi unus sit locus cum superius laudato *Fronte de supra*, *Pontanum in Rio*, atque *Rius in Gaurum*.

LIX. Navigato autem hoc pacto Pomposianae Insulae ambitu per Gauri flumen, reliquum est, ut Insulae ipsius continentem adeamus. Ab occidentali igitur eius parte incipientibus nobis sese offert oppidum, cui *Caputgaurum* nomen est. Eius nulla penes antiquos mentio. Ita profe-

cto

cto est dictum ex eo, quod hic loci Gaurus amnis e Volanae Pado suum nanciscatur principium. Est autem Caputgaurum Gaurianae universae regionis caput. Innumera sunt Pomposiana monumenta, in quibus Capitisgauri mentio occurrit, sed omnium antiquissimum est emphyteutica concessio quaedam terrae, *quae est posita in loco, qui vocatur Gauro* facta Petro Pomposiano Abbate anno MXVIII. XII. kalendas maias; quae membrana scripta fuit *in loco, qui vocatur de Gauro*. Et anno MLXIV. locus ipse iuxta Padi fluvium positus dicitur, hoc est iuxta Volanae alveum. Iohannis Abbatis decretum supra retulimus, quo iussum est, ut *a Talliata de Mascenzatica usque a capite de subto ville Capitisgauri* construerentur aggeres. Sed anno MCCXLIII. X. kalendas iunias primum Pomposianis in chartis pro Capitegauro *Codegorium* legitur, tribus ex vocibus uno efformato vocabulo, idest *Co*, nimirum *Capo*, *de Goro*, quemadmodum ab indigenis in praesentia *Codifiume* dicitur, hoc est *Capo di fiume*, *Consandalo*, nempe *Capo di Sandalo* &c.

LX. Ecclesiam in Capitegauro Martino dictam membranae plures ostendunt ab anno MCLV., quae *Paroecialis* esset; *Plebs* enim *Sancti Martini* dicitur anno MCLXV. & sequentibus, atque *plebatus* anno MCCIV. & alias. Suum erat ecclesiae huic coemeterium, quod ex membrana anni MCLV. pridie kalendas februarii manifestum est, necnon *campanile*; nam fines *inter pizale Capisgauri, & massam novam Fiscalie ad angulum campanilis Capitisgauri* recta fuere designati anno MCCLIII., quo publica acta pro manutenendis locorum plurium finibus Insulae Pomposianae subiectorum conscripta fuere, in quibus Caputgaurum. Quin & domus fuit pro ecclesiae Rectore ex chartis anni MCCII. aliisque, scriptis scilicet *in Capite Gauri sub porticu domus ecclesiae Sancti Martini*. Domus quoque ipsius *solarium* recensetur anno eodem. Maxime vero advertendum est, anno MCCXXXV. IV. kalendas februarias, & alibi perticam determinari *ad perticas undecim pedes, quae designata est in muro ecclesiae Sancti Martini*, licet anno MCCXLV. VII. idus octobris habeatur:

ad per-

ad perticam undecim pedum in muro domus dompnitate assignatam. Fuit enim Pomposiano monasterio in Capitegauro domus *domnicata*, in qua habitaret Abbas, eiusque ministri, & Insulae totius Rector, vulgo *Potestas*, resideret, atque Abbatis, ac monasterii nomine iurisdictionem exerceret, ut probant documenta quamplura Pomposiana saeculi XIII. & sequentis. Exstat adhuc eo in oppido ipsa domus, quae antiquum exhibet marmoreum monasterii eiusdem stemma.



Praeter ecclesiam vero paroecialem aliae ibidem ecclesiae recensentur in charta anni MCLVI., altera quidem Sancto Nicolao, altera Sancto Petro, tertia Sancto Blasio nuncupatae. Nosocomium denique in Capitegauro non defuit: anno enim MCLXXXVII. XI. kalendas iulias memoratur ibi *hospitale de Revere Scrinoso*, sive *de Ronorscrinioli*, uti dicitur anno MCCXVIII., quod nescimus, alterum ne sit, an idem cum hospitali, cuius supra meminimus, quodque *ad honorem Dei aedificatum fuit a latere Gauri*.

LXI. Territorii autem Capitisgauri loca humiliora in Pomposianis tabulis multa occurrunt, quae hic nonnisi indicare possumus, atque ita in chorographica tabula describere, ut tamen non proprium singulis situm assignatum, confidamus: nihilominus certe quidem territorii eiusdem

partes

partes erant, aut multum contermina. Itaque anno MCXLIX. *Callis de Melaria*. Anno MCLII. *Romatello*, & *Corrigium*, eiusque *Volta* anno MCLXVII. *Francolinus* anno MCLXXXI. Annis vero MCLXIX. ac MCLXXII. silva quaedam versus Lacum sanctum, cui *Ramodeganga* nomen, in Pomposiana Insula. Anno MCXCI. *Campus de Ruphino*. Anno MCXCIII., & MCCIII. *Valcis putta*, quae annis MCCXXXV. atque sequenti *Valpura* est, & *Valputa* anno MCCLXXVI. Locus, qui dicitur *Guarcinoro*, ac *Terra Tortilionis* anno MCCIV. *Molinum pendulum* anno MCCXXXV., & *Ertule* versus Curbam, aut verosimilius *Irtula* non longe a Lacu sancto, quemadmodum dicitur in chartis anni sequentis, & prope Gaurum anno MCXXXIII. Anno laudato MCCXXXV. *Cauda clausurae de Runco*, *Porusade*, quae *la Bruscada* vocatur anno MCCLIII. *Arelle de Luvi* Massam Fiscaliam versus, *Trunti*, *Caucanda*, atque prata nonnulla non longe a Capitegauro versus Massam Fiscaliam ipsam, de quibus & anno MCCLIX. *clausurae de Paganis*, seu, uti anno MCCLXXVI. *Paganorum*, *clausurae de Albertis*, & *campus rotundus*, de quo etiam anno eodem MCCLXXVI. Frequens est etiam loci cuiusdam mentio *in Corezolis* dicti, seu *Corozzoli*, *Corrizola*, *Corezola*, ac *Corosola* versus Massam Fiscaliam. Anno vero MCCXXXIV *Figarolo*, ac *Cera*. Anno MCCXLV. *contrata que dicitur Clausurie Rubenorum*, & altera *Clausuria quondam Gualdratum*. Anno sequenti MCCLVIII., MCCXLVI., & MCCLXX. *fundus Cocanilis*. Anno MCCLIII atque antiquius in chartis anni MCXII. MCXL. & alias *locus qui dicitur Albarelli* versus Lacum sanctum. Anno MCCLIX. *Cacabocono* (*Dogi*, vel *Dosi*, *Salexe de Paltrone*, & *Carbonara* itidem Lacum sanctum versus; postremi huius loci vel mentio est anno MCCLIII. Anno vero MCCLX. *Perdivanga*, & anno MCCLXIV. *Clausurae*. Anno MCCXLVII. *casale Marchoaldi*, & *Riaclus*, eiusque via anno MCCLV. versus Lacum sanctum, quam nescimus, an alia sit a *via Madi*, de qua anno MCCXII. Anno etiam MCCLXXXIX. *Zirata*, & *Scursurium* itidem versus Lacum sanctum, cuius meminere etiam tabulae anni MCCXXIX., & MCCXCII., quod pariter idem con-

ieċtare

iectare possumus cum *Scuduro* anni MCCXX., & MCCLXXXIV. Praeterea anno MCCXC. *Torisini Alberti de Dulceto*. Anno MCCXCIII. *Lamarii*, de quibus alibi, tum *Corigium de Vachis*, *Spinambertum*, quod & *Spilambertum* anno MCCLXIII., demum *campus Paganelli* non longe a fundo Miliarini Ostulatum versus. Anno sequenti *Bandita* ad Lacum sanctum, & *Bocca de la Bandida* anno MCCXII. Anno vero MCLXII., & MCLXV. *Rutilano*, ac *Sabluni*. Anno MCCIII. *Corrigiano*. *Scornicata* vero a latere Gauri anno MCLXXXVII. *Coma Baldoli*, atque *Orsilii* anno MCCLXXXIV. *Casale Montanariorum*, *androna Paradisi*, & *androna Bertuldorum*, quam commemoravimus superius, anno MCCXCII. Haec quidem locorum vocabula territorii Capitisgauri, quorum pleraque oblitterata sunt, quae ex Pomposianis monumentis nobis licuit colligere, in quibus assignantur quidem eorum fines, verum ex illius aetatis more possessorum, qui erant tunc temporis, quique nulli iam, indicati nominibus, non vero locorum eorumdem, qui supersunt, nuncupatione, quae sane una suppeteret via, qua proprium iis constituere positum liceret.

LXII. Sequitur ad septemtrionem vicus, qui *Medius Gaurus* dicitur, quasi videlicet medius locus inter Caputgaurum, a quo tria circiter millia passuum distat, & Gauri fluminis superius latus, a quo IV. passuum millia circiter abest. Oppiduli huius mentio primum occurrit in chartis Pomposianis anno MLVII. kalendis ianuarii, quum Albizo Abbas Pomposiae ad emphyteusim dedit *medietatem de uno casale*, aliaque bona in Mediogauro posita, quae ad monasterii sui ius, atque dominium pertinebant, non secus atque reliquum oppidum intra insulae Pomposianae fines contentum, iis quidem conditionibus, quibus ceteri in Mediogauro emphyteutae subderentur: *secundum alio libello de Mediogauro*, adeout solverent in primis *terraticum* grani, *sicalae*, fabae, milei, lini &c. Eodem vero anno tertio nonas ianuarii Albizo ipsemet simili iure concedit Iohanni, *qui vocatur de caput caneti*, eiusque filiis, atque heredibus inter multa bona quaedam sita *infra totum fundo*, *qui vocatur Mediogauro quod est a pri-*

mo latere de Pulicino, qui reiacet de ſupra in Gauro pervenient per Tumba de Fraſeno uſque ſupra capite de Ronco de Dominicus de Cavalli, qui reiacet in loco, qui dicitur Fronti deinde ex traverſo deſcendente in pantano de ſancto Ieorio iuxta Nexpulo ſecundo latere pantano percurrente in rio tertio rio percorente in Gauro.... atque a quarto latere Gauro percorente: quam quidem bonorum partem anno MLXXX. IV. nonas maii iterum datam ab Hieronymo Pompoſiano Abbate comperimus cuidam Dominico, *qui vocatur piſtore*, filiiſque, & heredibus eius. Praeterea IX. kalendas maias anni MLVIII. Martino, *qui vocatur Fuſco*, & Angeniae uxori, filiis, & heredibus laudatus Albizo Abbas eodem iure conceſſit bona multa in Mediogauro poſita, & poſt dies paucos Corbulo de Mediogauro, eiuſque filiis dedit *caſale unum in integrum poſitum in loco qui dicitur Mediogauro*, & alia *uſque ad Veſpolum de pantano de ſancto Georgio*: Fuerunt vero caſalis fines: *a primo latere fluvius, qui vocatur Gaurus, a ſecundo Poliſinum de ſupra, a tercio Fronte de ſupra, atque a quarto latere iuris quondam Petri*. Admonendum eſt in hac charta exaranda lapſum in errorem Notarium, qui annum quadrageſimum octavum pro quinquageſimo octavo ſcripſit. Anno vero MLXXIII. acta fuit cauſſa Ravennatem inter Archiepiſcopum Henricum, ac Pompoſianum monaſterium, qua ex Regis Henrici litteris ab eius Legato, cui nomen *Herrarat*, monaſterio reſtituta fuit *foſſa Mediigauri & omnis aqua piſcaricia ad ipſum pertinent quam Belvenſis* (nimirum *Valvenſis*, ſi recte accipimus) *Epiſcopus nomine Erimannus per iuſſionem Imperatoris H.* (ſcilicet *Henrici*) *intromiſit*. Hanc foſſam commemorant quoque tabulae anni MCLXXIX. MCCXXVII. atque MCCXXXV. Ad haec anno MCXLVIII. VI. idus auguſti Iohannes Pompoſiae Abbas Deodato concedit, & uxori ſuae, filiis, atque heredibus in emphyteuſim bona conſtituta *infra toto fundo de Mediogauro* cum onere ſolvendi *terraticum*, illudque pervehendi uſque *ad ripam ſancti Benedicti*. Et anno MCLXXXVI. XI. kalendas iulias ab Anſelmo monacho Pompoſiano Gualfredi Abbatis, monachorumque nomine fuit iure emphyteuſis data Bonaviſae, Baldizoni,

dizoni, & Bonomartino *pecia una terre pro casali posita infra confines Mediigauri habens a capite perticas* XI. *pedum* XII. *ab uno capite Gaurus percurrit*, *ab alio vallis*, *ab uno latere possidet Bonusiohannes*, *ab alio via*. Anno MCCLXVII. loci cuiusdam meminit membrana, qui *campus de scola* in Mediogauro dicitur, & alterius, cuius nomen *canalis de falza*. Oppiduli huius, sive vici Mediigaurii mentio fit etiam in chartis anni MCLXVII. MCLXXXII. necnon alibi saepius. Erat autem in eo ecclesia, quae recensetur in tabulis anni MCLVI. mense octobris exaratis: *Presbyter de ecclesia Mediigauri mittat unum hominem*, pro construendis nempe aggeribus *a talliata Massenzaticae* usque ad Caputgaurum: Eadem fuit Deo dicata, atque s. Petro Apostolo nuncupata, uti constat ex membranis anni MCLXVIII. MCLXXXIII. & consequentis. Tandem *hospitale sancti Iohannis de callis* non longe a Mediogauro recensetur anno MCCXXXIII. in Pomposiana quidem insula contentum; verum annis MCCXXVII. ac MCCXXIX. in valle clausuria constitutum dicitur, ubi fortasse reapse fuit, sed ad Pomposianam utpote ditionem pertinens, insulae Pomposianae aliquando dictum. Certe anno MCCLIV. eadem s. Iuliani ecclesia in valle clausuria constituta indicatur aperte.

LXIII. Super Mediumgaurum *Masenzatica* iacet in Pomposiana insula, de qua primum Pomposianae tabulae anni MXIII. Diploma nimirum Benedicti VIII. Romani Pontificis datum eidem monasterio, cui inter reliqua bona locum concedit, *qui dicitur Masinzatica* cum finibus suis; quod ipsum factum deinde a Leone IX. anno MLIII. atque a subsequentibus Pontificibus Callisto II. Caelestino II. Hadriano IV. Caelestino III. & Alexandro III. Insuper anno MXCIII. III. nonas maii Hieronymus Pomposianus Abbas Iohanni de Berta, & aliis ad emphyteusim dat bona posita inter vicum *qui vocatur Anzeli per valle usque Masenzathegnus ad Montisselli*. In Pontificiis, quae laudavimus, diplomatibus inter ea bona palus quaedam recensetur, *quae pergit inter rivum Angeli & Massizaticam usque Monticellum*. Superius etiam chartam innuimus anni MCLVI. in qua presbytero ecclesiae Mediigauri iubetur, ut ho-

ut hominem unum ad construendos aggeres mitteret *a talliata Masinzaticae* ad Caputgaurum usque ; hoc ipsum presbytero Masenzaticae ibidem iubetur : *presbiter de castro Mexenzatice mittat unum hominem* . Ecclesia autem Masenzaticae sub s. Petri invocatione habetur in chartis anni MCCLXVI. III. kalendas iulias, MCCXCIII. & consequentis, in quibus *presbyteri Zerbini* ecclesiae ipsius mentio est. Domus presbyteri eiusdem pone ecclesiam anno MCCLXIII. ac MCCLXVI. *Canonica de Masenzatica* dicitur, & anno ipsomet *porticus communis* memoratur *de Masenzatica*. Locus etiam in Masenzatica, qui *Bosco* dictus est, penes Guidoctum de Gualida, & Petrum Magnanum exstat anno MCCLXIII. Tandem anno MCCXXXVIII. *via que vadit ad pignariam* oppidi ipsius.

LXIV. Praecipua itaque Pomposiacae insulae oppida haec tria, Caputgaurum, Mediusgaurus, atque Masenzatica, quae nostris supersunt adhuc temporibus. Si vero Masenzatica discedens ad meridiem fere recta descendas per VII. circiter millia passuum, paullulum orientem versus, & mare, ipsam ecclesiam, atque monasterium Pomposianum comperies ea profecto aetate perquam magnificum, ubi potissimum a Guidone Abbate sanctissimo aedificia ampliata fuere, quae centum omnino monachos continerent; de qua re dicemus in consequentibus libris. Exstat quidem hucusque ecclesia, cui prope altissima turris; squallida ea tamen, ac fere deiecta, cuius typum, & quae ad eam pertinent, alibi nostra exhibebit historia. Monasterii vero aedificia diruta sunt omnino, vix sui speciem praeseferunt, horroremque undique incutiunt. Occasio nobis erit alias cum de monasterio ipso, tum de Pomposiana ecclesia differendi.

LXV. Pomposiano etiam iuri subiecta alia fuere loca extra Pomposianam insulam. Superius enim Imperatorum, atque Regum diplomata recensuimus, qui praeter insulam eamdem monasterio concessere, vel plura extra insulam loca: scilicet *massam lacus sancti cum piscaria que vocatur Tidini Insuper curtem unam integram que vocatur Vstoratus cum plebe sua & aliam que vocatur Baoria & curtem aliam que vocatur Vltra-*

canale

canale cum omnibus ad monasterium sancte Marie in xenodochio pertinentibus & cum omnibus que predicte abbacie Ugo marchio filius Uberti dedit. Quicquid etiam habet aut acquirere potest infra Padum & Attesin fluvium vel infra Padum & Sandalum. Haec quidem in Henrici Imperatoris diplomate anno MXLVII. v. idus aprilis, quae repetuntur omnino in subsequentibus imperialibus, regiisque privilegiis.

LXVI. Massa *lacus sancti* in Pomposiano instrumento primum memoratur anno MXIII. Eam enim Benedictus VIII. Pontifex Romanus Pomposiano monasterio concedit *cum omnibus rebus & pertinentiis suis cum plebe & capellis ac titulis ipsius vocabulo sancte Marie & sancti Martini sancti Petri sanctique Venantii cum piscara que vocatur Tidini & fossa archipresbiteri & piscaria que vocatur falce cum loco qui dicitur Monticello lacisico cum ripis fluminis Padi & Gauri ex utrisque partibus usque ad mare & a loco conce Agathe ex una parte usque ad mare cum loco integro qui dicitur Masinzatica inter affines de toto loco ac territorio masse que vocatur lacus sanctus, ab uno latere fossa molendini de volta latercli descendente in aquiliolo & a fluvio Tribba usque in Helliam & per paludem usque mediam curbam ultraque curbam usque Padum & ultra Padum usque gazium episcopii sancte Cumiaclensis ecclesie indeque fluvium qui vocatur Cesi, ab alio latere curlo descendente in concam Agatule & per ipsum in Gaurum, a tercio latere palude qui pergit inter rivum Angeli & Masinzatica usque Monticello & Vedetoza currente in Padum, a quarto latere vacolino & argeremalo & calle de vincareto pergente in laterclum.* Callis de vincareto corrupta quidem voce *collis de iuncareto* vocatur anno MCLXIX. *perexistente in laterculo*, uti legitur anno MX. quando & silva quaedam indicatur in territorio Comacli, quae *insula* appellata est, scilicet hisce finibus terminatae, *a primo latere campo de insula a secundo fossula gattula, a tercio fluvius Padus, a quarto vallis de zenese & callis de vincareto perexistente in laterculo.* Superius indicatos fines ipsissimis repetunt verbis subsequentium Pontificum Romanorum diplomata, & membrana anni MXCIII. quo ea loca ad emphyteusin dedit Hieronymus Abbas Pomposiae.

Massa

Maſſa eadem ſimpliciter etiam *lacus* dicitur in vetuſtis chartis, uti in Gregoriana bulla anni DCCCCXCVI. quam Amadeſius ſupralaudatus edidit, de qua etiam nos alibi dicemus, & in Pompoſianis tabulis anni MXIV. Paroecialis, ſive *plebana* in lacu ſancto eccleſia fuit s. Martino nuncupata, quod ex charta anni MXVIII. XII. kalendas maias certum eſt, necnon *hoſpitale*, de quo ſupra locuti ſumus: certe anno MCCXVIII. *volta hoſpitalis de Ronorſcrinioli* in lacu ſancto refertur.

LXVII. *Piſcariae Tidini* fines habentur anno MXLVII. & alibi ſaepius, videlicet *a primo latere fundo grecole & fundo corbacervina & fluvio Ciſi, a ſecundo latere vallis farulle & fluvius Concagathe deſcendente in Gaurum, a tercio latere Gauro, a quarto Pado*. Et in charta anni MLXXI. piſcaria Tidini pars maſſae lacus ſancti definitur, repetunturque ipſi fines. Non longe a Tidino loca fuere *catinaria*, *rothe*, *canale de fuſco*, ac *vado* ex membranis anni MCXCVIII. & MCCIV. In diplomate Martini II. Pontificis, de quo Silveſtrius, ut ſupra dictum eſt, mentio fit *Concagathae*, quae *Cagatholla* vocatur, niſi potius *Concagathola* ſit, *uſque in piſcaria cithini*. Canalis, & locus *Concagathae* etiam in aliis documentis memoratur anni MXLVII. & conſequentium, tum *bucca Concagadi* anno MCCXXXIII. *Concagatholae* vero anno MLIII. *Ciſi*, qui & *Ceſi*, fluvius eſt anno eodem MXLVII., necnon ſequenti, & aliis. Mentio loci *montone laciſico* occurrit anno MXIV., *vincaritae* vero, & *arzelemali* anno MCXV. atque alias.

LXVIII. Sed & locorum haec vocabula ſunt in Pompoſianis chartis, quae ad lacus ſancti pertinent territorium. Anno MCXIII. *liodecanum*, *raino*, & *volta de laterclo* non longe a liodecano ipſomet; *laterculus* vero anno MCCXIV. *campus communis* anno MCCXXV., *lacca*, & *ale foſſe* anno MCCLI., *albaroſo* anno MCCXXXIX., qui *albarmozo* vocatur, anno MCCLIX., & *canale albareſe* anno MCCLIV. verſus Maſſam fiſcaliam. Praeterea *la redara* annis MCCXII. & MCCLI. eodemque anno *zampognole*, *zeppo*, *rezolo*, *la cona*, *guaſtidi* (quem locum exhibent etiam aliae membranae verſus Caputgaurum) *poarzene*, *lunzurum*, ſive *lingurum*, *roncha* (cuius & plures chartae

memi-

meminere ſuper Padum vivum Maſſam fiſcaliam verſus), *doſſ um de roncba*, *porta de venanciis*, *portus ſablungi*, *volta de pont iduli*, quae poſtrema loca habentur pariter anno MCCXIV. una cum *volta aqualioli*, *foſſato dominae Honoriae*, *campo portae*, & eius *volta a foſſato*, *rivo molendini*, *rio de naroſſa*, *campo de leo de columba*, ac *treba* tum *maiore*, tum *minore*, ipſiuſque ripa. *Treba* autem haec duplex refertur etiam in charta anni MCXI. in qua hi leguntur fines: *a Pompoſia ad ſanctum Nicolaum de mare*, nimirum Comaclum, *& a Pado vetere uſque in caput de padulo da campomaiore per Padum & laterculum & per calem & trebam maiorem & minorem & per ceteros canales*. Anno laudato MCCXII. recenſentur haec alia loca, *ceſerclar*, *corſia ſorbi*, *portus Garinaldi*, *foſſadelle ſuper laderolum*, *bocca de foſſadelle iuxta ruſticellum*, *padus mortuus*, *padus vivus*, *concillo*, *traiata de medio*, *la volta de lavignal*, *campo de medano*, *volta Iohannis*, ac demum *taiata ſacerdotis*. Anno MCCLXVI. *le tumbe*, de quibus, earumque portu annis etiam MCCXII. & MCCXXXV. Anno ſequenti MCCLXVII. ac MCCLXIII. *taleata vetula*, & *ſaltixani*, ſed illius mentio eſt etiam in charta anni MCCLV. *Corezolum* memoratur anno MCCLXXXIII. verſus Capitiſgauri oppidum, ubi revera locum *in corezolis* exſtaſſe diximus ſuperius. *Fontana* anno MCCLV. & MCCXX. Maſſam fiſcaliam verſus. *De la terza parte* anno MCCLIII. ac nemus quoddam de lacu ſancto in Be.... anno conſequenti. *Vaccuinum*, *gattula*, & *ſilva Oddonum* anno eodem. *Talliata de ſegnoreto*, *Ceſarii*, eorumque *manſum*, ac *torſelli* anno MCCXXVIII. Denique anno ipſomet, & MCCXVIII., atque MCCXXIV. termini deſcribuntur inter lacum ſanctum, & Maſſam fiſcaliam hoc pacto: *Maſſa lacus ſancti extenditur uſque ad locum qui eſt oppoſitus contra frontem tidani: e contra Maſſa fiſcalia exſtenditur uſque ad medium lacum ſanctum*.

LXIX. Profecto *Maſſae fiſcaliae* meminere primum in Pompoſiano Codice chartae anni MXXII. de cuius etiam finibus publicis actis Pompoſianum inter monaſterium, ac Ferrarienſes cives conventum eſt anno circiter MCCLXX. Loca, quorum vocabula tabulae exhibent Pompoſianae, haec fere ſunt: Anno

Anno MCCXXIV. *milliarius* vicus, *qui in iosum versus Capdegaurum* iuris fuit *communis Ferrariae*, Pomposiani vero monasterii *a pazzale Capitisgauri supra ab uno & alio capite*, in Massae fiscaliae territorio recensetur, memoraturque etiam anno MCCLXXX. ubi & locus *corium de Sala* & *portus sale* versus vallem clausuriam. Anno MLXV. *plebs sancti Vitalis*. Anno MCCXXVIII. *campus de puzo*, *dalponte*, & *canalis riuli*. Anno sequenti *corde saxolo* (de quo etiam anno MCCLIX. vallem clusuriam versus), *vallis de gudullo*, seu *vallis de godolo*, uti dicitur anno MCCXXXII., *vallis anziza*, *valcoco* (cuius & charta anni MCCXX. sive *valcaucodo*, ut anno MCCXVIII. aut *quoquo* anno MCCLIV. vel *cauco* anno MCLXII.), *corfoscarino*, *orta sancti Romani*, *batilupus*, *da la glesia*, *lamma sancti Vitalis* (de qua vel anno MCCLXXXV.) *guiglaraga*, cuius meminit quoque charta anni MCCXXXV., seu *ginglaraga* anno MCCLII. *vel vigheraga* anno MCCLXII. Ad haec anno MCCLIX. *zardini*, *valtignana*, & *finale*. Anno MCCLII. *arger de corlongo*, *fossa piscaria*, *rivo de podalto.*, *donorum*, *lama vallisclusuriae* (de qua & anno MCCXXXIII.), *sanguasugula* prope curbam, cuius etiam charta meminit anni MXXXI., *pancheria*, seu uti annis MCCXXIX. & MCCLV. *pamthera* versus vallem clausuriam, *campolongo*, *vallis corzea* in valle fiscaliae, quae *val de cortetha* anno MCCXX. vocatur, *miliarinum* (cuius & charta anni eiusdem MCCXX.), atque *runchus de mezo*, quo quo pariter annis MCCXXVIII. ac MCCLIX. qui anno MCXIII. *concho de mezo* est. Sed & anno laudato MCCLII. locus quidam refertur, cui nomen *vergenese*, seu *virzinisici* anno MCXV., *verzenese* passim, *virzinise* anno MCLVIII., *unzeriense* anno MXL., *verzinensis* anno MCCXXXV., & alibi, demum *vergent* anno MCCLXXVI. non longe ab ostulato. Anno MCLIX. *calmazore* (vel *callemaiore*, uti anno praecedenti, & alias, prope ostulatum), *cornule*, *valdadia*, *lama peraroli*, *porto de iude*, sive *iudee*, quemadmodum anno MCCXXXIII. appellatur, *padrinus*, qui fortasse alius non est a rivo *padorino*, *canaia* versus vallem clausuriam, & ostulatum, quae occurrit saepius, & *canalgla* dicitur, *valbarbaola*, sive *barbeiola* anno MCCLV. Itidem *burlara* anno MCCLXII. & alibi, *via boede*, *spinadello*,

braida

braida strufaldi, *campo de frasani*, *libola*, sive *libiola* versus Ostulatum, *valexella*, *salisterna*, *batiosa*, *valdesa*, non alia forte a *valdesira* in valle clusuria anno MCCLV. quae anno MCCLII. *valdesidra* dicitur: haec loca Fiscaliam considerant, & Ostulatum. Anno MLXVII. *capralia*, qui sane locus anno MXCIX. in Ostulato ponitur. Anno MCCXX. *cornuduli*, *lamma de castaldis* Ostulatum versus, *fossa venera*, *lamma Petri de rumta* versus vallem clusuriam, *vallis rumzaruga*, *fonderaboe*, *corigium de Arduinis*, *tagladiza*, vel anno MCCXVIII. *talgiadiza* & alibi *taiaizia* ad vallem clusuriam, ac Ostulatum, *val de curba*, de qua etiam anno MCXLVIII., atque *portus de vitis*, cuius & chartae anni MCCLV. ac MCCXXXIV. ad vallem itidem clusuriam. Anno MCCXVIII. *zerisario*, *rovertrare*, *braciolum Padi*, *purcigundula*, *lungurii de cauchis*, *binaccium*, *minico*, *berlarium*, atque *fornagula*, quam memorant chartae etiam aliae non paucae, vallem clusuriam versus. Anno demum MCCXXIX. & MCCXXXVI. *braida* in Fiscalia refertur.

LXX. Haec autem loca ipsamet alias in valle clusuria, alias in Ostulato posita dicuntur; quod factum censemus vel quod maxime contermina essent ea loca, de quorum finibus nondum disputatum esset, seu potius propter notariorum incuriam, aut ignorantiam, quos verum locorum confinium lateret, vel certe qui de eo parum solliciti vellent videri. *Vallis* quidem *clausuria*, sive *clusuria* viculus est a Massa fiscalia dissitus duo circiter millia passuum ad meridiem, ubi bona plurima monasterium Pomposianum possideret, atque *fundiarium* in eum, quod vocant, haberet dominium. Cetera autem in valle clusuria loca haec recensentur in chartis Pomposianis. Anno MCCLXXVII. *hospitale de buncivallo*, *collena sancti Marci*, *ecclesia sancte Malgaritae*, *arger sclape*, *cavagna*, *via Adriani* insulae. Anno MCCXXIX. *hospitale sancti Leonardi de laureto*, & *portus vallis clusuriae*. Anno sequenti, & MCCLXIV. ac MCCXCIII. *serburo in fundo miliarini*, qui parum a valle clusuria distat, atque eius *lammare* anno MCLVIII. Tum anno MCCLI. *runco sanctae Mariae*. Anno MCCXXXIII. *lamma de bissis*. Anno MCCLIV. & MCCLXXVIII. *canalis corba*.

Anno consequenti *pedexallo*, quem coniectare possumus, non alium esse a *padesalo*, sive *padiusalo*, vel *padisalo* rivo, de quo in charta anni MCCXXXV. Ostulatum versus. Postremo anno MCCLIX. *strozacavalli*.

LXXI. Vallis clusuria anno MLXV. ad vicum pertinebat, qui vocatur *corba*, vel *curba*, cuius & mentio fit praecedenti anno, ubi etiam loca referuntur *gorgodeli*, & *cubito*, de quibus etiam anno MLXXVIII. Praeterea anno MXXXI. *trino compenzaire*, *vallis canalla*, *casale*, *la macerada*. Anno MLXVII. *volta de media curba*. Prope curbam vero *rivus maior* annis MLXXXII. ac MCXII. vel *rigio maiore*, uti habetur annis MLXV. & MCXI. cum valle *ronco bonello* dicta. Anno MLVIII. *caput de curba*.

LXXII. *Hostolati* autem loca reliqua memorantur ista ipsis in Pomposianis monumentis. Anno MCCXXXI. *sebidiona*, & *vallis de corbola in miglarino*, hoc est *miliarino*. Anno MCCXXXV. *roeda*, cuius viam superius reperimus, *navale*, *lubia de quinta caleo*, nescio an eadem cum *lubiola* memorata suo loco, *margarita*, quam plures aliae membranae recensent, atque *raibosola*, de qua, eiusque agro, ac dosso agitur etiam in chartis anni MCCXXXVII. & aliis multis, quin & anno MCCLIV. *raiboza* vocatur. Anno MCCXXXVII. *menada*. Anno MCCLXXII. *canale fraseni*. Anno MCCLXXVI. *ager veterum*. Anno eodem, & MCCLXXXI. ac MCCXCIII. *androna de bilietis*. Anno MCCLXXVII. *tumba castaldi*. Anno MCCLXXXI. laudato *pratum de maderio*. Anno consequenti *al casale*. Anno MCCLIII. *arger de palancola*. Annis MCCLXI. & MCCXCII. *pons ostolensium*, *canalis spadegli*, *lamma brunelli* (cuius *fossa* anno MCCLIV. sive *fossatum* anno MCLVIII.) *bodena chalei*, quam memorant & aliae chartae, & *bodena abrae*. Annis MCLXIX. & MCLXXII. *silva abrae*. Anno MCCLIV. *spadeclus*, cuius *canalis* superius *campus de misolo*, *canalis malgariti*, & *salix vetus*, vel *salix* dumtaxat anno MCCIV. aut *salix de vacilla*, ubi anno MXCII. pone *volta de caprioli*. Anno MCCLXIV. *volta de prada*, & *prade vixino*, *mancus cavedoni*, *campus de lovola*, *pamtera demtro*, *scurigoli*, *val de bosco*, vel *de bosio*,

bosio, *riali*, & *dossum de iuso*, quod anno eodem altera in membrana *dosum de iugo*, & annis MXLVII. ac MCCXCIII. *dossum de vigo* vocatur versus Caputgaurum. Anno MCCLXVI. *camate*. Anno MXCIX. *vallis de melaria*. Annis MXLVII. ac sequenti vicus *baoriae*. Anno MCLVIII. *falconaria*, *medium calleum*. Anno MCCIV. *lama scuminello*, & *via scalmonicae*. Annis MXXXI. & MXL. *caput de orto*, atque *via* prope Ostulatum. Denique in chartis, quae ad annos pertinent eosdem, fines describuntur fundi universi his verbis: *a primo latere caleo. a secundo latere derzenese. a tercio latere binbola. a quarto latere padiusalus percurrens*. Verum clarius etiam leguntur in regesto Pomposiano, quod notatur B ✠ III., in quo nimirum continentur *renovationes terrarum*, *& possessionum fundi Ostulati facte hominibus*, *& universitati predicte per venerabilem patrem dominum fratrem Symonem Dei gratia Arichiepiscopum Pisanum administratorem monasterii sancte Marie de Pomposia a Sede Apostolica specialiter deputatum sub millesimo tricentesimo trigesimo primo indictione quartadecima die vigesimo secundo mensis iunii in vila Ostolati predicti subter porticu domus mercadantis*. Ex eo sane regesto alia loca permulta colligere licet ad Ostulati territorium spectantia. *Camatae* prope *verzenesem* dicuntur. Tum ecclesia sancti Petri de Ostulato. *Rocta*, nimirum *rupta*, aut nos fallimur. *Passamentum*. *tumba de notis*. *corigium de campodalbizo*. *vilanela*. *caletus* cum reliquis, quae recensuimus, locorum nominibus, aliisque quamplurimis.

LXXIII. Haec sunt, quae de Pomposiana Insula, conterminoque territorio ex medii aevi monumentis in tabulario nostro servatis eruere licuit. In spem erigimur, tanta minimarum partium congerie haud fastidiendos eos certe, qui illius aetatis chorographiae Italiae adornandae, maxime vero si de hisce regionibus sermo sit, navent operam, quique profecto labores suos nonnisi documentis huiusmodi perquisitis, discussis, ac veluti in subsidium vocatis absolvere poterunt, atque perficere. Monitos hic dumtaxat lectores volumus, pleraque quidem, quae in hac nostra diatriba laudavimus,

 vimus,


vimus, documenta in diplomatico codice voluminis huius eos comperturos, reliqua vero consulto ad alterum historiae nostrae volumen amandata, tum ne moles nimium succrescere videretur, tum etiam ne perturbato monumentorum ordine, quae ad posteriorem pertinent omnino aetatem, inopportune praeoccuparemus.

DIATRIBA TERTIA

De recenti Pomposianae insulae statu.

LXXIV. NOvum Pomposianae insulae statum, ac faciem, quam aliquibus ipsa abhinc saeculis exhibet, nobis descripturis illud praemonere liceat, de hac re parum multum sollicitos nos esse debere, quum Ferrarienses in primis haud pauci geometrae, doctique homines territorium illud universum non semel, ac singillatim emensi fuerint, adeo ut vel actum nos agere, atque inutile negotium cuipiam videri queat, qui diatribae huic nostrae de recenti Pomposianae insulae statu manum admovere cogitaverimus. Verumtamen cordatiores etiam intelligent profecto, rem hanc ipsam quammaxime historiae Pomposianae conferre, ne videlicet insalutatam insulae illius chorographiam recentem, posteaquam antiquam, ac mediam utcumque illustrare satagerimus, dimitteremus omnino, atque ab incoepto manum abstineremus opere. Nihilotamen minus, ne inviti displiceamus plerisque, paucis rem explicabimus, expediemusque, atque satis erit nobis, pressius adnotatis, quae praetermittenda non sunt, insulae eiusdem chorographicam lectoribus tabulam exhibere recentis temporis, quo nimirum tum Pomposiani monasterii, tum insulae totius conspectum, qualis nunc est, sub eorum oculis ponere datum sit, atque concessum.

LXXV. Immanem sane insulae Pomposianae conversionem saeculo iam XIII. factam, monumenta ostendunt certissima tabularii Pomposiani, regionem nempe illam, cui medii aevi saeculis fuerat salubris aer effusus, maleficum deinde


TAVOLA COROGRAFICA
DELL' ISOLA POMPOSIANA
Secondo lo Stato presente,
e colle volgari
Denominazioni de Luoghi,
fatta l'Anno
1781.
Scala di pertiche Nº 2000 di Ferrara
cioè Miglia sei
PO
PO DI ARIANO
PO DI GORO
PO DI VOLANO
PO MORTO
GNOCCA
ADRIATICO
MARE
S. Basilio
Rivà
Ariano
Mesola
Soranzi
Bocca della Gnocca
PORTO DI GORO
PORTO DI VOLANO
BONIFICAZIONE DI FERRARA
Valli di Messanzatica
Valli di Goro
Valli di Mezzogoro
Valli di Codigoro
Valli di Pomposa
Valli del Belbosco
Pignaro
Codigoro
Pomposa
Agrifoglio
Palazzo
Seleghea
Val Campelto
Campello
Lago Santo
Tieni
Osteria
Chiavica Nova
Torre Panfiglia
Capan Vecchio
Bosco
Caneve
Canal Bianco
Canal Bentivoglio
Stella
Galvana
Via de Monticelli
Via Vecchia
Donzellina Senza
Canal di Mezzo
Canale
Malpiglio
Ippolito
Condotto
Giulio Pampani Pub. Geometra ed Ing. Civile dis.
Gio. Mª. Cassini Somº Inc.

inde


inde caelum tum propter maris receſſum, tum propter ſtantes paludes, & novas valles ſortitam fuiſſe, atque habitatoribus infeſtum. Res iſthaec tum aliis manifeſta eſt, tum de Pompoſiano maxime monaſterio ex actis *viſitationis* iuſſu Benedicti XII. Romani Pontificis in monaſterio eodem factae anno MCCCXXXVIII. inter quae ſupplex libellus Pontificis delegatis, ac inquiſitoribus exhibitus a Pompoſianis monachis fuit, eorumque Abbate Andrea, in quo hoc praecipuum: *Cum monaſterium ipſum ſitum, & hedificatum exiſtat in loco valivo & aquoſo & ob hoc maxima intemperies aeris ibi exiſtat, & potiſſime tempore exſtivo ubi etiam muſce & ſinifex in tanta multitudine habundant quod vix poſſunt ibi ipſe Abbas & monachi ac familiares eorum vivere & divina officia celebrare & niſi domus & eorum camere eſſent omnino clauſe & bene obturate parietibus vel bonis tentoriis, non eſt aliquis vivens qui dormire vel quieſcere poſſet & propter hoc ab olim conſtructe fuerunt de aſſidibus celle in dormitorio clauſe omnino & obturate. Quare humiliter ſupplicant predicti Abbas & monachi quod tantam neceſſitatem & tedium & caſum ſpecialiſſimum ſanctiſſimo Patri & Domino noſtro in veſtra relatione dignemini intimare ut ipſe pius pater pietate motus tollerare dignetur ut predicte celle remaneant & non deſtruantur.* Sane vel pone monaſterium ipſum creviſſe paludes, & valles, quibus ſummam, atque intollerabilem caeli intemperiem experiri regio ipſa tota deberet, conſtat etiam ex publicis actis anni MCCCCLXII.quum nimirum Raynaldus Ateſtius ſanctae Romanae eccleſiae Cardinalis, & Pompoſianus, quem vocant, Commendatarius monachis in Pompoſiano monaſterio degentibus pro eorum victu inter reliqua adſcivit *nemora. paſcua. terras. valles. & paludes poſitas circa monaſterium ipſum incipiendo a chiavegeta in confinibus rei per Iacobum de Monticulo ad livellum tente a dicto monaſterio uſque ad Padum*, ſcilicet Volanae, *incluſive cum ſuis inſulis & poliſetis uſque ad aliam ripam*. In actis vero iiſdem monaſterii fines hocce pacto proſequuntur: *Et continuando per totum Padum eundo verſus mare uſque ad confines rerum tentarum per nobilem virum Bartholomeum a Canali verſus vallem per ſpacium*


cium unius miliarii continuum illis inherendo confinibus. Et post ipsum milarium, hoc est *miliarium a dictis confinibus dicti Bartholomei proxime dictis continuando per vallem usque ad dictos primos confines inceptos a chiavegeta, comprehendendo in dicto circuito Padum mortuum & fossas eius cum omnibus earum aquis*.

LXXVI. Sed & nemorum, paludum, ac vallium mentio in Pomposiana insula frequentissima est in tabulis saeculi XIV. & consequentium; neque de illis dubitare nostra sinunt tempora, quum easdem peragrantibus regiones praesto sint, & unde unde occurrant. Pomposianum itaque monasterium, quod in praecedenti diatriba haud longe a maris littore positum diximus, ab eo nostris temporibus abest VII. circiter millia passuum silvas inter, & stativas aquas, quibus factum est, ut tercentum fere ab hinc annis illud dimiserint monachi ad novum, atque multum magnificum sancti Benedicti monasterium translati Ferrariam, & Pomposiana ecclesia paroecialis evaserit, quam primum quidem monachus gubernaret illuc ab Pomposiano s. Benedicti Ferrariensis Abbate destinatus, deinde vero saeculo medio XVII. Innocentii X. Romani Pontificis decreto parvis sublatis monasteriis, presbytero saecularis cleri ea demandetur provincia ab Abbate ipsomet, cuius ad arbitrium, & vices gerit, & eius *Vicarii* titulum praesefert.

LXXVII. Hinc eius aedificia sunt fere in praesentia diruta, uti suo loco dicemus, ex quibus vix, aut ne vix quidem monasterium inibi constitutum olim hospes colligere queat. Vetustum quidem *capitulum* superest, sed deformatum adeo, ut illud cellam vinariam dicas. Superest & triclinii pars aperto sub dio, ubi antiquissimae tabulae pictae, recentiores tamen illis, quae *capitulo* insunt, de quibus agemus in sequentibus libris. Antiquum dormitorium partim eversum, partim in horrea conversum. Nova super vetera aedificia constructa. Claustrorum fundamenta, ac rudera apparent, & parietes, sed loci facies immutata immaniter, & iam seges est, ubi Troia fuit. Quantum tamen, quantum sit, gratum futurum lectoribus, atque antiquita-

tum


RUDERA
MONASTERII
POMPOSIANI






Iottus pinx Pomposię 1314

Io. Ma. Cassini Ia.

Tab. II. Tom. I. pag. 79.



tum huiusmodi studiosis exsistimamus si mo n asterii eiusdem saltem adumbratam imaginem eorum sub oc ulis subiecerimus. Neque omittendum censemus hic lapidem c um icone in Pomposia olim repertum, translatum deinde i n publicae Ferrariensis academiae atrium una cum aliis ben e multis, riteque dispositis antiquitatis huiusmodi monumentis. Est autem qui sequitur:

PRIMAE . TVRI . L
EX . TESTAMENTO
IN . F. P. XIII. IN . A. P. XV

Superstites adhuc parietes ornant inscriptiones aliae duae, quas edidit etiam Ferrius (*Istor. di Comacch. lib.3. cap.23.*) quasque nos recudimus, ut in parietibus sunt. En itaque primam. Ferrius laudatus testis est, Sancassani diligentia factum, ut quae desunt in lapide, haud desiderarentur: Hinc hocce pacto inscriptionem ipsam edidit ille:

✠ *Eximio semper domus hec re*
splendet honore: temporibus Doni Patris co
structa Iohannis Vidorensis anno mil
leno centeno decade lustro: imperium ti
bi Corrade Christus dedit almum: Eugenium Pe
tri sublimat sede beata: hanc tibi Vir
*go domum construxit * nobilis Abbas: nobilis*
& clarus Christi de chrismate gaudens: qu
em sequitur Petrus Petri de sorte sacer
dos: censibus & rebus iuvit dum conderet
ila: milleno Verbum factum de Virgine
matre: anno cum fuerat centeno car
mine caro dicat Patanianus iunctis
decade lustro: ergo vos populi pro
ipsis deposcite Christum, ut illis portas celestes
pandat Olympi, eximiamque domum
precibus complete frequentes ✠

Ecce

Ecce autem alteram :

✠ EGO MAZVLO MAGIST
QVI FECI HÆC OPERA VOS OS
DEPRECoR VT oRETIs ✠ ME AD
DNM . ET DICATIS MISERTVS
SIT TIBI OMPS DNS


LXXVIII. Neque omnino pepercit Pomposianae ecclesiae temporis iniuria, atque ingluvies. Nihilo tamen secius ea superat hucusque, squallida licet, & fere deiecta. In aera etiam pone eamdem turris extollitur ad centum Ferrariae pedes anno MLXIII. constructa, nostrisque, quantum possibile fuit, instaurata temporibus. E regione palatium est marmoreis suffultum columnis, anno MCCCLXXXXVI. aedificatum, quod insulae Pomposianae, eiusque ditionis Rector, sive Potestas incoleret, in quo adhuc usque conterranei illi, & opiliones antiquorum carcerum vestigia indicant: at nunc fenile, atque in bubulcorum usum conversum. Adhuc tamen inscriptio legitur:

✠ MCCCCLXXXXVI TEMPORE REVERENDI
IXPO PATRIS DNI BONACURSII DEI GRATIA
ABBATIS DIGNISSIMI POMPOSIANI
HOC OPUS FACTUM FUIT


hoc est: *MCCCLXXXXVI. tempore Reverendi in Christo Patris Domini Bonacursii Dei gratia Abbatis dignissimi Pomposiani hoc opus factum fuit.*

LXXIX. Vo-


PROSPECTUS
PALATII PRAETORIALIS
POMPOSIAE

Tab. II. Tom. I pag. 180



Prospectus internus totius Templi Pomposiani

Longitudinis pedum Ferrariensium N.º 87. Latitudinis pedum N.º 42. Altitudinis pedum N.º 30.

Io: M.a Cassini Som.co Inc.

LXXIX. Volanae Padus insulae Pomposianae semper latus fuit meridionale ab urbe Ferraria fluens, qui ubi ad Capitisgauri pervenit oppidum insulam eamdem ad septemtrionem positam perpetuo considerat ad mare usque Adriaticum, multum suum flectens alveum, efformansque sinus non paucos. Eos tantum nos indicabimus, describemusque in chorographica tabula, qui insulae ipsi subiacent, praetermissis consulto reliquis, qui ab urbe eadem Ferraria ad Caputgaurum sunt, ne a proposito nos deflectere videamur.

LXXX. Haud longe itaque a Capitegauro multum vergere ad meridiem Volanae Padus incipit, efficitque praegrandem sinum, ubi fossa, cui nomen *stella*, a Gauro occidentali flumine ad Volanam descendit super viculum *seleghea*, qui *salegeta* est medii aevi. Sed saeculo XVI. eam ad Volanae cauponam pervenisse videtur, ut in sua chorographia notat Alleottius, adeout Pomposianum monasterium hanc inter fossam, & alteram superiorem *galvano*, de qua mox, medium iaceret. Prope *seleghea* vallis *campello* est, & subtus vallem ad Volanae ripam in ipso sinu *campellus* idem. Iterum hic ad septemtrionem ascendit variis flexibus Volana, quasi monasterium Pomposianum pertingens, & itaut pari libra fere cum reliquo flumine, locum *caneve* pertransiens, relinquensque nemus superius, quod *bosco* vocatur, ad mare usque perveniat, ubi & portum efficit, qui *porto di Volana* vocatur, & non longe ab eo caupona quaedam est, quae *osteria di Volana* dicitur.

LXXXI. Alterum insulae Pomposianae latus littus est Adriatici maris ad portum Gauri usque septemtrionem versus in longitudinem se ad VI. circiter millia passuum extendens. In praecedenti diatriba diximus, medium fere inter utrumque *portum Abbatis*, qui nullus iam est, & dumtaxat nomen *chiavica dell'Abbate*, & *Pò morto dell'Abbate* subter *mensularum* locum, vulgo *la mesola*, cuius pars adhuc in Pomposiana insula, altera extra eam super alveum *canal bianco* nuncupatum manet, de quo inferius loquemur. Sed Gauri portus paullo magis ad mare protenditur, quam portus Vo-

lanae; quod fortasse Alleottii aetate non fuit, qui locum quemdam inibi vulgo *sacca di Goro* commemorat, sed ab Ambrosio Baruffaldio omissum sua in tabula chorographica Ferrariensis ditionis anno MDCCLVIII. Ad Gaurianum portum ex utraque fluminis ripa cauponae sunt, quae *osterie di Goro* audiunt: sub earum altera meridionali *Pò morto* iacet in una Baruffaldiana tabula. Quod vero suo aevo contigisse scribit auctor chronici parvi Ferrariensis, ut nimirum *ex portu Volanae, & ex portu Gauri sit commodus commeatus vehendi merces Ferrariam ex omni portu maritimo*, hoc ipsum nostris temporibus fit, maxime si de Gauri portu loquamur, quin & multum praestantius posset commercium obtineri, ubi Romani Pontificis mens, & oculi ad aurea haec loca, atque nullis in Italia universa secunda, si quidem de commercii eiusdem facilitate sit sermo, serio aliquando convertantur. Sed haec sors est, & misera Italiae conditio, ut quae commercio omnium aptissima provincia est, atque felicem natura positum ei dederit, nulla fere arte, atque industria Italorum hominum, negata in primis libertate mercibus, sustentetur.

LXXXII. Tertium denique insulae Pomposianae latus, quod aliquando Gaurus septemtrionalis fuit, nunc fossa alia est, quae *canal bianco* vocatur, atque a Sardio, & Alleottio *affare*. Dictus vero Padus ab *ficarioli* abruptione *Gaurus*, posteaquam *Ariani* insulam, & nomen *Pò d'Ariano* relinquens, ad mare propius accedit, & ad Gauri portum, ubi & *Pò di Goro* vocatur. Exit autem a Pado flumine pone *Bondenum* vicum, quem ex antiquo nomine *Bondincomagum* dictum falso voluere nonnulli, VIII. circiter millia passuum ab urbe Ferraria dissitum occidentem versus, pervenitque per anfractus varios ad mare sub Gauri portu, atque antequam ad *Massenzaticae* oppidum perveniat, una cum occidentali Gauro insulam Pomposianam cingit, & ambit. Gaurus demum ab Volanae Pado prope Caputgaurum surgit ad Massenzaticam usque, *Mediigauri* oppido in itinere salutato, seque inibi iungit cum *Affare*; sed antiquo Gauro depressior est, & aestivo tempore fere evanescit.

LXXXIII. In-

LXXXIII. Interfluit vero Insulam ipsam fossa duplex; altera monasterio proxima navigatur, quae *canal Galvano* vocatur. Ea ab viculo *tresigallo* descendit in insulam Pomposianam super Caputgaurum ad Volanae Padum milliario fere uno longe a monasterio ipsomet, quod fossam inter eamdem, atque Volanam medium est. Alteri vero fossae in insulae sinu positae ad septemtrionem nomen *canal Ippolito* est. Ipsius caput sub Bauriae fossa, & vico *Coparo*. Inter fossas autem huiusmodi Pomposianae insulae pone idemmet monasterium *valles* sunt orientem versus, quae *Pomposiae* dicuntur, & versus occasum valles aliae, quae iam ab Alleottii tempore *le vie basse* dicebantur, quasque ipse describit in sua chorographica tabula; tum colliculorum plurium, vulgo *monticelli* catena, quae a monasterio Pomposiano ad fossam *affare* recta deducitur, & prope eos *valles Mediigauri*, quas *valli di s. Biasio* appellat Alleottius idem, nunc *malea*, atque in amoena, apertaque planitie via, cuius a latere nemus commemoratum supra, & pinerum, vulgo *pignaro* cum fossa *foratula* ab fossa *Ippolito* exiens, pertingensque *affare* ipsum; ac denique fossula alia *crosetta* vocata cum publica tabellionum via duplici, antiqua nimirum, & nova, quae ad Volanae cauponam hospitem perducit, cumque vallibus nonnullis, atque paludibus. Supra Mediumgaurum vero *valles massenzaticae* sunt, & fossa, quae *canal Bentivoglio* nuncupatur saeculo XVI. manufacta, cui & altera brevior *di mottalunga* coniungitur, atque ad ipsarum septemtrionem ipse massenzaticae vicus prope *affare* alveum, qui insulam, vulgo *mesine*, ipsum inter, ac Gauri Padum relinquit.

LXXXIV. Sed iam satis de Pomposianae insulae positione, ac statu. Nimii fortasse etiam istis in perquirendis fuimus. Parcet tamen lector, intelligetque, id factum a nobis, ut planiorem hocce pacto viam historiae contexendae pararemus, ad quam iam tandem properamus: *Satius* quippe *est*, quod scite Quintilianus admonuit (*a*), *aliquid narratorum superesse*, *quam deesse*; *nam supervacanea cum taedio dicuntur*, *necessaria cum periculo subtrahuntur*.

(*a*) Institut. Orator. lib.4.cap.2.

LIBER SECUNDUS.

I. POMPOSIANI monasterii primaevam originem, ut operi pretium faciamus, investigaturi, illud ipso in limine fateri cogimur, quae plurium antiquorum fortuna est monasteriorum, atque ecclesiarum, nihil certi ea de re, & explorari a nobis posse affirmari, si ab vetustissima illius constitutione, uti par est, rem auspicari velimus, sed coniecturis nonnisi quibusdam inniti quidquid adhuc viri docti opinati fuere, quod ex iis, quae allaturi sumus, aut nos fallimur, facile patebit: adeout prudenti sane consilio rem omnem verbo concluserit Mabillonius, cuius ceteroquin elaboratissimum annalium Benedictinorum opus, qua parte Italicorum monasteriorum historiam spectat, omnium censeatur iudicio mancum, atque deficiens; quod olim etiam animadverterat Quirinius (*a*), & post eum Mittarellius cum Costadonio suo (*b*). De Pomposiano enim loquens ille coenobio hisce sermonem includit verbis (*c*): *Incerti eius natales, & auctores*; quae res ipsa tamen ut remotissimum certe monasterii principium tuto inferre liceat, argumento nobis sit, & vel a primis exortae in Italia monasticae disciplinae incunabulis esse omnino repetendum.

II. Initio itaque, quum nil praetereundum nobis sit, Agnellus & Andreas dictus Ravennas Abbas, qui nono a Christo saeculo floruit, Aureliani Ravennatis Archiepiscopi vitam descripturus: *De hoc denique viro*, inquit (*d*), *non potui aliqua facta reperire, nisi tantum res, quas Ursiana ecclesia* (*e*) *in territorio Comaclensi in loco, qui dicitur* Ignis, *&* Baias, *idem idolorum nomina non longe ubi ecclesia beatae Mariae in Pado vetere sita est, ipse adquisivit. Et ipsius temporibus praedictum*

(*a*) Dissert. de monast. Ital. histor. conscrib. pag. 13.

(*b*) Annal. Camald. tom. I. praefat. pag. XI.

(*c*) Annal. Bened. tom. IV. p. 147.

(*d*) In vitis Pontif. Ravenn. apud Murator. rer. Italic. Scriptor. tom. II. pag. 84.

(*e*) *Detinet*, addit Muratorius: sive potius, corrasa vocula *quas*, tantum *Ursianae ecclesiae* legendum.

dictum aedificatum est monasterium. Ravennatibus in Archiepiscopis Aurelianum recenset Ughellius (*a*), qui annis undecim ecclesiae illi praefuisse scribit, scilicet ab anno DIII. ad DXIV.: sed Rubeus (*b*), quem secuti sunt alii, qui recentius scripsere, Aurelianum anno DX. VII. kalendas iunias vita functum statuit. Recessit uterque ab iis, quae Agnellus tradidit, qui Aurelianum Petro Chrysologo suffectum ait anno CCCCL. circiter mortuo III. nonas decembris. Clarissimae profecto, antiquissimaeque Ravennatis ecclesiae ea fuit, non secus atque ecclesiae fere cuiuslibet, conditio, ut veterum Episcoporum aetas vix, aut ne vix quidem determinari possit, quum acta ignota sint, & saepius perturbata successio. Antistitum Ravennatum chronotaxin, ac seriem scriptis consignatam ab Agnello tricas inter implicatissimas, tantasque salebras illustrare tentaverunt homines eruditi, Bacchinius in primis suis dissertationibus historico-chronologicis ad Agnellianum opus, qui tamen ipsemet vix sperat aliquando, ex iis tot ambagibus, ac parachronismatum tenebris evadere posse. Quod autem ad Aureliani pertinet aevum, certum Bacchinio est (*c*), Hormisdae Romani Pontificis tempore illum sedisse in Ravennate cathedra; quod si ita est, vixit Aurelianus ad annum circiter DXXIII. Quid autem si hac recentiorem aetate, quod non ab re fortasse sit, censeant alii?

III. Utut est, apparet hinc certo perquam vetusta memoria ecclesiae sanctae Mariae in Pado vetere, & monasterii aedificati, quod prima incunabula fuisse Pomposiani coenobii, opinatus est Bacchinius: *Habemus unum*, ait (*d*), *quod historiam iuvet*, *initia videlicet celeberrimi Pomposiani monasterii*. Ut caute tamen in re tanta procedamus, & ut suspicionis nostrae rationes, ac latebras in Agnelliano contextu occurrentes exponamus, illud adnotandum est, non satis constare, quale Comaclense territorium intellexerit Agnellus, cuius tempore aliud erat ab eo, quod Aureliani aetate dicebatur, ubi

(*a*) Ital. sacr. tom. II. in Archiep. Ravenn. num. 26.

(*b*) Histor. Raven. lib. III. pag. 135.

(*c*) In observat. ad vit. Aureliani.

(*d*) Ibid.

ubi locus exſtabat *Ignis* & *Baias* vocitatus, quae idolorum nomina dixit auctor, adhuc tamen eruditis adeo ignotorum, ut in iis inveniendis Oedipum iis petere ſit neceſſarium, liceatque coniicere, hic loci (quod Agnello non infrequens eſt) popularem fabellam aliquam ab eo plenis faucibus hauſtam nobis propinaſſe. Haec non diſſimulavit Bacchinius. *Ambiguum eſt*, inquit (*a*), *an Agnellus de territorio Comaclenſi loquatur*, *quale ſuo tempore*, *an prout Aureliani aevo fuerat*. Et poſt pauca: Ignis *&* Baias *idolorum eſſe nomina notat Agnellus*, *at idola huiuſmodi aliunde mihi ignota*.

IV. Nihilominus ne rem hanc ieiunam dimittamus omnino, principio *Ignem* idolum fuiſſe, dubitandum minime eſt. Huiuſmodi enim idololatriae ſpeciem divinis in libris (*b*) etiam habemus, & ignem cultum a veteribus Chaldaeis, Perſis, aliiſque orientalibus, & adhuc a recentioribus coli Magis, Guebris, Sabiis, omnes norunt viri docti. Quin & ab illis hancmet ſuperſtitionem ad Graecos, atque Romanos olim promanaſſe, nemo ſapiens negabit. Adquiſitus itaque locus ex Agnello ab Urſiana Ravennae eccleſia per Aurelianum apud Padum veterem *Ignis* dicebatur ex idoli nomine, quod ea in regione fuerat iam excultum ab ethnicis. Quippe quum exploratum ſit, ſuos habuiſſe Deos Etruſcos antiquos, qui varii variis in Tyrrheniae partibus erat, ut Aeſculanorum Ancharia, Faliſcorum Cures, Caſinatium Delventinus, Oſcorum Mamers, Numentinus Atinatium, aliorum alii, aeque indubium eſt, & primos Circumpadanae regionis accolas, quas Etruſcos ipſos alibi diximus, Deos excoluiſſe proprios, ſcilicet eoſmet, quos *Ignem*, & *Baias* dixit Agnellus vocibus fortaſſe converſis ſive corruptis iam ante aetatem ipſius. Illud enim Graecis, Latiniſque fuit ſolemne, a vetuſtis recedere vocabulis, ubi orientales mutuarentur, invenirentve voces, quo earum originis omnis aliquando deperiret notitia, aliquando quia eorum eſſent auribus plane barbarae, atque a linguae ſuae ingenio deflecterent; adeout Tyrrhenicis nominibus nova ſurrogarent, & ſua, aut eorumdem

(*a*) In obſervat. ad vit. Aureliani. (*b*) Sapien. XIII. 2.

dem Latinas, Graecasve arte sufficerent interpretationes. Quid si id factum de idolis illis, quorum Agnellus meminit? Namque Deos inter Etruscorum quum *Tina* fuisset, vel *Tinia*, & *Elicius*, quod Iovis erat nomen, & quandoque Bacchi, ac forte etiam Minervae, quodque in Etruscis pateris praesertim occurrit in Gorii museo Etrusco, illud ex Latino *Tonans* detortum voluere nonnulli, ut vox proinde sit ex Latino facta, non secus ac vox altera *Elicius* ab *eliciendo*, quod significarunt Ovidius (*a*), Livius (*b*), Plinius (*c*), ac postremo Arnobius (*d*), qui longam recitat fabulam in hanc ferme sententiam, Numam videlicet artem Iovis eliciendi a Fauno, & Pico didicisse ad forum, quo convenire solebant, vino, mulsoque sopitis, captisque duodecim iuvenum, quos in insidiis posuerat, opera; mox ab Iove sacrificiis elicito, atque evocato fulminis procurandi ritum Numam quaesivisse. Alii vero voces illas non ex Latino derivatas dixere, bene autem ex Hebraeo, vel ex Chaldaeo, & Syro, intimius demum, & verius ex Arabico Mazochius (*e*), qui docte ostendit, ad tonitrualem rem vocem utramque pertinere, & fulguralem esse, quam Romani deinde ex Tusci, hoc est orientalis sermonis inscitia ad portenta propensissimi in *Ignem* convertere potuerunt. Quin & Latinum *tonandi* verbum ex Tusco *Tinia*, undecumque hoc arcessatur, factum ipse non dubitat, quum tonitrualis omnis disciplina, utique & voces eo pertinentes, tota ex Tyrrhenia exstiterit.

V. Quid vero sit *Baias*, hoc opus, hic labor est. Numnam idem ac ipse *Ignis*? Inter Etrusca certe idola *Bygoes* fuit nympha, quae fulguritarum artem scripserat; Servio enim teste (*f*), Romae in templo Apollinis non solum Sybillini adservabantur libri, & Martiorum, sed & *Bygoes nymphae, quae artem scripserat fulguritarum, adde arborum apud Tuscos*, & fortasse iimet fuere *fulgurales libri* quorum aliquando meminit Tullius (*g*). Idemmet *Bygoes*, seu *Bugoes* nomen Tuscum, & orien-

(*a*) Fastor. lib. III. vers. 327.
(*b*) Lib. I. cap. 20.
(*c*) Lib. II. hist. nat. cap. 53.
(*d*) Lib. V.
(*e*) Differt. I. diatriba 8. §. 2. to. II. opusc. pag. 349.
(*f*) Ad lib. VI. Aeneid. ver. 72.
(*g*) De Divinat. lib. I.

& orientale ex Arabico verbo *Baba* de fulgure adhibetur ſplendente, & quoquo verſum emicante, quum *Elicii* contra vocabulum uſurpetur potiſſimum de fulgure coruſcante, cui pluvia non ſuccedat: unde Arabicum nomen *Baugo*, ideſt *Bugo* (hoc enim Arabibus familiare eſt, *o* aut *u* ceterarum dialectorum in *au* reſolvere), unde etiam Tuſcum *Bugoe* in lexicis *coruſcatio fulminum* exponitur. Nonne igitur locus erit coniectandi, loci illius, atque idoli ab Agnello memorati vocabulum mirifice contortum fuiſſe, atque corruptum, *Bygoen* nimirum, ſeu *Baga* in *Baias* commutatum ex eo fortaſſe etiam quod commune iam Latinis eſſet prope Puteolos *Baiarum* nomen? Sed praeterea אש *eſc* Hebraeis eſt *ignis*; quo nomine inſignitur ipſe Deus optimus maximus (*a*): adde vero ב *bet*, ideſt *in*, fit באש, *Baeſc*, vel *Baas*, unde *Baias*, ſcilicet *in igne*. *Ignis* igitur & *Baias* nomina loci unius Agnello idem eſſe potuere ac *Ignis* latine, qui hebraice, ſive phoenicie, vel tyrrenice *Baias* diceretur. Et fortaſſe *ignis* & *in igne* ſignificantiam redolet orientalem *ignis aeterni*. Hinc hodiernis Magis ignicolis *ignis* dicitur *bab*, ut Herbelotius tradit (*b*), quod Perſicum nomen a *babas*, vel *baias* videtur contractum. Ad haec יה *Iahc* eſt Deus; unde ביה *baiahc*, ſive *baiaſc in Deo*. Demum & באש *baaſc*, *foetuit*, & בוש *baias chald. malum eſſe*. Illud demum addendum eſt, celeberrima fuiſſe olim in Comaclenſi territorio calida Abani balnea; & quidem inferior ea circumpadana regio ſulphureis haud paucis ſcatebat veluti fontibus, ut eruditis notum eſt; de qua re vide etiam Careneium (*Obſervations ſur le cours du Pò*). Opportunumne comperies aliquod certe ex his etymon ad ſtabiliendam originem vocis utriuſque *Ignis* & *Baias*? An contorta haec, ſimiliave, & longe nimis petita videbuntur? Hoc ſi eſt, per nos licet, quibus coniecturis indulgentibus non minima quidem in hiſce ſtabiliendis, nec levis difficultas eſt. Interea, ſi habeant, meliora proferant alii; ſin autem, his utantur nobiſcum.

VI. Iis itaque omiſſis, eo loci eccleſiam beatae Mariae in Pado vetere ſitam ſcribit Agnellus, quum Aureliani *temporibus*

(*a*) Deuter. IV. verſ. 24. (*b*) Biblioth. orient. pag. 11.

poribus praedictum aedificatum est monasterium. Quae sane Agnelli verba, si recte perpendantur, illud innuere videntur, ecclesiam scilicet praedictam in Pado vetere positam evasisse Aureliani aetate monasterium, nova huius ad illius latera aedificatione. Quodnam vero, nisi Pomposianum saeculo iam nono celeberrimum? Verum & subdubitare licet, num ecclesia illa iam ante constructa dicenda sit, & alia ab aedificato deinde monasterio, an unum idemque intellexerit Agnellus. Cur enim ubi aedificatum monasterium dixerit, vocem *praedictum* usurpatam voluit, quasi de illo monasterio (de quo mirum supra silentium) vel praefatus fuerit, vel ab ecclesia beatae Mariae distinguendum haud esse significare voluerit? Accedit eo, monasterii nomine quid certo intellexit Agnellus, quod variis temporibus, variisque a scriptoribus diversimode sumptum notat Ducangius (*a*). *Scio*, ait Bacchinius ipse (*b*), *monasterii nomine ab Agnello aedem paroeciam non habentem intelligi ex dictis alibi*. In observationibus enim suis ad vitas s. Iohannis Angelopti, & Iohannis II. (*c*) adnotaverat, monasteria ea vocasse Agnellum, *quae quidem divino cultui dicata erant*, *sed privatorum quodammodo usui inserviebant*, *nec publicis utriusque sexus christianorum conventibus patebant*, *quod basilicarum iuris erat*: *oratoria*, *seu sacella alii dixere*. Verum si hic loci monasterium intellexit Ravennas biographus aedem paroeciam non habentem, qui certum erit nobis, eamdem perpetuum fuisse intellectam ab eo, quem non ita sibi constare, ut nomini uni ipsissimum semper appinxerit sensum, non semel animadvertit idem Bacchinius? Quin si monasterium hic paroeciam non habens Agnello sit aedes, anne monachis vacua necessario dicenda erit? Ad basilicarum latera antiquitus monasteria aedificari consuevisse, norunt omnes eruditi; qualia reapse ad latera s Stephani Ravennae fuisse constituta, testatur Agnellus ipsemet (*d*), ad Vaticanae basilicae Ciampinius (*e*), & Bonannius (*f*) ostendunt,

(*a*) Glossar. med. latinit. ad voc. *monasterium*.

(*b*) In observat. ad vit. s. Aureliani.

(*c*) §. III.

(*d*) In vita Maximiani Archiep. Ravenn. cap. II.

(*e*) De antiq. Constantini aedificiis.

(*f*) De summor. Pont. numismat.

dunt, ad latera demum, ut alia omittam, basilicae s. Paulli urbis scribit Anastasius Bibliothecarius (*a*), quo tamen teste ibi degebant monachi, vel saltem unus in cellulis singulis (*b*). Non enim tunc temporis, quod Bacchinius advertit (*c*), quasi cubicula quaedam eo modo, quo recentiorum basilicarum sacella, ita construebantur, ut inserta basilicis essent, cuius facerent partem, sed parietibus tamquam septo a basilicae corpore separabantur, & unam veluti cum basilica media aedem efformabant circumpositis murorum septis munitam. At quod monasterium alibi est Agnello ad latera basilicae constructum, ubi de ecclesia loquitur s. Mariae in Pado vetere, certe non est, eoque vel magis habitatum a monachis, vel a monacho uno coniectare poterimus, sicuti cellae huiusmodi antiquis temporibus, Hieronymo, & Cassiano testibus, dici consueverant.

VII. Porro Padum veterem vocat Agnellus, quem *Volanae* dicunt, quique olim dicebatur *Olane*, & unum est ex ostiis Padi fluminis cum portu cognomine in ora Adriatici maris, de quo libro superiori disseruimus.

VIII. Ecclesia autem illa beatae Mariae in Pado vetere monachorum domus censeatur, negeturve, eademne dicenda est, vel alia omnino ab Pomposiana ecclesia? Et hic incidimus in difficilem nodum. Mittarellius & Costadonius (*d*) ex tabularii Archiepiscopatus Ravennae autographo ad annum MLXXXVI. concessionem referunt factam ab Adalberto Comaclense Episcopo Iohanni Abbati s. Adalberti, in qua haec leguntur: *Insuper facio finem & diffinitionem de tota plebe sancte Marie de Pado vetere &c.*, ubi non unam fuisse dumtaxat ecclesiam, constat ex iis, quae eadem in charta subduntur: *Et insuper finem & securitatem facio de hecclesia sancti Michaelis positam in eodem Pado cum omnibus sibi pertinentibus*. Utriusque autem ecclesiae mentio est etiam in quodam publico actu conscripto anno MCCCIX. quo Salinguerra Ferrariensis

(*a*) In vitis Gregorii II. & Gregorii III.

(*b*) Vid. Murator. antiq. med. aevi tom. V. differt. LXV. col. 420.

(*c*) Loco supra laud. §. IV.

(*d*) Annal. Camald. tom. III. p. 80.

riensis in bona Petri Traversarii, & Ubertini Ravennatis succedit; in eo enim, quem ex Priscianiano manuscripto, & alio Vaticani archivi exscripsit, ediditque Fontaninius (a), habetur: *Item omnes valles & possessiones integrae, quas habuit dominus Ubertinus in Pado vetere, quas detinuerunt Vesius, & Fiscardus germani, & Martinus Presciteas cum germanis suis, scilicet a plebe sanctae Mariae de Pado vetere usque ad ecclesiam sancti Michaelis ab ambabus partibus cum ipso Verzenese mediante rivo, qui vocatur area, quem detinuerunt heredes quondam domini Pauli Traversarii cum ipsa area, ac suprascripto Pado vetere. Item plebs sanctae Mariae de Pado vetere: ab uno latere corigium de Peolcardo, a secundo altera medietas de rivo de ara, a tertio usque ad medium flumen Trebe, a quarto ius monasterii sancti Alberti*. Iam vero renuntiatam ab Comaclense Episcopo Iohanni Abbati ecclesiam beatae Mariae de Pado vetere, vel quam in hereditatem sortitus fuit Salinguerra, eamdem cum Pomposiana ecclesia nemo cordatus dixerit, quam nec monasterii s. Adalberti, aut cuiuspiam alterius iuris umquam fuisse, nec profecto de Pado vetere post saeculum praesertim XI. vocitatam certum est. Earum igitur quamnam (ita nos Deus adiuvet) significavit Agnellus? Neque scio quid dicam, aut quid coniectem. Fines sane plebis s. Mariae de Pado vetere in Priscinianis tabulis sanciti rem omnino definire videntur.

IX. Omitto, Agnellianum contextum satis implicatum, nec grammaticas leges servatas ab eo, qui *parum in Prisciani schola versatus erat*, ut Muratorius ait (b), rei veritatem clare introspiciendam vetare. Praeterea si Bacchinio auctore infinita sunt, in quibus absurde peccat Agnellus, si, ut Muratorius laudatus advertit, anachronismis intolerabilibus saepe scatet, quod is nesciat unus, qui ne summis quidem labiis salutarit auctorem, quis nos in loco tuto ponet, dum nonnisi ex Agnelliano nimium, ut vidimus, intricato, perturbatoque contextu, ex una indiligentis scriptoris auctoritate de

M 2

(a) Domin. tempor. della s. Sede sopra Comacchio par. I. pag. 397.

(b) Praef. in vit. Agnell. tom. II. rer. Ital. script.

de prima Pomposiani monasterii epocha iudicare velimus? Ne igitur, data quasi hac venia antiquitati, nimis indulgenter miscendo dubiosa perspicuis, primordia monasterii ipsius augustiora, quam par sit, nos faciamus, vel ex Agnelli verbis haud licet Pomposianarum rerum initium ullum invenire, vel vix coniectare poterimus, aedi alicui sacrae antiquis ibi aedificatae temporibus monasterium postmodum accrevisse, monastico instituto saeculo VI. & consequenti per Italiam propagato.

X. Eapropter ut ab incertis ad certa gradum faciamus, siquidem vera potius, quam dictu speciosa dicenda sunt, Pomposiani monasterii prima occurrit mentio ante saeculi IX. finem, minime tamen quasi eo dumtaxat aevo esse inceperit, sed imo statu florenti, qui antiquiora originis tempora praeseferet. Hic meminisse iuvat, quam acriter Romanos inter Pontifices, ac Ravennates Archiepiscopos eodem ecclesiae saeculo, & sequentibus actum fuerit in adsciscendo sibi mutuo dominatu, auctoritateque exercenda in Aemilia, seu utriusque Pentapoleos civitatibus (a), & in integro Ravennae exarchatu, in quem dominari occidentis Imperatores contenderent, Archiepiscopi vero Ravennates non semel assererent, ipsum Ravennati ecclesiae a Romanis concessum Pontificibus, quorum & privilegia hac in re ostendebant (b). Porro in Ravennate exarchatu Comaclum urbs erat, cuius in territorio Pomposiana insula, & in ea constitutum monasterium iacebat, atque ecclesia, de qua lis propterea movebatur saepius, quam dirimere, ac pro se iudicare semper praesumptis tentabat rationibus Ravennas Archiepiscopus.

X. Epistola ab Iohanne VIII. Romano Pontifice ad Ludovicum II. Imperatorem data rem declarat. *Iohannes VIII.*, scribit Mabillonius (c), *in quadam epistola ad Ludovicum Imperatorem, qui Pomposianum, & quaedam alia monasteria Ravennati ecclesiae a Romanis Pontificibus ablata, eidem restitui petierat*, *ea*

(a) Vid. epist. LI. & seqq. codicis Carolini apud Murator. rer. Ital. scriptor. to. III. par. II. pag. 201. & seqq.

(b) Vid. Murator. ibid. pag. 489.

(c) Annal. Bened. tom. III. lib. 37. §. 58.

ea retinere pergit, *Ravennati ecclesiae haud ablata fuisse caussatus*. Ravennatem per illud temporis ecclesiam gubernabat Iohannes VIII. Archiepiscopus, *homo sui saeculi mortalium arrogantissimus*, ut eum sugillat Ughellius (*a*), qui populi tyrannus, non Episcopus a Ravennatibus Romano Pontifici Nicolao I. plurium criminum accusatus sanctam Romanam ecclesiam contempserat. Prae ceteris autem plurimis, quae Romanae erant ecclesiae, bonis occupatis, & praediis, *praecepta etiam*, sicuti Anastasius Bibliothecarius scribit (*b*), *iuris sancti Petri*, *si apud quoscumque inveniebat*, *frangebat*, *& ad ius sancti Apollinaris transferebat*. Hinc sacris a conventu Episcoporum diris confossus, Ticinum oraturus Ludovicum II. Imperatorem contulit sese, legatis ab eo ad Iohannem Pontificem impetratis. Verum quum Aemiliae contra agentibus Episcopis, populoque, & urbis Ravennae Senatorum ordine nihil profecerit, neque obstrepere desineret pervicax, Imperatorisque aures obtunderet Ticini, *per internuntium*, teste Anastasio eodem (*c*), *ei mandat Augustus*, *dicens*: *Vadat*, *& fastu elationis deposito tanto se humiliet Pontifici*, *cui & nos*, *& omnis ecclesiae generalitas inclinatur*, *& obedientiae*, *ac subiectionis colla submittit*. Archiepiscopus quidem tandem aliquando resipuit, sed proniori in eum Ludovici animo abusus, deque usurpatis quibusdam a Iohanne VIII. Pontifice, qui post Nicolaum fato functo Hadriano successerat, ecclesiis, quas iuris sui diceret, conquestus, sive litteras, sive nuntium ad Pontificem ipsum a Pio Imperatore obtinuit, quibus proprium sibi ius vindicaturus Iohannes respondit. En superstes epistolae istius fragmentum apud Baluzium (*d*): *Nam monasterium sanctae Mariae in Comaclo*, *quod Pomposia dicitur*, *& monasterium sancti Salvatoris in monte Feretri*, *aliudque monasterium*, *quod vocatur sancto Probo* *Ravennati Archiepiscopo non abstulimus*, *sed ea monasteria*, *& loca ab antecessoribus nostris possessa reperientes possedimus*, *hactenusque*

(*a*) Ital. sacr. tom. II. in Archiep. Ravenn. num. 53. pag. 346.

(*b*) Vit. Roman. Pontif. in Nicolao I. apud Murator. rer. Ital. script. tom. III. pag. 255.

(*c*) Ibid.

(*d*) Miscellan. tom. V. pag. 489.

nusque iure proprio retinemus Et quia eidem ecclesiae alia loca nec tulimus , nec occupari fecimus , habeat quae hactenus habuit absque praefatis monasteriis , quousque in praesentia nostra & ipsa loca , quae sua esse putat , nostrae potius ecclesiae lege , & ratione pertinere cognoscatis . Datum IIII. *kal. februar. indict.* VII. Commemorat epistolam hanc Mabillonius his verbis (*a*) : *Nullum de hoc monasterio antiquius invenio monumentum , quam epistolam Iohannis Papae VIII. ad Ludovicum II. Imperatorem , in qua ei conquerenti , aut certe Archiepiscopo Ravennati , quod monasterium sanctae Mariae in Comaclo , quod Pomposia dicitur , necnon monasteria sancti Salvatoris in monte Feretri , & sancti Probi Ravennati ecclesiae abstulisset , negat se ea abstulisse , sed loca ab antecessoribus suis possessa retinere .*

XII. Monasterium igitur sanctae Mariae in Comaclo , quod Pomposia dicitur , primum epistola exhibet , in quod omne sibi ius contra Ravennatem Archiepiscopum asserit Iohannes Pontifex , non quasi novo , recentique accedente titulo , sed antiqua , atque inviolata praescriptione ab Romana ecclesia possessum . Sane remotissimae Pomposiani coenobii originis tuto asserendae argumentum est evidens . Data enim epistola est quarto kalendas februarias , indictione septima , quae anno respondet DCCCLXXIV. uti etiam adnotavit Mabillonius (*b*) : quo propterea tempore non modo illud opibus floruisse , habitumque in pretio , sed etiam antiquioribus exstasse temporibus , tum epistolae , & controversiae , litisque actae ostendit ratio , tum asserta a Pontifice monasterii longaeva possessio ; adeo ut quid nimis iudicari non debeat , si duobus & amplius retro saeculis primam illius constitutionem statui posse dixerimus . At in tanta rerum obscuritate , immanique tabularum defectu , nil est summo cum historiae nostrae detrimento , quod exactiori queat acie introspici , numeroque sanciri .

XIII. Altera aeque antiquissima monasterii Pomposiani memoria in donatione quadam insigni occurrit facta anno DCCCLXXXXVI. Petro diacono Ravennati filio suo ab Ingelarda Comi-

(*a*) Annal. Bened. to. IV. pag. 147. (*b*) Ibid. to. III. lib. 37. §. 58. p. 186.

Comitiſſa Aſpaldi Comitis palatii filia, & olim Martini Ducis uxore, cuius rerum Ravennatum ſcriptor meminit Hieronymus Rubeus (*a*), quamque ex Ateſtino tabulario protulit Muratorius (*b*). Haec autem in ea ad rem noſtram leguntur: *Similiter & do tibi dilectiſſimo filio meo ſimiliter abſque hereditario iure in vico Cumiaclo, & territorio, & ducatu eius in omnibus generibus & ſpeciebus, excepto caſale ubi reſidere, viſus fuit Leo, qui vocatur Albo, & quatuor que fuerunt quondam bone memorie Gregorio Duce ſocero meo, & Quinto maiore, quod ad iura ſancte Marie in Pompoſia videor habere; & duas partes in Cornacervina, ac atiam partem in Finale, que omnia innovanda ſunt a ſupraſcripto monaſterio.* En Pompoſiani coenobii mentio, en bona non pauca in Comaclenſi ducatu ab eo poſſeſſa, & ab Ingelarda detenta nonniſi emphyteuſis titulo, quem Petrus a matre innovare iubetur. Verum quinam per ea tempora fuerint Pompoſiani Abbates, reſque eorum geſtas, & monaſterii annales obrutos oblivione vere nihil poſſumus dicere, fingere aliquid ſaltem commode, aut divinare non licet. Fortaſſe, ut felix ferebat ingenium ſaeculi, id negotii monachis erat praecipuum, & unum, Deo, diviniſque rebus perfecta cum monaſticae vitae obſervatione vacare.

XIV. Declarant haec nihilominus, quantum a veritate Pigna (*c*), Sardius pater (*d*), aliique longe abfuerint, quibus prima monaſterii Pompoſiani fundamenta iacta anno circiter DCCCCXLVII. ab Ugone Marchione viſa ſunt. Sane in Pompoſiam beneficentiſſimus Ugo Marchio refertur paſſim in Regum, ac Imperatorum diplomatibus monaſterio datis; ita tamen ut cautiores illud ab Ugone magnifice ditatum verius affirmaverint. Porro de eo adeo intricata res eſt, conflictanturque docti homines inter ſe, ut fortaſſe adhuc ſub iudice lis eſſe videatur. Solvere nodum hunc haud nos confidimus, ſed quid dumtaxat vero dici queat ſimilius, exponere.

XV. Ugo-

(*a*) Hiſtor. Ravenn. lib. V. p. 259.
(*b*) Antiq. med. aevi tom. I. pag. 153.
(*c*) Iſtor. di Caſa d'Eſte lib. I. p. 52.
(*d*) Iſtor. di Ferrara lib. I. ad ann. 1047.

XV. Ugonem unum Ferrarienſes agnovere hiſtorici, Priſcianius, Gyraldius, laudatique Sardius, & Pigna, iis monumentis innixi, quae prae oculis habebant, ac Ricobaldo antiquo rerum Ferrarienſium ſcriptore; Ugonem, inquam, magnum Tuſciae Marchionem, & Ducem, uti promiſcue dictum, qui e vita deceſſerit anno DCCCCLIII. in ipſo Pomposiano monaſterio, ibique ex teſtamento humatum, quem Azzoni ſeniori Ateſtio patrem aſſignant, aut alterum certe inter Azzonis II. Marchionis progenitores tentata hocce pacto Ugonis ipſius cum Ateſtia gente inſitione, quam expiſcari tamen vel ex hiſtoriis, vel ex documentis longinquis eruditioribus haud licuit, Puccinellio praeſertim tum in ſuo Abbatiae Florentinae chronico, tum in Ugonis eiuſdem hiſtoria; quinimo nec maſculam adhuc uſque hominis progeniem illis datum eſt detegere. Ad haec Ugonem iuxta legem vixiſſe Salicam, qui Salicus profecto origine patrem Ubertum Tuſciae Marchionem, avum Ugonem Francum Italiae Regem habuit, extra omnem aleam Muratorius poſuit (*a*), tabulis exhibitis; ut hinc non genti Ateſtiae inſerendum illum prorſus cenſuerit, quae ex Langobardico ortos ſanguine maiores ſuos fuerit proteſtata. Infert ex his ſcriptor idem, Ugonem Marchionem, de quo tum in Pompoſianis diplomatibus, tum in aliis mentio eſt, non Tuſciae fuiſſe Ducem, ſed Ateſtium Azzonis ſenioris fratrem, & Uberti, ſive Oberti filium; adeout quam donationem Ferrarienſes hiſtorici Pompoſiano monaſterio factam ab Ugone Tuſciae Marchione, ac Duce indubitanter dixere, ab Ugone Ateſtio potius collatam demonſtrare contenderit Muratorius, tum monumentorum penuria, quibus Tuſco Ugoni illam adſcribendam conſtet (*b*), tum maxime ex diplomate Henrici II. Germaniae Regis Pompoſiae conceſſo anno MXLV. quo firmatum iri ſententiam ſuam opinatur. Haec ipſa ſunt diplomatis verba: *Abbaciam ſanctae Mariae in Pompoſia . . . ab Ugone Marchione magnifice ditatam . . . ad noſtrae dominationis manus recepimus.*

(*a*) Antich. Eſtenſi Par. I. cap. 12.

(*b*) Murator. ibid. & piena eſpoſiz. de' diritti Imper., ed Eſtenſi cap. 16.

pimus. Eamdemque cum omnibus pertinentiis suis ... & cum omni utilitate quae vel nominari, vel scribi possit & quicquid sibi iunior Ugo Marchio filius Uberti dedit, & quantacumque habet, vel acquirere potest infra Padum, & Atsesin fluvium, vel infra Padum, & Sandalum ab omni subiectione Archiepiscoporum excutimus, ut regalis sit. Inter Padum, & Attesin reapse dominabantur Atestii, ubi dono data affirmantur posita. De uno igitur Ugone, & quidem Atestio, Uberti filio in suo diplomate locutum Henricum Regem velis equisque Muratorius defendit, iuniore quidem annis circiter triginta Ugone Salico; ita ut mirum esse non debeat, si nullam Ugonis memoriam tum Henricus Almus, tum Conradus Imperatores suis in tabulis fecerint, quae mortem praecedunt Atestii, non omissuri, si magnificentissimae donationis auctor Salicus foret, qui saeculi in limine fato functus fuerat. Illa Ferrariensium, haec Muratorii est mens. Reliquum est, ut nostram aperiamus,

XVI. Iam vero principio nos ab illis toto diximus caelo distare, qui prima Pomposiae fundamenta medio nonnisi saeculo decimo ab Ugone Marchione iacta cognoverint, quem quum Pomposiae mortuum, tumulatumque ibi cadaver scribunt, penes auctores omnis sit fides: forte quod non somniati fuerint, e monumentis, quae tum praesto essent, collegere. Quo vero pergant, quum anno DCCCCLIII. Ugonem defunctum vita asserunt, nobis omnino impervium est. Anne Ugonem nepotem cum avo Ugone confundunt Aquitaniae Duce, Lotharii Arelatensis filio, Italiae deinde Rege, quem in Italiam proceres, cum Iohanne X. Romano Pontifice foedere inito, anno DCCCCXXVI. auxiliarium vocarunt ad Rodulphi Burgundiae Ducis pervicacitatem contundendam, atque tyrannidem, quod Liutprandus litteris consignavit (*a*), & post eum Sigonius (*b*)? At Italiae Rex Ugo regno privatus anno DCCCCXLV. monasticam suscepit vitam non in Pomposiano quidem coenobio, sed Arelatis, aedificato sancti Petri Mona-

(*a*) Histor. lib.4.

(*b*) De regno Italiae lib.6.

monasterio, ubi anno consequenti naturae debitum solvit. Sane Tusciae Ducem, & Marchionem anno MI. obiisse, dubitandum non est. Asserta autem ab ipsis, a Muratorio negata Ugonis ipsius cum Atestia gente insitio vera ne sit, an falsa, definire nostra non interest. In Muratorii partes lubenter descenderemus: nihilominus rem haud confici censemus ex eo, quod ille lege vixerit Salica, Langobardica Atestia gens; non enim, quod ipse Muratorius docet, perpetuum aeque, certumque argumentum est ad gentium per ea tempora stabiliendam originem, saltem ubi solum illud sit, neque aliunde confirmatum, quae in usu erat de legis acceptione facta professio, quum non semel legitimis certe rationibus qui Salicae nationis fuerint Langobardicas leges profiteri testarentur, aut contra. Sed quod negotium facessit, Ugoni ne Atestio iure recteque Muratorius singula adscribit quae de Pomposiana donatione narrantur? Anne qui *Ugo Marchio* Henrico Regi Germaniae est, idem, aliusve dicendus erit ab eo, qui *iunior filius Uberti* appellatur? Haec rei est summa, quam si perscrutemur attentius, apparebit profecto, non unum, sed alterum Ugonem ab Henrico distinctum. Cur enim qui sub diplomatis initium dicitur *Ugo Marchio* tantum, iunior *Ugo Marchio filius Uberti* ad calcem dicendus fuerit? Si ab illo hic non alius, cur non initio eodem, & primum hac nota distinctus, ut ipsa fere sermonis ratio postulat, sed contra *iunior* dictus secundum, & *filius Uberti*? Evidens indicium est, aut nos fallimur, duos hic Ugonis nomine dictos innui, quos iniuria Muratorius confundit, duos, inquam, e quibus alter Pomposiam magnifice ditaverit, alter iunior Uberti filius plura etiam ipsi monasterio donaverit nescio an Padum inter, & Attesin, ut visum Muratorio est, quod nihilominus ex diplomatis membro haud enodate consequi nobis videtur, vel potius alibi.

XVII. Neque illud veritati satis consentaneum est, quod homo eruditus addit, nullam Ugonis mentionem in diplomatibus factam cum Henrici Almi, tum Conradi Imperatorum

rum datis Pomposiae. Quod Henricianas ad tabulas spectat, exstat quidem in Pomposiano archivio Henrici eiusdem diploma *datum anno Dominicae incarnationis* MXIIII. *indictione* XII. *anno vero Domini Heinrici Regis secundi regnantis* XII. *Actum Ravenne feliciter. Amen*; quod & cereum sigillum habebat deperditum, cuius nihilominus vestigia in membrana supersunt, & monogramma habet Regis eiusdem, qui in diplomatis carcere inscribitur: *In nomine sancte & individue Trinitatis Heinricus Rex invictissimus a Deo coronatus*. Subscribit demum *Heinricus Cancellarius vice Everardi Episcopi & Archicancellarii*. Hoc autem in diplomate narratur, *Petrum quemdam nequissimum Sigezonis quondam de Accadeo improbum filium Sororem suam Ravennam scilicet nomine quae etiam vivens Sigeza vocabatur pro rerum suarum cupiditate occidisse cum in utero iam vivo filio, & sororicidae nominis infandi incurrisse periculum. Cuius omnes res mobiles & immobiles sesque moventes in nostrum sunt redactae dominium legis suae ipsius Langobardae scilicet praemonstrante capitulo; cui capituli totum in hac praecepti nostri pagina scribi duximus esse iustissimum. Cap. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem vel matrem aut sororem vel aliquem propinquum suum occiderit res interfecti ad alios suos heredes perveniant, interfectoris autem hereditas in fiscum redigatur. Ipsi vero ordinante Episcopo publica poenitentia detur. Pro rebus igitur prefati sororicidae iam dictus fidelis noster Petrus Tabelio misericordiam nostram flagitans & exaudiri promeruit, & quod petiit interveniente Heinrico clerico nobilissimo, & cancellario nostro amabili & fidelissimo impetravit. Ei itaque prelibatas omnes res mobiles & immobiles sesque moventes quae praedicto sororicidae antequam hoc infandum malum perpetraret quocumque modo pertinebant & perpetrato scelere in nostram potestatem sunt redactae tam intra civitatem Ravennatem quam extra in loco Albareto & in alio Albareto sito in comitatu Faventino in plebe sancti Iohannis quae vocatur in Asiata vel in plebe sancti Stefani quae vocatur in Collorito, vel in aliis omnibus plebibus vel locis eo ordine concedimus ut liceat ei heredibusque suis eas omnes quo voluerit modo tractare vel vendendo vel donando vel quicquid voluerint ex eis faciendo,*

nullius ei obstaculo obiiciendo. Obvenere quidem deinceps ea bona, aut pars eorum Pomposiano monasterio, haud tamen vi diplomatis huius, quo Petro Tabellioni magna atque luculenta hereditas Petri sororicidae fuit adscita. Nihilominus & diploma suum monasterio ipsimet concessisse Henricum Almum, esto frustra desideremus tabulas, novimus profecto tum ex Ravennate synodo anni MXVI. de qua suo loco dicemus, tum ex eo, quod Henricus Germaniae Rex suis in diplomatibus annis MXLV. & sequentibus illud recenseat his verbis: *Abbaciam sancte Marie in Pomposia . . . ab Heinrico dive memorie Imperatore Augusto nostro scilicet altero antecessore corroboratam*.

XVIII. Quod vero ad Conradum pertinet, falsum omnino est, quod Muratorius ait. Etenim in antiquo superstite diplomatis exemplo Pomposiano monasterio dati a Conrado eodem anno MXXXVII. haec leguntur aperte: *Nominatim vero terram que prenominato monasterio ex iudicatu Ugonis Marchionis evenit, videlicet Soleriam, & Cavallariam, ac Polixinum, atque in comitatu Ferariense & Gavellense firmissima & preceptali corroboratione confirmamus*. Praecessit ne mortem Ugonis Atestii hoc diploma? Divinare non possumus: si enim certus mensis, & dies emortualis eius, incertus adhuc annus est, quo ipse decesserit (*a*). Una est, quae ad rem facit Ugonis Marchionis mentio clara a Conrado facta, quam Muratorius non vidit, & Ugonis quidem iunioris nostra quidem sententia, quum bona illa Pomposiae obtigisse dicantur *ex iudicatu Ugonis*, cuius videlicet iudicio ea monasterio fuerit attributa, de quibus fortasse controversia ageretur aliqua, eo vel magis quod illa proprio etiam indicentur vocabulo.

XIX. Quae profecto nobis viam expeditiorem aperiunt, quo verosimilius affirmare possimus, Ugonem hunc iuniorem Atestium re quidem ipsa fuisse, de quo Muratorius, cuius iudicia alia quaedam refert ipse (*b*) post saeculi XI. exor-

(*a*) Vid. Murat antich. Esten. par. I. cap. XII. pag. 96., & 97.

(*b*) Ibid. cap. XI.

exordium facta, quemque Henricus Germaniae Rex in Pomposiano diplomate memorabat iis verbis: *quicquid ſibi iunior Ugo marchio filius Uberti dedit*, hoc eſt, ſi bene accipimus, non tam dono, quam iudicatu ſuo: alterum autem, a quo magnifice ditata Pomposia dicitur, ſeniorem fuiſſe Ugonem, non Ateſtium certe, neque Regem Italiae, ſed Tuſciae Marchionem, ac Ducem ex alio natum Uberto Ugonis Italiae Regis ex Vandelmonda filio, anno MI. defunctum vita, qui alia multa conſtituerat monaſteria, multaſque ditarat eccleſias, de quo demum tanta Petrus Damianus ſcripſerit (*a*), qui tamen male eum aliquando habet. Ipſum vero in ſuo diplomate Pomposiano haud memorat Otto III. Imperator, quod forte in vivis adhuc degeret Ugo, quum nonniſi XII. kalendas ianuarias anni illius vita deceſſerit, datumque fuerit diploma x. kalendas decembris.

XX. Excogitavit quidem Muratorius (*b*) diſtinctionem Ubertum inter, & Obertum, illum cenſens Tuſciae Marchionem, hunc Ateſtium: quin nomina haec diverſam praeſeferre originem, exiſtimavit Valeſius. Nihilotamen ſecius ea confuſa ſaepius a notariis animadvertit alias Muratorius ipſe (*c*); adeo ut perquam difficile evadat negotium, probe cognoſcere, quando religioſi, indiligenteſve notarii fuerint in nominum iſtorum uſu, ac deſcriptione.

XXI. Haec tamen ipſa dum noſmet uberius perſequimur andabatarum more digladiari pertimeſcimus. At vero illud notare iuvat, iuniorem Ugonem Uberti filium, quem Henricus III. ſuo memorat diplomate, haud recenſeri umquam in reliquis Imperatorum, Regumque conſequentium temporum diplomatibus. Utinam vero magnificae donationis, quam Ugo ſenior Pomposiae contulit, tempus aſſignare poſſemus, atque praeſto eſſent tabulae, quae lucem rei afferrent ſuam! Quum tamen annum MI. Ugonis emortualem certo noverimus, qui poſt Uberti patris obitum anno circiter

(*a*) Lib. VII. epiſt. XII. ad princip.

(*b*) Antich. Eſten. par. I. cap. XV., & annal. Ital. ad ann. 964.

(*c*) Antich. Eſten. par. I. capp. XII. XIV. e XV.

ter DCCCCLXVIII. in Tuſciam dominari inceperat, aleam tuto, ſiquidem bene opinamur, iacere erit, ſi donationem illam in decimi ſaeculi finem coniecerimus, eo nimirum tempore, quo bonis ditiſſimum Pompoſianum coenobium comperimus.

XXII. Ut autem tranſeamus ad alia, huc referendum eſt Ottonis II. Imperatoris diploma, qui bona, atque iura monaſterio ſancti Salvatoris inſignis Ticinenſis urbis non procul a moenibus a ſancta Adelaide auguſta ipſius matre, & Ottonis I. auguſti coniuge opibus multum ditato, ea petente, firmavit. Plurimum ſanctiſſima Imperatrix, cuius vitam, ac miracula oculatus teſtis divus Odilo Cluniacenſis Abbas deſcripſit, Benedictina coenobia fovit, expetieratque annis DCCCCLXIV. ac DCCCCLXVII. ab Ottone magno viro ſuo, ut monaſterio etiam Caſinati diplomata daret, ampliſſima bona, ac privilegia ipſi confirmans, quae retulit, ediditque Gattula (*a*). Inter bona autem, quae monaſterio Ticinenſi data diplomatis illius vi aſſeruntur, ipſum eſt Pompoſianum monaſterium, quemadmodum advertit etiam Mabillonius (*b*). En diplomatis verba: *Inſuper monaſterium ſanctae Dei genitricis Mariae in loco Pompoſo conſtructum, & omnes ſalinas, quae in Comaclo eidem monaſterio pertinentes, tam infra caſtrum, quam extra, oliveta, curtem curvini* (*c*) *cum manſis triginta; alia in valle cum manſis quinquaginta, capellis, oratoriis &c.* Datae tabulae fuere pridie kalendas octobris anno DCCCCLXXXI. indictione X. *regni domini ſecundi Ottonis vigeſimo quarto imperii quoque XIV.* actaeque Capuae, quas integras primus retulit ex tabulario s. Salvatoris Papienſis Margarinius (*d*). Defuncto vero anno DCCCCLXXXIII. Ottone, Adelais, ſuburbano illi monaſterio aliis dono collatis, novo diplomate vetera confirmavit: *Inſuper monaſterium in honorem ſanctae Dei genitricis virginis Mariae conſtructum in loco qui dicitur Pompoſa, & omnia quae in Comaclio ſunt, quae intra caſtrum, quae vel extra* cer-

(*a*) Acceſſion. ad hiſtor. Caſinen. tom. I.

(*b*) Annal. Bened. tom. IV. p. 147.

(*c*) Fortaſſe *cornacervinam*.

(*d*) Bullar. Caſinen. tom. II. conſtit. 60. pag. 53.

cernuntur, *tam in reda* (a), *quam in quinto*, *in corda cervino* (b), *& in figariolo*, *zuonza* (c), *zunziano*, *fariano* (d), *& omnes salinas*, *& oliveta*, *quae vel omnia iam dicto monasterio sanctae Dei genitricis Mariae pertinent*. Huius rei litteras in lucem edidit Margarinius laudatus (e) ex tabulario eodem, datasque illas conscripsit *anno imperii eius* (Ottonis) *Deo propitio duodecimo*, *die duodecima mensis aprilis*, *indictione duodecima*. Verum diligentissimus Mabillonius, qui eas in illo archivo viderat, legeratque, falso id scriptum a Margarinio docet (*f*), atque datas Adelaidis litteras monet, quod in autographo ipse legerat, *anno imperii Ottonis tertio*, *decimo die mensis aprilis*, *indictione xii.*, hoc est anno, ut idem censet, DCCCCLXXXIV. qui duodecima quidem insigniebatur indictione, minime tamen tertius a suscepto Ottonis imperio erat, sed primus; adeo ut autographum ipsum emendandum ita voluerit: *anno imperii Ottonis tertii primo*. Nihilominus quum Ottoni III. corona, ac titulus augustalis anno omnino DCCCCLXXXXVI. collatus fuerit, ne ipse quidem Mabillonius videtur calculos rite subduxisse. Quapropter Muratorius, qui idem autographum ipse vel legerat, vel exscripserat ex tabulario eodemmet s. Salvatoris, statuendum denique dixit (*g*), has litteras ad annum DCCCCLXXXXIX. decurrente mense aprili pertinere, qui tertius erat imperii Ottonis III. eiusdem annus. Insignem igitur chartam ipse castigatam recudit hisce chronologicis notis: *anno imperii eius Deo propicio tercio*, *xii. die mensis aprilis indictione xii.* Undenam autem Margarinius hauserit Ottonis annum duodecimum, consignaritque diploma anno DCCCCLXIX., illud Ottoni I. Imperatori adscribens contra manifestum diplomatis tenorem, haud suspicari confidimus. In eo sane Imperatrix augusta Adelais semet *relictam*, viduam nempe, *bonae memoriae Ottonis Imperatoris* appellat, & illam donationem Ticinensi monasterio conferre se profitetur *pro anima praedicti bonae memoriae*

(a) *Rere*.
(b) *Cornacervina*.
(c) *Concha*.
(d) *Ariano*.
(e) Ibid. constit. 52. pag. 44.
(*f*) Annal. Bened. tom. IV. lib. XLIX. §. 57. ad ann. 984.
(*g*) Antiq. med. aevii tom. II. p. 171.

moriae Ottonis Imperatoris, *qui fuit vir meus*, *seu item Ottonis similiter Imperatoris*, *qui est filius meus*, *atque pro anima tertii Ottonis Imperatoris mei abiatici*. Haec si paullo advertisset Margarinius, haud in supinum fuisset delapsus errorem, quod nihilominus non perraro ei contigit una cum aliis e synchronis suis.

XXIII. Hacce occasione nobis libellus quidam sese obiicit Ticini regii editus anno MDCCVIII. Petri Antonii Magrii typis, cui titulus est: *Series & cumulus privilegiorum a summis Pontificibus*, *Imperatoribus*, *Regibus*, *& Mediolani Ducibus monasterio s. Salvatoris monachorum Cassinensium civitatis Papiae concessorum*: in quo videlicet laudata Ottoniana diplomata cum aliis legere est. Illud autem permirum nobis accidit, non solum Margarinianis, sed crassioribus etiam bene multis libellum scatere erroribus, incuriane, inscitiave legentium, atque exscribentium autographo, an opera potius collata eorum, iudicare non auserimus. Non sane unum falsariorum genus fuit, qui tabulas suo confinxerint marte, sed alterum perniciosum aeque & audax, qui illas confundentes enormiter, perturbantesque perperam descripserint omnino, & nomina, loca, tempora, ordinem sive detruncantes, sive magno, atque intolerando crimine multimoda arte divexantes, immanem quantum! in re diplomatica, historica, ac forensi etiam persaepe labyrintum constituerint impeditissimum. Foedi facinoris reum Salvatoriani codiculi compilatorem noluerimus. Verum id viderint alii.

XXIV. Ast Deus bone! boni quid profuit Ticinensi monasterio Pomposiani coenobii saepius repetita donatio? in quod ne unum certe quidem ius exercuit umquam, quantum scimus, ex quo illud in Pomposiam dominatum fuisse innotescat. Porro ut tutum nobis de temporum illorum donationibus iudicium sit & aequum, operae pretium animadvertere est, non uni saepissime, sed pluribus tempore ipso bonorum eorumdem factas donationes fuisse. Cuius rei, ne abeamus longius, argumentum sit ipsum Pomposianum monasterium, quod Ticinensi sancti Salvatoris dono collatum diximus annis

* DCCCCLXXXI.

DCCCCLXXXI. & DCCCCLXXXXIX. dum interim anno ipsomet DCCCCLXXXXIX. Leoni Ravennati Archiepiscopo bona, & iura confirmans Otto III. Imperator diplomate suo, quod Mittarellius refert cum Costadonio (a) ea inter enumerat *monasterium sancte Marie in Pompusia*. Quid autem si idem Otto anno consequenti monasterio iterum s. Salvatoris Ticinensi Pomposiam confirmaverit diplomate, quod Margarinius edidit (b), mire contortis locorum nominibus, & in concavo lunae disco conquirendis: *Insuper monasterium sanctae Dei genitricis Mariae in loco Pomposa dicto constructum; & omnia quae in Comaclo eidem monasterio pertinent infra castrum, seu extra, tam in reda, quam in quinto, terra coriana, vigariolo, zunzabega, zunzano, sartorano, & omnes salinas, oliveta, vel omnia, quae ad iam dictum monasterium sanctae genitricis Mariae pertinere videntur*. Quid praeterea si post annum MI. quo nimirum Pomposianum monasterium tum solemni Ravennate placito, tum insigni Ottonis III. diplomate omnium excusserat subiectionem, Italiae Reges, Imperatoresque reliqui alias s. Salvatoris monasterio, alias Ravennati ecclesiae in perpetuum atque indiscriminatim monasterium ipsum confirmaverint Pomposianum? Re quidem vera confirmationis istiusmodi tabulas Ticinensi coenobio datas ab Arduino Italiae Rege anno MII. ab Henrico anno MXIV. ab Conrado anno MXXIII. ab Henrico IV. Rege anno MLXXVII. integras retulit Margarinius idem (c), eaeque habentur etiam in superius laudato Salvatoriano codiculo: ecclesiae autem Ravennati concessas anno MLXIII. ab Henrico IV. Caesare, & anno MCCIX. ab Ottone IV. legere est penes multos, Amadesium in primis (d), ac Mittarellium (e).

XXV. Sane quod Pomposiae contigit, aliis vel multis contigisse ecclesiis, monasteriis, privatisque etiam hominibus, norunt eruditi; adeout propterea iure quidem & merito

(a) Annal. Camald. tom. I. in Append. col. 155.

(b) Bullar. Casinen. tom. II. constit. LXVIII. pag. 61.

(c) Ibid. constitut. LXXI. LXXVII. LXXXII. & CXIV.

(d) De iurisdict. Ravenn. Archiep. in civit. & dioeces. Ferrar. in append. pagg. 56. & seqq.

(e) Annal. Camald. to. III. in appen.

impetratas ad ſpeciem tantummodo donationes huiuſmodi ex factis poſtulationibus, repetitoque ipſiſſimo conceptis verbis antiquiorum, quae exhibebantur, & quandoque etiam confictorum diplomatum tenore, minime vero ad ius quantulumcumque, atque dominium aſſerendum, acquirendumque rati fuerint ipſi. Quî enim alias natura illorum diplomatum, finis, & habita ratio impune queat, recteque intelligi? Haud quidem inficias iverimus, permultos medii aevii verſandis in tabulis nodos Gordianos obviam venire intricatiſſimos, ac magnis difficultatum involucris pertectos, in quibus ſolvendis aperiendiſque deſudent incaſſum, atque elaborent homines docti; quos contemplandi, perſpiciendique foret ipſis omnis poteſtas, ſi firmiſſimis obſita tenebris illa denudarentur tempora: ita ut fallaciae, falſitatiſve indicium difficultas ipſa non ſit. Verum ſi de collatis rerum donationibus ſermo ſit, quibus alter proprie vereque illarum evadit dominus, quo quaeſo potuerint iure res illae alteri deſultoria translatione donari, primo non reclamante, litem non conteſtante, & ſuam non faciente domino? Tantis voluiſſe incommodis, atque periculis latum pandere aditum iuſtos, ingenuos, cautiſſimoſque principes viros, nemo facile in animum induxerit ſuum. Reliquum eſt igitur, ut iudicemus, donationibus illis dicis cauſſa nullo fuiſſe effectos damno veros dominos, nullumque dominium translatum in alios: & coenobio Ticinenſi (ut exemplo utamur uno), quod numquam certe traditionem poſſeſſionis, & inſtrumentum exhibuit, vel potuit umquam exhibere, Imperatorum, Regumque diplomatibus impetratis eo modo monaſterium Pompoſianum acceſſiſſe, quo Hieroſolymitanae urbis principibus noſtra aetate accedit dominium, quum Hieruſalem Regum titulo inſigniri amant, quo tamen ne attento quidem forte fortuna a Turcico poſſeſſore, iure ipſe ſuo, dominatuque omni non expoliatur. Interea fiet profecto ex his (quod ad propoſitum in primis pertinet), ipſomet ſaeculo X. plurium bonorum, opumque copia affluxiſſe Pompoſianum monaſterium, quorum multa in Ticinenſibus tabulis nominatim ab eo poſſeſſa narrantur.

XXVI. Iam

XXVI. Iam vero tempore quo diplomata illa primum fuere coenobio s. Salvatoris concessa, ad annum circiter nempe DCCCCLXXXI. Constantinum Pomposianum Abbatem comperimus, cuius vix mentio fit in placito Ravennate publice habito anno MI. de quo inferius dicemus. In eo quippe haec legere licet: *In istorum omnium suprascriptorum presentia relecta est cartula petitionis, quas petivit quondam Constantinus presbiter & Abbas monasterii sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, ad quondam domnus Iohannes sanctissimo Archiepiscopo sanctae Ravennatis ecclesie de supradicto monasterio sancte Marie, & de monasterio sancti Vitalis martiris in ipsa insula cum omnibus ad ipsi monasterii pertinentibus sitas in territorio Comaclensis a summo usque ad expletam roborationem testium*. Liquet ex his, monasterium aliud s. Vitalis martyris ipsa in Pomposiana insula situm, Pomposiano etiam subiectum, & eocum Ticinensi monasterio datum. Liquet praeterea, Constantinum Abbatem haud aequo tulisse animo a monasterio eodem Ticinensi impetrata diplomata, sed imo libello supplici ad Iohannem Ravennatem Archiepiscopum confugisse, illummet, qui Papiensis dictus alteri fuerat Iohanni suffectus anno DCCCCLXXXIII. ut penes Augustam Adelaidem non solum Pomposiae vindicaret iura contra Salvatorianum coenobium, quod primas in placito illo partes agit, verum etiam monasterii alterius s. Vitalis, quod in Pomposiana constitutum insula diximus. Non itaque satis verum videtur, quod Muratorius olim scribebat ad Gorium (*a*), neminem scilicet tunc hiscere fuisse ausum, quum Adelaidis opera datum s. Salvatoris monasterio Pomposianum fuisset. Quidnam vero pro Pomposia fuerit ab Iohanne Archiepiscopo factum, ignotum nobis est, ignotaeque res reliquae gestae a Constantino omnium vetustissimo, qui ad nostram quidem pervenerint notitiam, Pomposiano Abbate, quem nihilominus ante annum DCCCCLXXXVI. aut functum vita, aut monasterii dictatura se abdicasse, censendum est.

XXVII. Eo quippe anno Pomposiae Abbas Martinus erat, qui vero satis similiter in Constantini eiusdem locum succes-

O 2 serat.

(*a*) Symbol. litter. tom. v. Gorii.

ferat. Id significatur actu solemni, quo Martino Abbati ab Albina Petri de Gaitruda uxore domus in urbe Comaclo conceditur, quae olim ad Iulianum diaconum, atque Pomposianum monachum pertinuerat: *Accedens Albina conius presenti & consentienti Petrus qui vocatur de Gaitruda & apreendit manibus suis guazonem de ipsa terra & colomnello de ipsa mansione que fuit de Iulianus diaconus & monachus sancte Marie & misit in manum de Martinus presbiter & monachus atque Abate regule sancte Marie que vocatur in Pomposia*. Evanidae prorsus sunt tabulae in Pomposiano archivo, & consumptae, in quibus notas istiusmodi chronologicas legere licet: *Anno Deo propicio pontificatus domini nostri Iohannis summi Pontificis & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri apostoli Domini sede die primo mense december indictione quintadecima*. Ex quarum defectu licet vix tuto annus assignari queat, quo datae tabulae fuerint, nihilo tamen secius si ex indicata quintadecima indictione iudicare fas sit, anno DCCCCLXXXVI. erunt omnino adscribendae. Eos laudarunt Camaldulensium rerum diligentissimi scriptores (*a*), qui tamen ipsas ad annum DCCCCLXXXI. consignarunt, manuscripto confisi tabularii Pomposiani catalogo, in quo quinta legitur notata indictio, non quintadecima. Multa sane animadvertenda antiquitatum medii aevi studiosis hocce in documento occurrent. Ne ieiunam nos omnino chartam vetustam, esto non antiquissimam omnium in Pomposiano codice, videamur dimittere, nonnulla adnotabimus. Initio autem observatu dignam censemus formulam in ipso domus cum horto concedendae actu adhibitam: Albina enim *apreendit manibus suis guazonem de ipsa terra, & colomnello de ipsa mansione & misit in manum de Martinus & dixit ecce investio te de supradicta mansionem cum solo terre suo & curticella sua & de una petia terre quod est orto*. Hoc sane modo istiusmodi semper actus, publicique contractus fiebant, ut symbola videlicet adhiberentur respondentia, quibus in alterum translatae rei designaretur dominium, atque possessio. Symbola autem haec pluri-

(*a*). Annal. Camald. tom. I. pag. 208.

plurima fuere, ipſumque imperium corona tradebatur per *inveſtituram*, ut loquebantur veteres. Sic cum *pinna* & *calamario* muneris ſuis poſſeſſionem recipiebant notarii, de qua re Ruperti Imperatoris conſtitutio exſtat facta anno MCCCCI. (*a*), & penes Ottonem Friſingenſem (*b*) legitur: *Eſt enim conſuetudo curiae, ut regna per gladium, provinciae per vexillum a principe tradantur, vel recipiantur*. In ſingulis etiam fere *inveſtituris* chirotheca tradebatur, argumentum fortaſſe mutui conſenſus, quum amoris ſignum, atque concordiae ſit alteri manum porrigere, alteriuſque tenere. Cultellus quoque adhibitus, quo ſignificaretur data facultas acquirenti quidquid de receptis bonis ſuccidendi, demetendi, effringendi, ac, ſi luberet, evaſtandi. Feſtuca vero tradita, quae dicebatur etiam *fuſtis*, *baculus*, & *virga*, quaeque heri indicaret dominium in proprias res. Sed Albina in Pompoſianis tabulis uſa *guazone* fuit, & *colomnello*, hoc nimirum ad proprietatem ſignificandam domus, illo vero ſoli ipſius; eſt enim *guazo* Gallis *gazon*, Italis *zolla*, *gleba* autem Latinis, pugillum terrae herbae maxime iunctum. Quum demum non una alienaretur ſoli ſuperficies, ſed & ſingula in ea poſita, arbores, vites, frumentum, ac ſimilia, arboris etiam ramum in uſu comperimus. Sed hiſce de ſymbolicis traditionibus legere eſt Heineccium (*c*).

XXVIII. Ea autem domi, hortique poſſeſſione accepta, Martinus Abbas de teſtimonio reddendo adſtantes rogavit, atque a Mainfredo tabellione, & dativo litteris fuere conſignatae tabulae, teſtibus roboratae, traditaeque contrahentibus; iiſque primus ſubſcribit Iohannes iudex, quem alii ſecuntur teſtes ſeptem, quos inter Stephanus tabellio: qui vero hic Iohannes iudex eſt, ſe *dativum* appellat *de caltiapelle* paullo inferius in charta eadem, illequemet qui anno MI. placito etiam Ravennati pro Pompoſiano monaſterio interfuit. De tabellionum, notariorum, ac dativorum diſtinctione, & muneribus nil addere opus eſt, poſteaquam immortalis Mura-

(*a*) Apud Goldaſt.

(*b*) De geſtis Friderici cap. 5.

(*c*) De iure nat. & gent. I. 276.

Muratorius uberrime ea de re differuerit (*a*). Romano Pontifici *univerfalis Papae* noftris in chartis nomen collatum, a quo tantum abhorrebat cum Iohanne Conftantinopolitano agens Gregorius magnus, frequentiffime occurrit in aliis.

XXIX. Sed quod noftra intereft maxime titulus eft, quo Abbas Martinus infignitur: *Martinus presbiter & monacus atque Abate regule fancte Marie que vocatur in Pompofia*. Hunc Abbatis regularis titulum faeculo potiffimum decimo folemnem fuiffe Mabillonius edocet (*b*), five ad difcrimen defignandum Abbates inter regulares, & quos *faeculares* vocant, atque *faecularia* monafteria, quae nobis etiam occurrent alibi, five ad fignificandos feverioris, magifque continentis vitae Abbates prae illis, qui folutiores fuerint, atque laxiores, quod ipfe aliquando advertit Mabillonius (*c*): Quo etiam fenfu monachi regulares quandoque dicti fuere. Presbyteri vero nomen additum ad multorum Abbatûm difcrimen, qui expertes tunc facerdotio fuerint (*d*).

XXX. At vero ut ftatim ad Martinum Pompofianum Abbatem redeamus, qui in cellae angulo divinas res contemplaturus eremiticam potius duxerit vitam, quam difficilioribus fefe implicuerit monafticae gubernationis follicitudinibus, & anxiis curis, quantae virtutis fuerit, quantaeque fanctitatis vir, nobis declarat anonymus fcriptor vitae fancti Guidonis Pompofiae Abbatis his verbis: *Erat Martinus ille vir fummae continentiae, & adeo in moribus vitae probabilis, ut merito cunctis, ad quos eius notitia, vel fama pervenerat, venerabilis haberetur, & fanctus. Habitabat autem in infula, quae interfluente Pado Pompofiam a fe divifam ab aquilone confiderat*. Alter vero anonymus item fcriptor vitae ipfius s. Guidonis, ubi de Martino loquitur, ait: *Hic vir Martinus tam fanctae fuit religionis, & abftinentiae, ut magnae venerationi haberetur pene omni Italiae*; eumque deinde appellat fanctum, ac venerabilem virum, quem adire admonitus fuit Guido divi-

divi-

(*a*) Antiq. medii aevi tom. I. differt. XII.

(*b*) Annal. Bened. to. III. lib. XLV. §. 17. ad ann. 954. pag. 527.

(*c*) Ibid. tom. IV. lib. IV. §. 37. ad ann. 990. pag. 64.

(*d*) Vid. annal. Camald. tom. I. lib. II. §. 45. ad ann. 955. pag. 85.

vinitus in fomniis, quo in monafticae vitae difciplina inftitueretur. Infula, quae ex primo anonymo *interfluente* Pado, nimirum Volanae *Pompofiam a fe divifam ab aquilone confiderat*, infula Volanae, eft, quam incolebat Martinus: ea enim reapfe ad feptemtrionalem partem infulam Pompofianam habebat, & in Volanae infula locus erat anno MCCXIX. qui adhuc *rimitorium* appellaretur, quem ipfummet fortaffe cum Guidone Martinus incoluit. Quinimo anno eodem quaefitum eft, an hic Martinus primus omnium *Volanae cellam* habitaverit, & Pompofianus monachus fuerit, quod utrumque cellae eiufdem *prior* negabat: *Item ponit quod primus manens in cella Volane fuit nomine Martinus quod non credit altera pars. Item ponit quod quidam qui vocabatur Martinus fuit profeffus monafterii Pompofiani quod non credit.*

XXXI. Martinum quemdam venerabilem eremitam memorat Petrus Damianus ad V. & P. clericos Faventinos fcribens (*a*): *Quid aetate mea hoc dominicae crucis die contigerit fuccincte perftringam. Apud Ravennam fane urbem multa animalia in macello funt a libripendibus caefa*, *quae communi fenatufconfulto*, *& praecipue Martini venerabilis eremitae omnia canibus funt proiecta*. Eumdem hunc effe ac Martinum noftrum fufpicati funt docti Camaldulenfium annalium auctores (*b*). Utut haec fint facta, quorum nos fponfores effe nolimus, Martini virtus eximia nobis cognita eft non tam fama, qua alioquin optima, & meritiffima fruebatur, quam Romani Pontificis iudicio, qui illum extractum eremo certe ante annum DCCCCLXXXVI. Abbatem Pompofiae elegit, atque conftituit: *Pompofienfe vero coenobium*, profequitur anonymus fcriptor, *fatis tunc pauperrimum ad Martini curam tempore illo pertinebat*, *cui providentia Romani Pontificis illud regendum fubmiferat*. Teftimonio vel hoc uno antiftitis noftri probatiffimi virtus clarius evincitur, quam quae alia poftulet argumenta. Interea hinc Romanorum Pontificum fuffragio faeculo iam decimo conftitutos Abbates in Pompofiano monafterio manifeftum

(*a*) Epift. XI. tom. III. pag. 345.
(*b*) Annal. Camald. tom. I. lib. V. §. 36. ad ann. 997. pag. 207.

festum sit, quod certo omnimodae Apostolicae sedi subiectionis coenobii illius indicio esse queat.

XXXII. Erunt fortasse quibus fastidium ingerant, quae de Pomposiani monasterii paupertate refert laudatus anonymus: *Pomposiense vero coenobium satis tunc pauperrimum*; quod biographus alter iisdem repetit verbis. Haec enim summam egestatem, & opum, qua laboraret monasterium ipsum, inopiam aperte indicare videntur. Nihilominus constat profecto, bonis, ac praediis non vacuum fuisse coenobium tempore illomet, sed imo pluribus abundasse; cui rei mire demonstrandae aptissima sint relata superius documenta, tum controversia de Pomposiano monasterio penes Ludovicum Pium Imperatorem agitata Romanum inter Pontificem, & Ravennatem Archiepiscopum, bona etiam ab Ingelrada Comitissa titulo emphyteusis possessa, quae propria Pomposiae erant, Ticinensia demum diplomata singula, quae nominatim bona plurima in loco non uno Pomposiani coenobii designant, salinas maxime, & oliveta. Accedit emphyteutica concessio agri cuiusdam positi in bonorum finibus, quae erant *iuris monasterii sancte Marie que vocatur in Pomposia* in urbe Comaclo *in regione sancte Marie in Fermonsa*, ubi monasterium erat, cuius mentio fit in charta anni DCCCCLXIII. quae in Pomposiano exstat tabulario, scripta a Leone notario *instituto olim ab Agapito* Romano Pontifice in urbe Roma. Facta est autem ea concessio *anno Deo propicio pontificatus domini nostri Gregorii summi Pontificis & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede secundo, atque imperii domini piissimo atque augusto Otto a Deo coronato pacifico magno Imperatori in Italia anno secundo die quinto mense octuber indictione undecima in ripa sancte Marie que vocatur in Pomposia*; hoc est anno a Christo nato DCCCCLXXXXVII. quum notae chronologicae perbene respondeant. Facta fuit vero Bontio cuidam ab Araldo, qui *domni* titulo insignitur, & *gratia Dei Comes* dicitur, quique nobis occurret iterum in placito solemni Ravennate, de quo erit inferius sermo. Quum igitur bona undique possessa a monasterio Pomposiano, & quidem multa nobis

nobis obiiciantur, satisne tunc pauperrimum illud poterit iure meritoque censeri? potissimum quum anno MI. pridie kalendas aprilis Otto III. Imperator diplomate Pomposiae dato, de quo deinceps agemus, *Imperiali auctoritate* confirmaverit *omnia que illo pertinent in quocumque loco maneant in terris vineis silvis piscariis pascuis & ceteris pertinentiis*. Qua de re pauperrimum ab anonymis biographis dictum existimamus monasterium ipsum, non quasi reapse defuerint ei bona, & opes copiosae, sed quia vel dictum ab iis referrent potius ad minores silvarum, valliumve fructus, quae illis temporibus plurimae erant, sive ditissimam verius perpenderent, prae oculis haberent, & cum antiqua compararent, quae eorum erat aetate, conditionem Pomposiani monasterii ab Ugone Marchione magnifice iam ditati, atque ab Ottone III. aliisque Imperatoribus pluribus aucti. Saeculo enim undecimo, quo scribebant anonymi nostri, quo nimirum monasteria fere singula opulentissima erant, facile fuit perexigua, atque pauperrima priora monasteriorum tempora censere; quod humanis in rebus contingit non raro, quarum aspectus hominibus varius, variumque iudicium est magis ex multiplici nostrum de rebus ipsismet, inconstantique sententia, quam ex rerum earumdem natura, & constitutione.

XXXIII. Porro Martinus eremi desiderio illectus, & amore inflammatus, deposita provincia, consignataque Pomposiae praefectura Guilielmo, in antiquam refugit eremum, ubi caelestibus in meditandis dumtaxat rebus, suae quasi Rachelis in sinu blanda compositus pace quiesceret: *Sed Guilielmus Abbas*, ait laudatus biographus, *huic*, Pomposiano nimirum monasterio, *ex Martini consilio praesidebat*. Haec declarant profecto, praeter monasterium ipsum constitutas fuisse eremos tum in Pomposiana insula, tum eius in finibus, atque vicinia, quas perfectiores peterent, ferventioresque coenobitae. Prisca haec fuit in monasteriis multis consuetudo, ut non longe solitaria haberent loca, in quae, relicto monasterio, sese abderent sanctiores homines, ipsique met, rerum gubernatione dimissa, Abbates. Instar omnium sit

monasterium Casinas, quod antiquitate, ac dignitate sua nulli comparandum honoris gratiā nomino, in quo etiam nos a prima pueritia in monastica vita, ac scientiis instituti adolevimus. Constat quippe, saeculo ecclesiae decimo, quod quintum est archimonasterii illius, eremos finitimis in regionibus positas ipsum habuisse, quibus in sedibus ab omni rerum nostrarum cura seiuncti uni Deo servirent, qui in eas confugissent; quod factum ab Iohanne II. Casinensi Abbate narrat s. Victor III. Romanus Pontifex (*a*), qui sub Desiderii nomine & ipse aliquando celebratissimus fuerat Abbas Casini; qua de re videsis Gattulam exquisitissimi iudicii scriptorem rerum Casinatum (*b*), ac Mabillonium (*c*). Id animadvertere placuit, ut statueremus in primis, consuetudinis illius solitariae vitae in eremis non longe a monasteriis agendae propagatorem sane Romualdum fuisse Camaldulensium monachorum patrem, qui, Damiano teste (*d*), *totum mundum putabatur velle in eremum convertere*, minime vero auctorem, primumque institutorem: quod innuere fortasse voluere Mittarellius, & Costadonius potissimum quod Pomposianum ad monasterium spectat; iis enim *rationabili fundamento*, ut aiunt (*e*), *innixa ea sententia videtur, hanc insoliti hucusque in Pomposiano monasterio introductam consuetudinem non ex alio fonte profluxisse, quam a Romualdi instituto, praesertim cum non remotus tunc viveret, sed in patria Romualdus, & quidem apprime cognitus tum nobilitate familiae, tum sanctimonia vitae, tum denique divinorum charismatum affluentia, ut facillimum ei foret vicinos suos Willelmum* (de quo nos inferius), *& Martinum* ipsissimum Pomposianum Abbatem, *ac concives inprimis Ravennates, cuiusmodi erat Guido* & ipse deinde Pomposiae Abbas, *ad parem amplexandam conversationem allicere*. Verum enimvero si Martinum nostrum Romualdo coaevum, si Pomposianum monasterium, quod monachi incolerent, Romualdo multo antiquius haud inficiari valeant, quidne quae de Romualdo

(*a*) Dialog. lib.2. pag.58.
(*b*) Histor. Casinen. tom.1. p.99.
(*c*) Annal. Bened. tom. IV. lib. LI. §.65. ad ann.997. pag.116.
(*d*) In vita s. Romualdi cap.37.
(*e*) Annal. Camald. tom. I. lib. V. §.36. ad ann.997. pagg. 208. & 209.

mualdo praedicant auctore viri doctissimi, planior, potiorque nobis fuerit de Pomposianis patribus affirmandi potestas? itaut propterea non Pomposiani a Romualdo, sed Romualdus ab illis eremos non procul a monasteriis constituendi consuetudinem didicerit, frequentissimam deinceps ipse quidem fecerit, aptissimamque comprobaverit ea praesertim aetate, qua gravissima undique pericula imminerent, atque infinitis propemodum vagationum caussis ii distraherentur, qui monasticam vitam profitebantur, sequebanturque. Temporibus etiam subsequentibus prope Pomposiam eremum aliquam constitisse, ex iis quae deinde dicturi sumus, erit manifestum.

XXXIV. Dictu haud facile est, quo certe anno eremum petierit Martinus Abbas. Id autem non ante annum DCCCCLXXXVIII. factum fuisse, enodate colligitur ex antiqua membrana, in qua vinearum donatio quaedam continetur monasterio Pomposiano collata a Petro de Stadio, & Petronia iugalibus: *Domina sancta & merito ter beatissima monasterii sancte Marie que vocatur in Pomposia in qua nunc Deo protegente dominus Martinus presbiter & monachus atque Abate ipsius monasterii beatissime sancte Marie que vocatur in Pomposia pro oblatione & illuminatione anime nostre donatoris anime de quondam Benedictus presbiter filio nostro. Nos quidem in Dei nomine Petrus qui vocatur de Stadio & Petronia iugalium donatoris pro remedio anime quondam Benedictus filio nostro.... Martinus presbiter & monachus atque Abate sancte Marie que vocatur in Pomposia tuisque successoribus Abatibus & monacis ac iura monasterii sancte Marie que vocatur in Pomposia idest una petia terre cum tulpis vinearum &c.* Haec autem facta sunt *anno Deo propicio pontificatus domini nostri Iohannis summi Pontificis universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede tercio die octavo mense februario indictione prima in vico qui vocatur Rere*. Iam vero annus laudatus DCCCCLXXXVIII. prima reapse indictione designabatur, sed Iohannis XV. Pontificis erat quartus. Chartam hanc suis versarunt manibus annalium Camal-

 dulensium

dulensium scriptores (*a*), qui & ipsam memorarunt, paullulum detortis nominibus tum vici, quem *Reve* dixerunt pro *Rere*, quique nostris adhuc temporibus nomen retinet in Ferrariensi territorio, tum notarii, quem *Maifredum* pro *Mainfredo* legere. In ea attendet lector praestitum a donatoribus iuramentum: *iuratas voce dico per Deum omnipotentem sedemque sancta Apostoli eius tam sanctorum dominorum nostrorum*, hoc est augustae Adelaidis, & Ottonis III. Regis: Quae iuramenti formula non semel obiicitur in Pomposiani codicis instrumento, cuius & similia exempla Muratorius refert (*b*) ex Sublacensi tabulario. Iurantiumne subiectionem ea formula innuet, quod nonnulli opinati fuere cum Fontaninio (*c*)? Verum cuinam subiecti donatores nostri dicendi erunt, qui tum per sanctam sedem, tum per Imperatores iurarunt? An caute notario libuit in re controversa formulam adhibere communem? At non notarii, sed contrahentium iuramentum est, cui propterea vel hilum addere, aut detrahere haud licitum fuisse, iudicandum videtur. Obrizum, sive obrussum ex Graeca voce, & corrupte ebrizum aurum purum est, optimum, & purgatum; de qua re vide Du Cangium (*d*). Perticae quoque decimpedae usum, aurique unciarum poenam sancitam advertent rerum harum studiosi investigatores. Nos interea haec, similiave consulto praetermittimus.

XXXV. Neque magis divinare poterimus emortualem Martini Abbatis diem, & annum. Superstes mehercule videtur ad tempus usque, quo Guido eligitur Pomposiae Abbas, quum nonnisi illius consilio, atque auctoritate tantum oneris sibi impositum susceperit, ac sustinuerit. Porro Abbatem Pomposiae Guidonem electum anno DCCCCLXXXXVIII. scripsit Mabillonius (*e*): *Hoc etiam anno Pomposiae monasterio praepositus fuit*

(*a*) Annal. Camald. tom. I. p. 208.

(*b*) Antiq. med. aevi tom. I. col. 163. & seqq.

(*c*) Dif. della s. Sede sopra Comacchio par. II.

(*d*) Glossar. med. latin. ad voc. *obrizum*.

(*e*) Annal. Bened. tom. IV. lib. LI. §. 70. ad ann. 998. pag. 118.

fuit Guido Abbas, de quo plura in consequentibus dicturi sumus. Verum electionem istiusmodi ad annum MVIII. circiter dilatam alibi ostendemus; adeout Martini mors certe sit post id temporis differenda. Quinimo vel ad decrepitam usque aetatem illum pervenisse valde probabile fit, idque Mittarellius etiam & Costadonius aliquando opinati fuere: *Potuit enim*, inquiunt (*a*), *Martinus post depositam sarcinam Pomposiani regiminis ad multum tempus solitariam vitam protrahere*. Quod certius quoque affirmandum erit, si Martinus noster non alius ab eo sit, de quo Petrus Damianus in relata epistola superius agit, quod coniectaverant viri doctissimi iidem, etiamsi de longaeva ipsius aetate deinde ancipites videri voluerint, quum Martinum nescio quem *priorem*, uti vocant, Pomposiae induxerint sub Guidone Abbate a nostro distinctum, cuius meminerit Guido Arretinus suis in litteris ad Michaelem Pomposianum monachum his verbis: *De reliquo domnum Martinum priorem sacrae congregationis nostrum maxime adiutorem plurimum saluto, cuiusque orationi me miserum peccatorem commendo*. Ad quae Arretini verba, ut eum in Pomposiano monasterio monasticum haud induisse schema studeant ostendere viri doctissimi (quod tamen non confectum ab eis, suo loco erit, quantum confidimus, luce meridiana clarius), haec adnotant (*b*): *Martinus autem prior sacrae congregationis, quem appellat, potuerit quidem esse celeber ille eremitarum pater, & olim Pomposianus Abbas, sub quo Guido Pomposianus similiter Abbas Deo, eiusque monasterio se devovit; sed verisimilius erat alter Martinus eiusdem coenobii prior sub Guidone Abbate*. Nihilominus de antiquo revera Martino locutum fuisse Guidonem Arretinum sua in epistola, apparet omnino ex eo, quod omnia videantur illi examussim respondere. Initio Martinum Guido *domnum* appellat; qui profecto titulus iis temporibus non vulgaris, nec liberaliter, aut facile adhibitus, sed unis dignitate eminentibus, sive aetate gravibus, & vel ipsa senectute venerabilibus relinquebatur hominibus, qualis Martinus erat, quem *priorem*, hoc est non monasterii *praepositum*, sed

(*a*) Annal. Camald. tom. I. pag. 208. (*b*) Ibid. tom. II. pag. 42.

ſed antiquiorem omnibus in Pompoſiano coetu compellat; quod ipſum rei commodum eſt, ut aſſeramus ſcilicet, non alium Martinum a Guidone ſalvere iuſſum, quam noſtrummet, quem iam aetate provectum ad monaſticam capeſſendam vitam ſanctus Guido inviſerat, & eocum conſtiterat triennium, ſeſe eius ſubiiciens imperio, ac voluntati. Addit deinde Arretinus, *maximum adiutorem* ſuum Martinum fuiſſe, quum utique vitam ipſe Pompoſiano in monaſterio ageret, ibique afficeretur anguſtiis, quem etiam inſtitutorem ac magiſtrum habuerit, a quo tandem monaſticae vitae rationem non ſecus atque Guido ſanctus primum didicerit. Litteras autem illas a Guidone Arretino conſcriptas anno MXXVI. una cum Mabillonio nos cenſemus, cui rei aſſerendae, ſtabiliendaeque reliquus erit alibi locus: quo propterea anno Martinum noſtrum iam ſaecularem in vivis eſt reperire, qui fortaſſe iterum prae graveſcente aetate ab eremo in monaſterium ſeſe receperat.

XXXVI. Ubi autem primum ſolitarium locum Martinus adiit, ne ſacer ille Pompoſianus grex paſtore careret, novum monaſterio conſtituere Abbâtem, qui eius fungeretur vicibus maxime illi curae fuerat. Statim igitur Guilelmo Pompoſiae demandatam adminiſtrationem ex Martini conſulto, teſtis eſt anonymus ſcriptor vitae ſancti Guidonis: *Sed Guilielmus Abbas*, ait, *huic ex Martini conſilio praeſidebat*; quod alter biographus repetit his verbis: *Pompoſianum autem monaſterium ſub ipſius Martini cura tunc temporis erat, cui tamen dominus Guilielmus regulariter praeſidebat*, ab eo deinde *vir reverendiſſimus*, *&* *Abbas ſtrenuus* dictus, cuius etiam tempore in Pompoſiano monaſterio *quanto aderat inopia terreni ſumptus*, *tanto abundabat copia divini cultus*. Verum perſtrictum quidem, ſed ſolidiſſimum nobis eſt laudis argumentum, quod ipſe auctor ſubdit, nihil videlicet umquam in ſua adminiſtranda provincia inopportune, aut non recte perpetratum ab eo; *in omnibus*, inquit, *regulariter egit*: quibus profecto ut nil brevius, ita expreſſius nil, illuſtriuſque dici poſſe videtur. Porro quum Guido vir ſanctus Ravenna urbe ad

Mar-

Martinum in eremum venisset, quo cum fuit & triennio commoratus, illum ad Pomposianum monasterium misit *vir domini Martinus*, *ut bene disceret tramitis institutionem*, *& monasticae religionis perfectionem*; quo sane tempore coenobio praeerat Guilielmus. Quin etiam ab ipsomet Guilielmo, uti auctor est biographus alter, institui maxime peroptavit Guido: *Ab hoc ergo*, Guilielmo nimirum, *coenobialis institutionis rudimenta perdiscere cupientem Guidonem Martinus Pomposiam transmisit*. Et re quidem vera quanti fuerit facienda de Guidone a Guilielmo suscepta sollicitudo, quanta huius de illo vigilantia, rei demonstravit eventus. Guidonem enim *Guilielmus per omnia officia monasterii per series temporum constituit*, ut alter scribit; alter vero: *Guilielmus Abbas strenuus volens eum in omnibus erudire providenti consilio per singula quaeque illius coenobii officia eum per vices temporum ministrare constituit*, *quatenus postmodum confidentius doceret*, *quod enixius didicisset*: A Guilielmo deinde Guidonem missum Ravennam coenobii s. Severi *praepositum*, biographorum testis est alter, quod alter a Martino factum affirmat: sed utroque certe annuente nos id contigisse dixerimus.

XXXVII. Petrus Damianus (*a*) Guilielmi, seu Willelmi meminit, quem *venerabilis* titulo honestat, ac s. Romualdi discipulum dicit. Eum Camaldulensium rerum scriptores (*b*) non alium suspicantur a Guilielmo, *qui loco Martini gubernabat Pomposiam per ea tempora*. Attamen quum, qui Damiano est Romualdi discipulus, Perei insulam incoluerit, non Pomposiae, neque illud constet, Pomposianum nostrum Guilielmum illuc migrasse, aut constitisse umquam, non facile in eorum descenderimus sententiam, qui discipulum Romualdi alterum a Pomposiano Abbate satis probabiliter censemus. Non extra rem fortasse erit asserere potius, Guilielmum nostrum ipsissimum illum esse, quem Romualdo eidem alteri Willelmi Divionensis amico Divionensis coniungit chronographus; eum enim Martino etiam coniungit Pomposiano utique, eosque *sanctos viros*, *patres*, *& doctores eremitarum* appel-

(*a*) In vita s. Romualdi cap.31. (*b*) Annal. Camald. tom.1. pag.208.

appellat, qui una Divionenſis Guilielmi ſocietatem, & religioſam, ac mutuam precationum communionem expetierant, de qua re Mabillonium vide (*a*). Haud tamen poterimus diffiteri, non quemlibet hac de re dubitationis locum ſublatum, quum certum ſit, plures iſtiuſmodi ea aetate vixiſſe cognomines.

XXXVIII. Interea temporis Otto III. Imperator e Germania in Italiam advenerat; quod ſub finem anni DCCCCLXXXXVI. factum oſtendunt documenta certiſſima apud Puccinellium (*b*), atque Ughellium (*c*): Tridenti enim erat Auguſtus *ſub die* XIII. *decembris* anni eiuſdem, & II. kalendas ianuarias Papiae. E Papia Cremonam ſe contulit Imperator, tum Ferrariam, deinde Ravennam; ubi captus deſiderio Venetias viſendi, & *voti* etiam *perficiendi cauſa*, ut in chronico ſuo tradit Andreas Dandalus (*d*), & Petro Urſeolo II. Duci ſibi amiciſſimo gratulandi animo, qui ex parta victoria *Ducem Dalmatiae ſe primitus nominavit*, ut ipſe eſt teſtis (*e*), anno DCCCCLXXXXVIII. *ſub ſpecie ſumendae potionis Pompoſiam venit* (*f*); unde *nocte navem intrans cum ſex tantummodo ſibi ſecretis, & Ioanne diacono* Ducis Venetiarum legato, *navigando ad ſancti ſervuli monaſterium ignotus applicuit, & cum duce noctis tempore ad eccleſias ſancti Zachariae, & beatiſſimi Marci Evangeliſtae venit, & ſatis dignas laudes exſolvens vota ſua perfecit Et ſatis domeſticis donis a Duce ſuſceptis, Ravennam rediit, & unde venerat, omnibus propalavit*. Profecto virtutum nonniſi fama, quae Pompoſiano e monaſterio ſeſe longe lateque diffunderet, Auguſtus Otto permotus cenſendus eſt, qui inchoatum iter interturbaret, ut ſimulato receſſu Pompoſiam peteret: qua nihilominus occaſione monachiſne ſe, qualis eſſet, patefecerit, an vero ignotus omnino ab iis diſceſſerit, nobis eſt res incerta. Verum fauſta multa, & tanti adventus ſucceſſus proſperos, qui Pompoſiano monaſterio deinceps obvenere, aſſequemur inferius.

XXXIX. Iam

(*a*) Annal. Bened. tom. IV. p. 145.
(*b*) Chron. Abbat. Florent. p. 232.
(*c*) Ital. ſacr. tom. IV. col. 772.
(*d*) Lib. IX. part. XXXII. apud Muratori. rer. Ital. ſcript. tom. XII. col. 231.
(*e*) Ibid. part. XXXI. col. 230.
(*f*) Ibid. part. XXXIII. col. 231.

XXXIX. Iam vero Martini exemplum secutus Guilielmus Abbas, ut solitariam ageret vitam omnibus procul negotiis ac curis in eremum se contulit: *In illo tempore*, ait saepius laudatus anonymus, *dominus Guilielmus in eremum secessit, & alium Abbatem Pomposiae ordinavit, nomine Iohannem, cognomento Angelum*. Hoc autem contigit, quum Ravennam fuisset missus Guido monasterii s. Severi *praepositus*. Hoc aperte scriptor alter vitae ipsius declarat: *Sed & Guilielmus Abbas solitariae vitae amore succensus per idem tempus* (quo nimirum Guidonem destinatum Ravennam biographus dixerat) *eremum petiit, relicto coenobio, vicariumque fratribus, quos relinquebat, Iohannem cognomento Angelum in Abbatem constituit*. Eam vero Guidonis missionem quum non ante annum DCCCCLXXXXVIIII. aut etiam consequentem factam, opportuno a nobis loco acta ipsius referenda ostenderint, circa illud nonnisi temporis se abdidisse Guilielmum, omnino dicendum superest. Id certe ante annum MI. evenisse, facile colligere licet ex Ottonis III. Imperatoris diplomate anno eodem pridie kalendas aprilis Pomposiano monasterio dato *petitione domni Wilelmi Deo amabilis heremite*. Etenim Abbatisne titulum consulto praetermissum, incauteve neglectum iure dixerimus, quum in ipso diplomate reliqui Pomposiani monachi *eremitae* dicantur? *Concedentes*, ait Augustus, *ut nemo ibidem ponatur in Abbatem nisi quem heremite ibidem Deo militantes eligunt consilio fratrum*. Et paullo post: *Si quis hoc consilium fregerit componat centum libras auri cocti medietatem camere nostre ac medietatem predictis fratribus heremitis*. Sane nobis non verosimile satis videtur, Guilielmo adhuc Abbate gubernante coenobium ipsum non alio distinctum titulo a ceteris, de quibus est in diplomate sermo. Cur vero Guilielmi potius, quam Iohannis Abbatis Otto mentionem fecerit, non in promptu responsio est. Fortasse Guilielmus primas de impetrando diplomate illo penes Imperatorem partes egerat; hoc enim & verba ipsiusmet diplomatis indicasse videntur. Fortasse etiam Iohannes Guilielmi nonnisi vicarius iudicabatur: *Vicarium* enim, ait biographus, *fratribus*, *quos*

relinquebat Guilielmus, *Iohannem cognomento Angelum in Abbatem constituit*; ita tamen ut regiminis pondus cum eo divideret: cuius rei non unum iis temporibus exemplum est in monastica historia (*a*). Hi autem duo in placito anni ML. Ravennae interfuere, memoranturque simplici *presbyteri* & *eremitae* titulo. Atqui non semel antiquitus solo quidem *presbyteri* nomine insignitos Abbates constat, exemplaque protulit Mabillonius (*b*), numquam vero nudo eremitae nomine Abbates dictos fuisse. At Bacchinius, qui tam bene est de Pomposiano tabulario meritus, in suo chartarum catalogo manuscripto ibi asservato Ottoniani diplomatis vi Iohannem electum Abbatem Pomposiae coniectavit anno eodem MI. cuius nomen constanter praeseferunt eiusdem archivi tabulae ab anno MII., quod notarunt etiam Camaldulenses scriptores (*c*); proindeque Guilielmum dati diplomatis tempore Pomposiae adhuc regimen obtinuisse. Utcumque nequeat res omnino in tuto poni, quae retulimus tamen eam contra videntur conficere, maxime quia non ab ipso monachorum coetu Iohannes fuerit electus Abbas, quod indulserat Imperator, sed a Guilielmo ipso institutus, quum eremum petierit, teste superius relato biographo.

XL. Ottonianum illud diploma ex autographo nostro produxere Mittarellius ac Costadonius (*d*), *quia*, inquiunt, *adhuc minime editum putamus*: diversum est enim ab altero, quod magna cum contentione impugnavit Fontaninius, optimo iure vindicavit Muratorius, de quo longa nobis erit deinceps disputatio. Animadverterunt autem critici homines (*e*), eo in diplomate annum exhiberi XVII. regnantis Ottonis, non XVIII. *ut exhibere deberent*, inquiunt, *iuxta epocham ordinariam eius Imperatoris*, ac propterea coniungendum esse aliis duobus, quae ipsi protulere, ac *ceteris*, *quae eumdem annum* XVII. *signantia congerit in annalibus* (*f*) *Muratorius*. Nihilo-

(*a*) Vid. annal. Camald. tom. I. lib. VII. §. 34. ad ann. 1003. pag. 267.

(*b*) Annal. Bened. tom. I. lib. VII. pag. 179.

(*c*) Annal. Camald. tom. I. p. 267.

(*d*) Annal. Camald. in append. col. 159.

(*e*) Ibid. tom. I. lib. VII. §. 18. ad ann. 1001. pag. 255.

(*f*) Tom. VI. pag. 4.

nihilominus non satis religiose custoditas a doctissimis viris diplomatis notas chronologicas nos comperimus, & quasdam detortas voculas praeter autographi fidem conspeximus; ea propter illud castigatum dabimus in nostro diplomatico codice Pomposiano.

XLI. Auspicatur itaque diploma ab invocatione: *In nomine sancte & individue Trinitatis*, quam frequentissime, licet non constanter, adhibuit Otto III. a patre mutuatam, & avo ante & post adeptum imperium, quod diplomaticae rei magistri, Mabillonius prae ceteris (*a*), Schannatius (*b*), & Gotwicensis Abbas Godefridus Van Bessesius (*c*) erudite adnotarunt. Deinde vero initialis formula est: *Otto superna favente clementia Imperator augustus*; quae in reliquis multis occurrit Ottonianis diplomatibus penes Gattulam, Muratorium, Mittarellium, & alios: neque enim hic de formulis istiusmodi differendi locus videtur, quae tamen variae saepe fuere pro notariorum varietate. Multa etiam pecuniaria in transgressores decreta, quae in Caesarum, ac Regum Italiae diplomatibus post saeculum IX. frequentissime occurrit. Scripturae genus in autographo diplomate apprime congruit aetati, atque diplomatibus Ottonis III. ceteris, non secus ac monogramma, vel signum illud subscriptionis loco, quo plerumque utebantur Imperatores. *Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani episcopi recognovit* ipsummet diploma. Heribertus hic est, qui Evergero in Coloniensi archiepiscopatu suffectus monastici coetus fautor eximius, aedificato potissimum Tuitiensi coenobio, ubi Robertus Abbas doctrinae atque pietate celebris rerum ab eo gestarum seriem descripsit. Petrus autem Cumanus Episcopus perpetuus est in Ottonianis diplomatibus. E nostro plumbeum olim pendebat sigillum avulsum deinde, atque deperditum, quod membranae, quae supersunt, foramina indicant. Datum vero fuit II. *kal. aprilis anno dominice incarnationis* M. *primo indictione* XIIII. *anno tertii Ottonis regni* XVII. *imperii* V., quae notae anno eidem MI.

 opti-

(*a*) De re diplomat.
(*b*) Archiv. Fulden.
(*c*) In chron. Gotwicen.

optime congruunt. *Actum* denique fuit *Ravenne*, ubi quidem morabatur Otto XI. kalendas iunias ipſius anni, quod Baldericus refert (*a*); eo enim die Ravennae ab Ottone diploma impetravit Cameracenſis Epiſcopus Erluinus plurium cum interventu, quos inter Leo Archiepiſcopus utique Ravennas, *Leo-mutus* dictus, ſeu *Neo-mutus*, de quo inquirere hic loci in multa ſententiarum varietate omittimus. Quinimo Ravennae erat Otto XII. kalendas maias, quod ex diplomate a Muratorio edito (*b*) apparet dato monaſterio ſanctae Mariae Theodatae Ticinenſis urbis, quod *de poſterula* vocitatur. Nonis autem martiis Peruſiae conſiſtebat Imperator, uti diploma alterum declarat penes Muratorium eumdem (*c*) monaſterio s. Laurentii in campo conceſſum. Quidni ergo potuerit Otto pridie kalendas aprilis, quo datum fuit diploma Pompoſianum, Ravennae adeſſe, ubi etiam conſediſſe pridie nonas menſis eiuſdem oſtendit placitum habitum ibidem, de quo inferius. Haec analytice fere differere libuit, tum ut diploma demonſtretur authenticum, in quo nullam prorſus falſitatis notam detegere liceat, aut ſuſpicari, tum ut faciliorem quodammodo ſterneremus viam iis, quae de altero Ottonis eiuſdem diplomate anno eodem Pompoſiae dato copioſe erimus diſputaturi.

XLII. Meminimus ſane, atque indicata ſuperius Imperatorum diplomata produnt, Pompoſianum monaſterium alias Ticinenſi s. Salvatoris Abbati, alias Ravennatibus Archiepiſcopis promiſcue conceſſum, confirmatumque. Quid autem a Conſtantino Abbate Pompoſiae contra Ticinenſem penes Ravennae Archiepiſcopum Iohannem tentatum fuerit, noverint lectores ex dictis. Opus ſane eſt aſſerere, nihil impetratum ab eo, quum maxime ſuperſtes adhuc Adelais Imperatrix eſſet, quae diuturno tempore Ottonum trium Imperatorum vice, viri, filii, & nepotis regnum gubernarat Italicum, cuius etiam auctoritate Pompoſianum ipſum monaſterium,

(*a*) Chron. Cameracen. lib. 1. cap. 112.

(*b*) Antiq. med. aevi tom. 1. pag. 386. diſſert. VII.

(*c*) Ibid. tom. V. pag. 489. diſſert. LXV.

rium fuerat Ticinensibus collatum. Verum ea defuncta anno DCCCCLXXXXIX. XVI. kalendas ianuarias, atque ex testamento in Ticinensi monasterio elata (*a*), liberius iterum ac tutius Pomposiani Ottonem nepotem adiere, enixis postulantes precibus, ut ab omnimodo Ticinensium, aliorumque quorumlibet iure imperatorio beneficio eximerentur. Fieri enim praesertim potuit, ut, quum gregarium adhuc, si ita loqui fas est, monasterium esset, non regulares aliquando in eo, sed saeculares constituerentur Abbates extra monachorum coetum; quod iis temporibus saepius multis in monasteriis contigisse, nobismet certum alibi erit, demostraruntque Bacchinius (*b*), & Mabillonius (*c*): ex quo monasticae omnis disciplinae constitutio, ac robur, quae viris sanctissimis cordi summopere fuerit, labefactaretur, & facile rueret. Utut res sese habuerit, certum est, Guilielmum strenue penes Imperatorem egisse, ut deinceps Abbas Pomposiae nonnisi ordinaretur ille, quem unum ipsimet eligerent monachi: *Statuimus itaque*, ait Imperator, *& precipimus firmiter concedentes ut nemo ibidem ponatur in Abbatem nisi quem heremite ibidem Deo militantes eligunt communi consilio fratrum*. Confirmaverat quoque Otto Pomposiano monasterio diplomate eodem *omnia que illo pertinent in quocumque loco maneant in terris vineis silvis piscariis pascuis & ceteris pertinentiis*. Tandem si qui violassent, poenam eam sancivit, ut *centum libras auri cocti*, hoc est puri, & perfectissimi solverent, quarum semis imperiali fuit assignatum aerario, semis autem Pomposiano monasterio. En igitur primum Pomposia in omnem sui, quod expetierat iamdiu, vindicata libertatem; en primum ab Ottone Augusto datum diploma, quo bona illius, quae haud poterunt proinde perexigua censeri, confirmarentur.

XLIII. Itaque Guilielmi in Pomposiano regimine successor Iohannes fuit, Angelus dictus, quem *simplicem*, *rectum*, *& absti-*

(*a*) Vid. Baron. & Pag. ad ann. 1000., ac Mabillon. annal. Bened. tom. IV. pag. 132., & iter Ital. pag. 222.

(*b*) In not. ad continuat. Agnelli de vitis Pontif. Raven. penes Murat. rer. Ital. script. tom. II.

(*c*) Annal. Bened. tom. IV. lib. LVI. §. 99. ad ann. 1031. p. 370. & lib. LXI. §. 105. ad ann. 1062. pag. 619. & seq.

& abstinentia mirificum biographus alter appellat, alter vero *virum per omnia probatum*, *& angelica merito nuncupatione condignum*. Eius profecto tempore Pomposianum monasterium, quod primo illo diplomate recens fuerat munificum Imperatorem expertum, adeo nobilitate, & magnificentia crevit, ut cum nobilioribus posset tunc temporis in Italia coenobiis merito comparari. Etenim ex quo piissima Augusta Adelais fuit ad superos evocata ad finem, uti diximus, anni DCCCCLXXXXIX., atque attenuata veneratio, quam antea illius voluntati, & decretis quisque exhibuerat, maxime quum Ticinense suum monasterium quibus posset modis ornare curasset, continuo tum Ravennas Archiepiscopus, tum Pomposianus Abbas pro Pomposiano non solum coenobio, sed pro altero etiam s. Vitalis, quod in Pomposiana situm erat insula, quum grave nimis videretur eis Ticinensi Abbati illa subesse monasteria, iterum conquesti coram Imperatore fuere de laeso suo, ac monasteriorum eorumdem iure, quae Ticinensi s. Salvatoris subdiderat Adelais. Factum est idcirco, ut anno MI. pridie kalendas aprilis impetrato a Pomposiano monasterio Ottoniano diplomate, de quo locuti sumus, omni iudiciali, ac legitimo in Pomposiano titulo expoliatus Salvatorianus Abbas, qui tunc Andreas erat, statim reclamaret, inveniretque Georgium Comaclensem Episcopum, & Episcopum Adriensem Albericum, qui vel ipsi in ea monasteria quaecumque iactarent iura; ius vero suum in Pomposiam Ravennas Archiepiscopus persequeretur.

XLIV. Eapropter altercantes singuli caussae quidem suae defensionem suscepturi confugere ad Romanum Pontificem Silvestrum II. qui monachus olim Gerbertus nomine anno DCCCCLXXXXIX. IV. nonas aprilis Gregorio V. successerat: non enim Iohannem XVII. Graecum hominem, antea Episcopum, sive, ut iactitabat ipse, Archiepiscopum Placentinum, de quo exstat iudicatum e Pomposiano tabulario a Muratorio editum (*a*), recusumque a nobis in diplomatico codice, multum curamus, qui nimirum, vivente adhuc Gregorio V.

(*a*) Antiq. med. aevii tom. II. pag. 959.

gorio V. anno eodem DCCCCLXXXXIX. in Romanum fuerat Pontificem assumptus. Confugere etiam debuerant illi ad Ottonem III. Imperatorem, qui praeceptorem habuerat Gerbertum ipsum excellenti pro eo tempore doctrina praeditum, non tamen magicae artis scientia, ut de eo fabula narrata est, qua ad pontificiam dignitatem extolleretur. In re itaque maximi momenti tum Silvestro Pontifici, tum Ottoni Augusto aptissimum visum fuit, si publico conventu habito coram Episcopis pluribus, Abbatibus, iudicibus, aliisque proceribus litigatores adessent, & caussa ageretur eorum. Igitur Ravennam convenere cum Romanus Pontifex, tum Imperator *ad iustitiam faciendam, & altercationes deliberandas*. Adfuere Episcopi Petrus Cumanus, Otbertus Veronensis, Leo Vercellensis, Dominicus Sutriensis, Sergius Caesenas, Georgius Comaclensis, & Albericus Adriensis; tum sanctus Odilo celeberrimus s. Petri Cluniacensis Abbas, Andreas Abbas s. Salvatoris Ticinensis, Giribaldus s. Christinae Ticinensis itidem urbis, Arderardus, seu Arderatus s. Apollinaris in Classe, Bonizo s. Severi Ravennae Abbates, Romualdus Abbas & eremita, Guilielmus, & Iohannes presbyteri & eremitae, Iohannes alter monachus & eremita, *Robertus oblacionarius apostolice sedis Romane ecclesie*, *Fredericus presbiter sancte Romane ecclesie Cardinale*, plures etiam alii praesertim ex clericis Ravennatis ecclesiae, & una simul *Petrus sacrosancti palatii Lateranensis comes*, Arardus comes, & iudices plurimi, consules, tabelliones, dativi, notarii cum generosis multis hominibus maxime ex gente ducum de *Traversaria*, quos inter *Petrus iudex filius quondam Pauli ex genere ducum*, *qui vocatur de Traversaria*, atque advocatis ecclesiarum Ravennatis, Comaclensis, & Adriensis, tum Pomposiani monasterii, ac Ticinensis Abbatis s. Salvatoris.

XLV. Principio autem ut de iis omnibus singillatim aliqua adnotemus, Petri Cumani mentio in Ottoniano diplomate, quod commemoravimus superius, Pomposiae dato occurrit, qui Ottonis archicancellarii munere fungebatur.

Leo

Leo Vercellensis Episcopus, de quo agit Ughellius (*a*), ille est, cuius acta in Italiae illius aevi historia magis sunt famosa, quam quae Episcopum deceant, de cuius aeterna vita ambigere visus fuit Guilielmus Abbas Divionensis, qui eum semper infestum habuisse dicitur, sed in placito nostro *Leo prudentissimus* appellatur, & *logotheta sacri palatii*. Dominici Sutrini Episcopi haud meminit Ughellius quidem (*b*), quod adnotaverat olim Muratorius (*c*), bene vero Coletus, qui Ughellianum opus persecutus est, & Gallettius (*d*). Sergium etiam agnovit Ughellius (*e*) monachum antea ad Caesenatem inde Episcopatum evectum, quae urbs saeculo fere integro undecimo Episcopos habuit s. Benedicti monachos. Ughellius idem (*f*) Georgium novit Comaclensem Episcopum, minime vero Albericum Episcopum Adriensem, ut etiam Muratorius laudatus advertit (*g*), qui propterea inter Astulphum Romanum, & Petrum I. Adrienses Episcopos erit reponendus. Deest etiam Albericus noster in serie Episcoporum Adriensium, quam contexuit comes Carolus Silvestrius Rhodiginus (*h*). Insuper commorantem adhuc in Italia Odilonem habemus, qui Romam Gregorio V. Romano Pontifice primum profectus illud saepe deinde relegit iter, tum dignitate, tum potissimum virtutibus eximius vir, sive Italiae negotia pertractaturus, sive Apostolorum veneraturus limina, ut tantis patronis suum pie obitum commendaret. Incertum nobis, an qui *Romualdus Abbas & eremita* dicitur, idem, aliusve sit ab Romualdo monacho, qui placito subscripsit, multoque incertius, an ipse Camaldulensium parens, quod dubio procul Mittarellius contendit cum Costadonio suo (*i*), quem idcirco in placito Abbatem dictum censet, *utpote qui olim*

(*a*) Ital. sacr. tom. IV. in Episc. Vercellen. num. 49. pag. 772.

(*b*) Ibid. tom. I. in Episc. Sutrin. num. 12. pag. 1274.

(*c*) In epist. ad Gorium symbol. litter. Gorii tom. V.

(*d*) In epist. sull'origine de' Girolamini pag. 121.

(*e*) Ital. sacr. tom. II. in Episcop. Caesen. num. 30. pag. 447.

(*f*) Ibid. tom. II. in Episc. Comacl. num. 5. pag. 483.

(*g*) In epist. ad Gorium laudata.

(*h*) Istor. delle paludi Adriane pag. 156.

(*i*) Annal. Camald. tom. I. p. 244.

olim praefuerat monasterio Classensi, vel quia plura monasteria illius se disciplinae subiecerant. Monachus vero, & eremita dictus, quia utramque vitam in se copulabat, coenobiticam, & solitariam. Qua in re quidem, licet nil exploratius proferri queat, quod firmet sententiam, tamen cum doctis viris nos lubenter sentimus; neque enim tantillum moratur nos, Romualdum Camaldulensium ducem anno MI. annos natum LXXXXIV. retenta antiqua de illius ortu chronotaxi, quam iidem revera retinendam iudicarunt (*a*): nam qui annis C. vixit, ac XX., valetudine firmus, & incolumis iure poterit & merito censeri aetatis suae anno LXXXXIV., qui propterea Ravennam petierit ad negotia peragenda etiam non sua, quae nihilominus in suo agebantur s. Apollinaris monasterio coram Pontifice Romano, atque Imperatore, quibus in deliciis quammaxime erat Romualdus, quibusque propterea praesentem se sistere aequum iudicaverit, ab illis etiam fortasse expetitus. Nec aliter profecto Muratorius (*b*) sentit his verbis: *Habes heic sanctum Romualdum clarissimum institutorem monachorum & eremitarum Camaldulensium Ottoni III. Imperatori inter paucos carum; cuius vitam accurate digestam nuper publici iuris fecit P. D. Bonifacius Collina eiusdem religiosi ordinis alumnus, & publicus in Bononiensi gymnasio lector. Si ei perspecta fuisset charta haec, eius mentionem, ut puto, non omisisset.*

XLVI. Certo autem Pomposiani erant, qui placito aderant, Guilielmus, & Iohannes presbyteri & eremitae, ac Iohannes alter monachus itidem & eremita. Guilielmum enim olim Pomposiae Abbatem, de quo superius a nobis actum fuit, censemus una cum laudatis scriptoribus Camaldulensibus, quem nihilominus non confundendum diximus cum Guilielmo Romualdi discipulo, qui in Perei secessu cum eo subsiderat: Iohannem vero presbyterum & eremitam, qui tunc erat Pomposiae Abbas, non quem illi dixere in Polonia deinde martyrem; iam enim supra a nobis indicatum est, solo presbyteri nomine presbyteros Abbates saepius vocatos fuisse. Sub Bonizone autem, qui hisce temporibus Abbas

(*a*) Annal. Camald. tom. I. pag. 2. (*b*) Epist. ad Gorium laudata.

bas fuit s. Severi Ravennae, monasterii *praepositus* erat Guido celebratissimus dehinc & ipse Pomposianus Abbas. Fredericus deinde presbyter Romanae ecclesiae Cardinalis, qui placito adfuit, Saxo genere, aetate iuvenis hoc ipso anno Silvestri Pontificis legatus iussus fuit in Saxoniam exire, & synodo in caussa dedicationis Gardersheimensis ecclesiae ad XII. kalendas iulias Palithi indictae praesidere, e qua tamen ob concitatas turbas re infecta discedens, ut Tagmarus refert (*a*), Romam reversus, atque Pontifici, & Imperatori rerum gestarum serie narrata, paullo post electus Ravennas Archiepiscopus fuit. Placiti vero dati tempore Ravennatem adhuc ecclesiam regebat Leo, qui placito interfuit verosimiliter non per semet, sed omnino per advocatum ecclesiae suae Petrum iudicem sacrosancti palatii. Ipse autem necdum dignitatem abdicaverat III. nonas iunias, qua die quaedam sub annuo censu bona donavit Bonizoni Abbati monasterii s. Mariae in Palatiolo non multum Ravenna dissiti, nec cum altero in Tuscia confundendi, ut Mabillonius confundit (*b*), quod iam adnotarunt Camaldulenses scriptores (*c*): litterae enim Leonis, quas ex Cardinalis Casanatae autographo Mabillonius idem edidit primus (*d*), deinde laudati scriptores (*e*), datae fuere die secunda mensis iunii indictione XV. & hoc extremum Leonis Archiepiscopi factum fuit, cuius successor Fridericus mense novembri episcopalem quidem dignitatem Ravennae obtinebat.

XLVII. Tandem *si qua superesset dubitatio*, ad Gorium scribebat Muratorius (*f*), *an celebris Traversariorum Ravennatum familia, quae postea ipsi civitati dominata fuit, ex ducibus descenderet*, *en luculentum testem*, *qui rem certam statuit in Petro iudice*, *qui placito adsidebat*, *filio quondam Paulli ex genere de Traversaria*. Occurrit autem hic Paullus dux *qui vocatur de Traversaria* in membrana quadam a nobis alias referenda, quae

(*a*) In vita s. Bernardi Episc. Hildesheimen. num. 28.

(*b*) Annal. Bened. tom. IV. p. 147.

(*c*) Annal. Camald. tom. I. pag. 254.

(*d*) De re diplom. lib. V. pag. 446.

(*e*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 166.

(*f*) Symbol. litter. Gorii tom. V.

quae ad annum pertinet omnino DCCCCLXXXIII., una cum altero eiusdem filio Paullo Ravennatis ecclesiae hypodiacono, ac monasterii sanctorum Iohannis & Barbatiani Abbate. *Sed quinam fuere duces isti*, Muratorius persequitur (a), *in historia Ravennate tam saepe memorati? Plausu excipienda mihi visa est praelaudati P. Collinae coniectura, scilicet Liutprandum Beneventi ducem a Desiderio Langobardorum Rege deiectum Ravennam se recepisse, servatumque ducis titulum ad filios, nepotesque suos transmisisse.*

XLVIII. Igitur, ut redeamus ad rem, his adstantibus singulis, *a summo usque ad expletam roborationem testium* relectus libellus est a Constantino Pomposiano Abbate sexdecim annis antehac Iohanni XII. Ravennati Archiepiscopo exhibitus, quo ab omni prorsus Abbatis Ticinensis s. Salvatoris iurisdictione tum Pomposiae, tum s. Vitalis in Pomposiana insula monasteria subducerentur *cum omnibus ad ipsi monasterii pertinentibus in territorio Comaclensis*. Deinde Andream Salvatorianum Abbatem *cum advocatore suo nomine Rainaldus ex genere Langobardorum* ter sciscitatus est *Petrus sacrosancti palatii iudex & advocatus sancte Ravennatis ecclesie*, an quid opponerent illi libello supplici, sive petitionis chartulae, cui, interpositis, uti autumari par est, tum Silvestri Pontificis, tum Ottonis Augusti officiis, responderunt: *Laudamus eam, quia bona est, & volumus, ut sit firmam & stabilem in perpetuum, statimque adprehendiderunt in manibus suis virgam, & miserunt in manu supradicto Petro iudex sacrosancti palatii, & advocatus sancte Ravennatis ecclesiae, & dixerunt: Ecce refutamus tibi in vice sancte Ravennatis ecclesie ipsum monasterium sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, & monasterium sancti Vitalis martiris in ipsa insula posito, & omnibus rebus que in ipsa charta petitionis relegitur, ut habeant sancta Ravennas ecclesia ipsum monasterium sancte Marie, qui vocatur in Pomposia, & sancti Vitalis martiris in perpetuum*; adeo ut si umquam contradixissent iidem, vel contra patrassent, *auri optimi libras decem* Ravennati ecclesiae, eiusque Archiepiscopis persolverent.

(a) Symbol. litter. Gorii tom. v.

rent. Simili deinceps modo ab eodem iudice interrogati Georgius Comaclensis Episcopus *cum advocatore suo nomine Andreas ex genere consulis & tabellio*, atque Albericus Episcopus Adriensis, sive (ut in placito legitur) Adrianensis *cum advocatore suo nomine Apollinaris qui vocatur Ubertus de ponte Augusti, si aliquid vellent dicere de ipsa carta petitionis de supradictis monasteriis sancte Marie, & sancti Vitalis ipsi Episcopi pariter cum advocatoribus suis dixerunt: Laudamus eam, quia bona est, & volumus, ut sit firmam & stabilem in perpetuum*, sancita in semet poena eadem, solvendarum nimirum auri optimi librarum decem. Quibus peractis Petrus iudex dixit: *Deprecor vos omnes, qui hoc auditis, & videtis pro futuro testimonio.*

XLIX. Datum hoc placitum est *anno Deo propitio pontificatus domini nostri Silvestri summi Pontificis & universalis Pape in Apostolica sacratissima beati Petri Apostoli domini sede secundo; sicque imperante domino nostro piissimo perpetuo Augusto Ottone a Deo coronato pacifico magno Imperatore in Italia vero anno v. die quarto mensis aprilis indictione quartadecima infra claustra monasterii sancti Apollinaris qui vocatur in classe*. Statim autem subscripserunt primo quidem qui conventui praeerat, Romanus Pontifex hacce formula usus: ☧ *Ego Silvester sancte catholice & Apostolice ecclesie Romane presul huic refutacioni & sponsioni ut supra legitur presui & subscripsi.* Ubi cum Muratorio ad Gorium scribente (*a*) libet advertere, ignotum fuisse immortali ecclesiasticorum annalium parenti Baronio, hoc anno Silvestrum Pontificem Ravennae fuisse versatum. Dehinc subscribit *Otto servus Apostolorum*, de quo titulo ab Imperatore Ottone III. adhibito libro consequenti a nobis erit dicendum. Post Ottonem Rodbertus diaconus, atque *oblationarius* Romanae ecclesiae, de quo multa pertractat clarissimus Gallettius (*b*), quem sequuntur Episcopi Sutrinus, Cumanus, Veronensis, & Comaclensis; deinde s. Salvatoris Ticinensis, s. Apollinaris in classe, atque sancti Andreae maioris Abbates,

(*a*) Gor. symbol. litter. tom. v.

(*b*) De' Primiceri, e degli altri uffiziali della santa sede pag. 19.

tes; poſt quos Romualdus monachus, Conſtantinus Ravennas tabellio, Petrus Dativus, quidam logotheta palatii, cuius haud nomen legere eſt, Andreas tabellio, ac poſtremo tabellio alter Ravennas, cuius & nomen lacuna continetur, ſed Conſtantinus alter eſt, de quo in placito, cuius & ipſe ſcriptor fuit, abſolvitque tabulas.

L. Iudicium hoc, ſive placitum inſigne in celeberrimo Claſſenſi monaſterio habitum paucis paſſuum millibus ab Ravenna urbe, & olim ad mare ſito *a Muratorio*, inquiunt Camaldulenſes Mabillonii noſtri (*a*), *ex pergamena authentica, ſive ex autographo notarii, qui illud litteris conſignavit, inventum apud Bonifacium Rangonium marchionem non minus ex antiqua & clariſſima nobilitate, quam ex eruditione inter Mutinenſes praeſtantem, miſſum fuit ad eruditiſſimum, ſuique & noſtri amantiſſimum virum Antonium Franciſcum Gorium, qui volumini v. ſuarum* Symbolarum litterariarum *inſeruit*. Quinimo & epiſtolam per quam doctam ea occaſione, veluti ſui erga ipſum Gorium numquam delendi amoris pignus, etiam miſit Muratorius anno MDCCXLVIIII. XII. kalendas iulias haec inter reliqua ſcribens: *Indignum fortaſſe non erit erudita tuarum* Symbolarum *collectione nobile placitum, quod ad te mittendum ſtatui, veluti monumentum, unde non unum lumen hiſtoriae veteri affulgere queat. Favente fortuna pergamenam authenticam, ſive autographum notarii, qui illud litteris conſignavit, offendi apud Bonifacium Rangonium marchionem non minus ex antiqua & clariſſima nobilitate, quam ex eruditione inter cives noſtros praeſtantem*. Nec miretur quis, omiſſum placitum hoc a Muratorio ipſo ſuis in voluminibus antiquitatum medii aevi: *Quo tempore* enim, ait idem, *ego colligendis antiquitatibus Italicis medii aevi operam dabam, ſi placitum hoc mihi occurriſſet, in illud opus perquam lubenter intuliſſem*. Subdit deinde poſt multa: *Neque ſilebo, eiuſdem quoque vetuſtum exemplum in pergamena adſervari a ſupra laudato marchione Rangonio, in cuius calce haec leguntur: Et ego Bonus Dei nutu tabellio de villa Baurie & notarius ſancte Pompoſiane eccleſie ita ut vidi in autentico inſtru-*

(*a*) Annal. Camald. tom. I. pag. 244.

ſtrumento quod legere potui ſcripſi in milleſimo CLVIII. *tempore Adriani Pape, & Frederici Imperatoris in menſe aprilis indictione* VI. *Rome in domo Petri Rici oſtiarii domini Pape*. Haec Muratorius. In noſtro Pomposiano codice diplomatico pluries membranae occurrunt exſcriptae ab eodem Bono Pompoſiani monaſterii notario, uti dicemus alibi, qui quum Romae exemplar ex autentico placito fidem faciat exaraſſe; coniectandi locus eſt nobis, controverſiam aliquam anno eodem MCLVIII. agitatam fuiſſe, pro qua exhibendum eſſet placitum illud. Suſpicamur etiam, ipſius exemplar a Bono notario deſcriptam ad Pompoſianum aliquando tabularium pertinuiſſe, unde neſcio quo caſu ad Rangonianum tranſierit.

LI. Nos quidem autographum ipſum, ſive membranam penes clariſſimum marchionem ſalutare, & tamquam cimelium antiquitatis ſacrae rarum deoſculari peroptabamus, ubi Mutinam nos contuliſſemus Ateſtii tabularii penetrandi cauſſa, conſulendaeque bibliothecae: verum ipſe perhumaniter, ſicut ſuus eſt mos, nobis omni aſſeveratione affirmavit, antiquas pene ſingulas tabulas, quae ſui erant domeſtici archivi, miſſas iampridem ab eo ad Ioſephum Aloyſium Amadeſium Ravennatis Archiepiſcopi chartophylacem, quum eas ad Ravennatem omnino eccleſiam pertinere cognoviſſet; quo viro Romae humanis exempto, tabularum earumdem ſors ipſi incerta. Spes tamen ſupereſt nobis, ut in eccleſiae eiuſdem archivo eae repoſitae fuerint, reponanturve aliquando. Interim placitum ipſum *viſum eſt* Camaldulenſibus ſcriptoribus *denuo recudendum in appendice* (a), *tamquam egregium monumentum, quod tot piorum & celebrium virorum nomina complectatur*. A nobis id iterum factum non pigeat in noſtra mantiſſa, ſive diplomatico codice, quum illud ad rem Pompoſianam in primis certe, ac ſumme pertineat, eo vel maxime quod tabulae huiuſmodi aciem nobis inſtruant ad Ottoniani diplomatis luculenter vindicandam auctoritatem, in quod vires noſtras omnes conferemus inferius. Accedit quod ad Gorium ſcribebat

(a) Annal. Camald. tom. I. pag. 245. & in append. tom. eiuſd. pag. 160.

bebat Muratorius de hoc placito hisce verbis (a): *Quanti autem faciendum sit, facile quisque perspiciet; illud quippe celebrarunt suprema duo christiani orbis luminaria, eique interfuere tot illustria tam ecclesiastici, quam saecularis ordinis capita; scilicet acta fuit caussa coram Romano Pontifice Silvestro, qui antea Gerbertus ex raro scientiarum cultu sibi grande nomen quaesierat, sed apud ignarum vulgus ob eadem studia in sinistram famam incurrerat, uti & coram Romanorum Imperatore Ottone III. Augusto.*

LII. Solemni autem istiusmodi cessione iurium uni Ravennati Archiepiscopo facta ab omnibus iis, qui in Pomposianam illa fuerant olim caussati, optimus maximusque Imperator ea munificentia usus, quam in monasteria plura exercuerat, in Casinense potissimum, atque Farfense, cum Frederico Archiepiscopo Ravennate negotio inito, ab eoque Pomposianum consecutus monasterium, quod Ravennati ecclesiae accesserat, eidem bona alia impertitus est novo diplomate, videlicet *omnia placita districtus & bannum de omni terra sancti Apollinaris & de omnibus episcopatibus sive comitatibus de quibus precepta habentur in sancta Ravennati ecclesia*. Res isthaec omnis absoluta est, atque transacta omnia anno eodem MI. X. kalendas decembris. Nam Pomposiano monasterio tunc datum celeberrimum fuit diploma ab Ottone, quo, coenobio ipso ab qualicumque subducto Archiepiscoporum utique Ravennatum, aliorumve omnium iurisdictione, mansurum illud regia sub una defensione pientissimus Imperator declarat: *Unde abbatiam*, ait, *sancte Marie in Pomposia ab omni subiectione Archiepiscoporum sive aliorum excutimus ut regali sit nulli dominatui persone subiecta*; subditque: *sintque monachi eius ab omni secularis servitii infestatione securi*. Confirmato deinde diplomate primum concesso Pomposiae pridie kalendas aprilis anni ipsius, instaurataque *centum librarum auri* coacti in Imperatorii praecepti raptores poena quam sanxerat, haec repetit: *Qui* (monachi) *de suis qualem voluerint Abbatem eligant ab Episcopo Comaclensi consecrandum. Qui sibi pro pecunia, vel pro aliqua humana potestate molestus esse voluerit veniat ad Archiepisco-*

(a) Symbol. litter. Gorii tom. v.

piſcopum ſuum Ravennatem ab eo benedicendus. Et ſi in hoc iſto quod in priori invenerit ad qualemcumque Epiſcopum deſideret cauſa conſecrationis properet. Recognitae tabulae fuere ab Heriberto cancellario vice Petri Epiſcopi, dataeque X. *kalendas december anno dominice incarnationis* M. *primo indictione* XV. *anno tertii Ottonis regni* XVII. *imperii* VI. *actum Ravenne feliciter*. Monogramma adeſt Ottonis eiuſdem, pendetque plumbeum e membrana ſigillum Imperatoris. Hoc ſane diploma autographum Pompoſiano in tabulario omni diligentia cuſtoditum primus edidit Margarinius (*a*), & poſt eum Ughellius (*b*), pluribus tamen ſcatens erroribus, haud ſervata authenticarum tabularum fide: ex quo propterea Fontaninio perilluſtri quidem viro facilius fuerit illud pro falſo traducere (*c*), in quem tamen omni ſuo conatu aciem obvertit Muratorius (*d*). Verum quum Ottonianum hoccc diploma rerum Pompoſianarum primum, ac ſummum iure cenſeatur fundamentum, quo tantum nobilitatis, atque decoris, bonorum, ac iurium fuerit Pompoſiae collatum, &, ut Mabillonii dicamus verbis (*e*), *celebris fuerit ab eo tempore haec abbatia*, operae pretium nos facturos exiſtimamus, ſi contra liberiorem Fontaninii ſententiam abſolutas pro viribus ad diplomaticas leges unacum Muratorio laudato vindicias illius capeſſendas duxerimus, quod nobis bene ceſſurum confidimus, ubi Fontaniniana momenta, quae obiecta ſunt, ad ſingulare examen revocata exhaurire poterimus. Oratio vero iſthaec quum tantas inter anguſtias compelli facile nequeat, in ſubſequentem (ne vagi videamur & exleges) rem omnem propoſuimus librum conferre, qui diplomatis unius apologiam univerſam complectatur.

LIII. Interea illud praeterire non poſſumus, rem iſtammet totam non concinne ſatis, aut fallimur, nobis videri, ac diligenter expoſitam a Mabillonio perdiligente ſane & cri-

tico

(*a*) Bullar. Caſinen. tom. II. conſtit. LXX. pag. 64.

(*b*) Ital. ſacr. in Archiep. Ravenn. tom. II. num. 66.

(*c*) Difeſa del dominio della s. ſede ſopra Comacchio part. II. pag. 132. e 326.

(*d*) Piena eſpoſiz. del dritto imper. ed Eſten. ſopra Comacchio cap. 16.

(*e*) Annal. Bened. tom. IV. p. 147.

tico homine, qui Ottonianas huiusmodi tabulas ex Ughellio, quem laudat, referens haec ait (a): *Fridericus in eius*, (Leonis Archiepiscopi Ravennatis) *locum subrogatus abbatiam Pomposiae, petente Ottone Imperatore, ab omni subiectione Archiepiscoporum exemit, ut regularis abbatia esset, nullique alteri praeterquam Imperatori subiecta, essentque monachi a qualibet servitute immunes, haberentque potestatem eligendi Abbatis, qui benedictionem a Comaclensi Episcopo acciperet*. Diplomatis autem verbis recensitis, quibus bona permutata ab Imperatore indicantur, & Ravennati Ecclesiae concessa, hoc est *omnia placita, & districtus, & bannum de omni terra sancti Apollinaris, & de omnibus episcopatibus, & comitatibus*, suo, ut dicitur, marte hoc Mabillonius addit: *eidem ecclesiae subiectis*; adeout non aliter fortasse ea intelligenda censuerit, quae in diplomate leguntur: *de quibus praecepta habentur in sancta Ravennati ecclesia*. Tandem actum diploma notavit XV. kalendas decembris, *quo perinde tempore Leo archiepiscopatu iam cesserat*. Id vero ipsum Itali nostri Mabillonii recantant, qui de litteris agentes Leonis Archiepiscopi Ravennatis, quarum superius & nos meminimus, Bonizoni Abbati Palatioli datis, ubi Fridericum successorem tamquam Metropolitanum ecclesiae Ravennatis Germanicae legationis rationem redditurus in synodo Tudertina hoc anno MI. VII. kalendas ianuarias habita sedisse advertissent, haec subdunt (b): *immo Archiepiscopus erat iam a die decima septima novembris, qua, petente Ottone Imperatore, privilegium concesserat abbatiae Pomposiae, eam ab omni Archiepiscoporum successorum Ravennatum iurisdictione eximens*.

LIV. Haud profecto alucinatos tantos viros dixerimus, quorum mens, atque consilium non aliud certe fuit, quam factae permutationis negotium Imperatorem inter, ac Ravennatem Archiepiscopum referre, adeout a Friderico Archiepiscopo, qui Pomposianum monasterium cesserat, iura omnia, quae deinde Imperator suo firmavit diplomate, tamquam a fonte emanaverit. Si quid igitur hac in re expri-

(a) Loco laud.

(b) Annal. Camald. tom. I. pag. 254.

menda peccasse videantur sapientissimi monasticae historiae conditores, vix illud sit, non Fridericum, petente Ottone Imperatore, illud concessisse privilegium Pomposiae, ut regium deinceps monasterium esset, ab qualicumque servitute immune, atque ab omni Archiepiscoporum subiectione exemptum, quum tantum iurium, quae unam praeseferunt omnino, atque requirunt regiam potestatem, ab Ravennate numquam posset Archiepiscopo derivare; bene vero Imperatorem ipsum Ottonem sua auctoritate, suoque diplomate singula sanxisse, ubi a Friderico Archiepiscopo permutatum obtinuerat Pomposianum monasterium. Praeterea illa diplomatis verba: *de quibus praecepta habentur in sancta Ravennati ecclesia*: quo videantur sensu vere proprieque accipienda; libro consequenti, in quo cum Fontaninio res nobis erit, manifestum fiet. Denique datum diploma non XV. kalendas decembris, sed X. dicendum est, ut revera penes Margarinium legitur (*a*), quin & ipso in Pomposiano autographo; adeout propterea Fridericus primum Ravennas Archiepiscopus occurrat die quidem vigesima secunda, minime vero decima septima novembris.

LV. Pomposiae autem monasterio tamquam insignito huiusmodi summis, praeclarisque privilegiis, argumentum sane tum pietatis, ac religionis antiquae, quae Ottonis Imperatoris mente insederat, tum sapientiae singularis, atque sanctitatis, qua se tueretur ipsum monasterium, & praefulgeret, par est credere, reipsa & animo gratissimos in Ottonem Augustum Pomposianos monachos; adeout quum non multo post, V. videlicet kalendas februarias anni consequentis MII. apud Paternum, non longe a Civitate Castellana (*b*) vita decesserit optimus, ac beneficentissimus Imperator, non modo eius nomen in sua statim retulerint necrolo-

(*a*) Bullar. Casinen. tom. II. constitut. LXX. pag. 64.

(*b*) Ita quidem Leo Ostiensis lib. II. Chron. Casinen. cap. 25. Baronius tamen tuetur defunctum Ottonem anno sequenti: ad haec anonymus Casinensis Sutri ipsum obiisse scribit apud Muratorium (rer. Ital. scriptor. tom. V. pag. 55.) ex cod. sign. num. 47. Casinensis monasterii; licet in cod. altero sign. num. 199. deficiat vox *Sutri*.

crologia, quod certe quidem constaret, nisi ea singula, quae ad Pomposiam pertinent, absumpsisset aevum, in quae eorum, qui benefecerint, nomina transferre consuescerent, quod in aliis factum coenobiis communi tunc temporis usu ostendit Mabillonius (*a*), factumque revera de ipso Ottone in Casinate etiam monasterio eius necrologia aperiunt penes Gattulam (*b*), verum etiam quibuslibet annis Ottonis anniversarium emortualem diem, piacularibus sacrificiis factis, celebraverint. Hoc vero ipsum ad veteris consuetudinis formam, qui originem suam altius repetentes, sancti Benedicti Ferrariae urbis monachi Casinates ad Pomposianos illos, quibus nomine & re heredes sunt, ac successores, iure & merito referunt, solemniter quotannis persolvunt, decretis quoque eo die pro Ottonis animae expiatione sacrificiis faciendis ab monachis singulis. Quinimo ad publicum, perenneque grati animi monumentum, compositis rebus post diuturnam amplissimi coenobii constitutionem, factum est, ut perpetuum memores beneficiorum monachi, quod iamdiu fortasse fuerant animo meditati, exsequerentur, decernentes nimirum tam bene de Pomposianis merito Augusto, ponentesque statuam lapideam singulari opere, artificioque perfectam cum inscriptione praeclara in magnificentissimo monasterii eiusdem propylaeo:

IMP. OTTONI . III . AVG
OB . REGIAM . IN . POMPOSIANOS
MVNIFICENTIAM
BENE . DE . SE . MERENTI
MONACHI
SVCCESSORES . ET . HAEREDES
M . P

(*a*) Annal. Bened.

(*b*) Histor. Casinen. tom. II.

LVI. Iam vero a dato Ottoniano diplomate extremum etiam obiit diem venerabilis vir Iohannes Abbas, de quo vix biographus alter ſaepe laudatus loquens ſcribit: *eo defuncto, & in pace perpetua locato, atque ſicut nominis, ita beatitudinis angelorum collega effecto*; adeout ipſius obitus tempus aſſignare nobis haud facile liceat. Id factum Mabillonius aſſerit (*a*) non multo poſtquam ipſe fuerit electus Abbas, quae tamen ſententia utinam poſſet exploratius confirmari. Re quidem vera perdifficilem eam ſemper provinciam agnovimus, Pompoſianorum antiſtitum colligatam inter ſe, certamque chronologiam texere, tum veterum ſcriptorum inopia, qua fit, ut fere perpetua caligine, & tenebris circumfuſos nos doleamus, tum ea, quae Pompoſiani potiſſimum monaſterii erat, conſuetudine, ut viri ſanctiſſimi rem quidem capeſſerent publicam, ſaepeque ſolitariae vitae cupidi ſuſceptam dimitterent, inque ſuum locum alios ſubſtituerent, & ſupponerent, qui ſuorum praefecturam gererent, rurſus aliquando ad publica commoda quod oneris detrectaſſent, in ſeſe reciperet, iterumque viciſſim abdicarent deinceps; quae res hiſtoria procedente clarius patebit.

LVII. Ut vero de Iohanne Abbate, quae ſuperſunt antiqua recenſeamus monumenta, lacera exſtat membrana in Pompoſiano tabulario, qua bona conceduntur nonnulla ab Iohanne eodem Leoni cuidam ſancto, & Mariae vinculis iugalibus ſociatis; quae quidem bona Comacli erant *in regione ſancti Laurentii* ſita, ſuis circumſcripta finibus, atque menſuris, quorum etiam conceſſio ſingulis XXIX. annis inſtauranda iure emphyteuſis eſſet ſub annuo quatuor argenti denariorum cenſu, *calciario*, ut loquebantur veteres, hoc eſt oblatione reddita, & poena in violatores decreta, ut auri ſolverent uncias duas, teſtibus adhibitis, ac tabellione, Petro nimirum, qui litteris tabulas conſignavit, in quibus ſe *Dativum* ſubſcripſit, & eo cum ſubſcripſere iugales

(*a*) Annal. Bened. tom. IV. lib. 54. §. 59. pag. 261.

les ipsi, ac testes. Datae eae fuerunt *anno Deo propicio pontificatus domini nostri Silvester summi Pontifici, & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno sesto die octavo mense genaio indictione prima Cumiaclo*. Quare ad annum MII. pertinet charta, qui primam reapse praeseferebat indictionem, fuitque extremus Silvestri Pontificis annus, qui anno sequenti MIII. obiit IV. idus maias; quare sextum falso notarius scripsit pro tertio. Igitur Iohannes anno MII. adhuc in vivis erat, & Pomposiae Abbas. Quinimo & alia habetur eodem in archivo similis membrana ab ipso conscripta notario, in qua concessio continetur ab Iohanne eodemmet facta Iuliano Venetico, & Gualderadae coniugibus agri cuiusdam cum domo columellis clausa Comacli *in regione sanctae Mariae, quae vocatur in Fermonsa*, indicatis ipsius longitudine, latitudine, atque lateribus, formulisque a primis non longe diversis adhibitis. Membranae vero hae praefiguntur chronologicae notae: *Anno Deo propicio pontificatus domini nostri Iohannis summi Pontificis, & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede tercio, regnante vero domino Enricus Rex in Italia sede anno tercio die vigesimo december indictione quarta Cumiaclo*: hoc est anno MV. qui pontificatus Iohannis XIII. tertius erat, & tertius Henrici Regis. Regionis sanctae Mariae *in Fermonsa* Comacli urbis meminimus alibi. En itaque superstitem Iohannem Abbatem Pomposiae ad finem anni MV. cuius etiam mortem ad annum saltem MVIII. protrahendam duxit Bacchinius in manuscripto Pomposiani tabularii catalogo, eo fundamento innixus, quod in tabulario eodem, quae nomen Guidonis successoris exhibent tabulae anno MX. omnino auspicentur. Nihilo tamen secius Guidonis electio integro fortasse anno, sive altero etiam erit anteponenda. Sed de hac re inferius.

LVIII. Utut res fuerit, quod in tanta temporum obscuritate definire facile non est, id certum habemus, Guidonem ipsum primo Pomposiae Abbatem nobis obvenire anno eodem MX. Guidonem, inquam, illum, virum sane in-

com-

comparabilem, ac longe praeſtantiſſimum, praecipuum Pompoſiae decus, & ornamentum, qui quum Pompoſiano monaſterio ſumma cum laude recte, ſancteque factorum, & magnorum in rempublicam meritorum quadraginta fere praefuerit annorum curſu, mirum haud erit, ſi primus Pompoſiae Abbas aliquando ſit dictus, & habitus. Divinae etenim gratiae ſuppetiis, induſtriaque Guidonis eo devenit Pompoſianum monaſterium, teſte Guidone altero Arretino monacho vel ipſo Pompoſiae, in ſua ad collegam Michaelem monachum epiſtola, ut ſaeculo undecimo monaſteriorum omnium illud cenſeretur in Italia princeps. Haec profecto huiuſmodi ſunt, ut noſmet, vireſque noſtras, quantae quantae tamdem ſint, & operam conferre omnem deſtinemus ad maximum Guidoni, quantum in nobis erit, venerationis, amoris, gratique animi teſtimonium, quo inclitae tanti viri virtutes, & res praeclare geſtae ab eo, quas libris hiſtoriae noſtrae, qui tertium excipient, complectemur, a nobis ipſis ſuo in lumine collocentur, quibus vivens multo ornatiſſimus, atque ſpectatiſſimus, poſt glorioſum vero eius e vita diſceſſum laude fuerit, immortalitateque donatus.

LIBER TERTIUS.

I. QUI nostra aetate insignes floruerunt doctrina viri, atque omnigena eruditione praestantissimi, Iustus Fontaninius, & Ludovicus Antonius Muratorius, celeberrimam fecere caussam diplomatis, quod anno MI. monasterio Pomposiano concesserat Imperator Augustus Otto III., quodque autographum in Pomposiano ipso tabulario sancti Benedicti Ferrariae plurimis, maximique faciendis membranis antiquis locupletissimo diligentius asservantur. Quum enim animo conceperit suo, uti videbatur, Ancyranus ille Archiepiscopus Europea singula archiva apocryphis expurgare, falsisque tabulis, Ottonianum etiam diploma Pomposiae datum, multis adductis speciosis ratiunculis potius, quam argumentis solidis inter falsa, confictaque omnino amandare primus omnium non dubitavit, Veronensem imitatus illum, qui cum Brixianis aemulis de Cenomanorum contendens sede, opponentibus ipsis celebrem Catulli Veronensis pentametrum (*a*):

Brixia Veronae mater amata meae:

libere Catullo versum hunc abiudicavit. Ab diplomate contra, & a Pomposiana caussa stetit constantius cavillantem Fontaninium convellens Muratorius eo profecto argumentorum genere, ac pondere, ut numeris omnibus vindicias Ottoniani diplomatis fecerit absolutissimas. Non autem inconsulto ea in re Fontaninius egit, sed provido sane consilio, atque iudicio, qui apostolicae sedis maximi quidem momenti caussam peracturus, & eius iura in Comaclum urbem, totumque exarchatum propugnaturus, non satis ea consistere ipsi visum fuerit, si Pomposianum diploma suo staret talo. Imperialia ex adverso Atestiorumque iura illas in regiones scriptor Mutinensis defendens, ea perquam firmaturum iri autumavit, ubi Pomposianum ostenderetur authenticum diploma.

II. Huc

(*a*) Carm. *66*.

II. Huc pertinent quae olim adnotabat Quirinius (a): *Notum est, quantum chartario Farfensi, Pomposiano, aliisque abusi fuerint exteri quidam scriptores, ut Italorum principum, ac praesertim Romani Pontificis in civitates, & provincias sibi subditas dignitatem, auctoritatemque imminutam irent. Dolemusque vehementissime, minime deesse Italos scriptores, qui ad hunc eumdem scopum consilia, operam, & studia sua referentes, una veluti cum exteris conspiratione ad deprimendam indigenarum principum, & potissimum Romanae ecclesiae potestatem coierunt. Viderint ipsi, quantum eorum mens ab Italica origine dissideat.* Dolemus igitur etiam nos, Pomposianum hocce Ottonis III. diploma dedisse litigatoribus tamquam ansam ad ventilandam, multis utrimque productis, rem controversam, & plenam dissensionis. Nobis profecto cordi summopere est, Ottonianas istiusmodi tabulas contra Fontaninium ab omnimoda falsitatis nota cum Muratorio vindicare; conspicimus enim aperte, concidente diplomate, Pomposiam omnem corruere, pernecessarium esse. Ea tamen mente ad hanc spartam capessendam accedimus, ut longissime simus ab omni partium studio, nobiscum intime recogitantes iura sua cuique venerabundos relinquere, nec nosmet in arenam ultro proiicere, caussamque suscipere, ad quam nullo nos pacto ab rei ipsius argumento vocatos liquido intelligimus. In eo enim haud parum alucinatos viros doctos affirmare audemus, Fontaninium, ac Muratorium, quorum alter pontificia iura plurimum infracta Ottoniano nostro diplomate, alter vero eadem mirifice confirmata falso sibi persuaserint; quum imperiali contra privilegio Pomposiae dato haud illa minui, augerive, sed integra, intactaque prorsus relinqui contendamus, non secus atque imperatoria, quorum neutra a diplomate indicantur, quinimmo ne ponuntur quidem, aut poni umquam ex actionis totius occasione, atque contextu dati diplomatis poterant. Haec autem ex ipsa nostra, quam paramus, oratione, patescentibus argumen-

(a) Dissertat. de monast. Italiae histor. conscribenda nota 3. pag. 87.

mentationibus aperienda confidimus. Quid enim? Nonne in republica litteraria omnes liberi sumus? Leges, ac regulas proponere omnibus licet, imponere non licet. Praevalent istae, si veritate, ac recto fulciantur iudicio; sin minus ab eruditis, & recte sentientibus merito reprobantur.

III. Viderit interea Fontaninius, an ad pontificiam caussam sustentandam opus illi, & aequum fuerit, tamquam confictum Pomposianum sugillare monumentum auro pretiosius, Pomposianosque in ipsos quasi in falsarios palam, atque vehementer invehi. Non primus profecto Fontaninius, qui falsum crimen monachis obiectet: tantae iniuriae audivimus iamdiu ipsis scriptam dicam, hodieque recantatam. Verum contra maleferiatos homines viri omni eruditione probatissimi stilum acuere non solum e nostris, Mabillonius in primis & Counstantius, sed etiam e separatae a nobis, extraniaeque religionis, quorum unum sit laudare satis Iohannem Petrum Ludwigium Borussiae Regis a consiliis, Magdeburgensemque chartophylacem in inferiori Saxonia: *Anno* MDCCXV., ait ipse *mihi A. S. L. H. in Franconia narravit, ita audaces esse ut nominatim de coenobio Italiae Casinensi adfirment, monachos ibi omnis generis diplomata praesertim in gratiam Germanorum effinxisse, illisque induisse habitum maximae vetustatis*. Plaudetne cum exautoratis, examinatisque hominibus Fontaninius, quorum apertas calumnias, qua tamen in re communis cum aliis nobis caussa est, risu potius, & contemptu, quam ratione, ac volumine confutemus? Non profecto inficias ire voluerimus, quemadmodum reliquis in artibus evenit, ut de una eademque re alii aliter sentiant, ita & in arte diplomatica fieri facile posse, ut quae monumenta alteri autographa, & indubitata videntur, eadem alter adulterina iudicet, vel incerta. Haud negaverimus etiam, in tabulariis scripturas non deesse, quae falsitatis notas praeseferre videantur. Verum ut sileamus, regulas hacce in re ab artis magistris constitutas, quibus quando confictae, habentesve auctoritatem scripturae iudicandae sint, liceat detegere, non temere

profecto, atque insolenter aut dubii falsarii pro certis sunt venditandi; aut qualiacumque vetusta monumenta reiicienda indiscriminatim, tabulis non prolatis, ex eo quod quaedam falsa dignoscantur. O utinam vero praestantissimus antistes Fontaninius animo semel revolvisset suo, antiquas, incorruptasque tabulas haud posse impune confringi, ac ve'uti pessumdari, quin honestati eorum simul iniurii esse videamur, atque id iniuria, qui illas compegerint, aut memoriae tradiderint, quasi perniciosissima fraude, ac magno, impudentique mendacio tam egregie nobis imponere voluerint.

IV. Utut est, studiose, diligenterque, quantum in nobis fuit, autographam in membranam oculos intendimus, scrupulosa quidem cura exactiori suppositam iudicio, atque investigationi, ea hercule mente, ut si quae in illa a nobismet detegerentur maculae, aut suspicionis notae, non quasi patroni indulgentis, ac vindicis praeferentes insigne, sed ad diplomaticae artis primarias, certioresque leges, severum potius, atque censorium supercilium ostentantes, singulas dissimulare noluerimus. Illud iure & merito pertimescimus tamen, ne solertiori peritia quum opus sit ad iudicium ferendum de veteribus scripturis, eiusque exiguam quantum! in nobis segetem conspiciamus, atque materiem, susceptae provinciae nobis ipsis sese difficultas obiiciat, viriumque tenuitas, quae duo desiderio veluti, ac studio nostro obsistant, quasi magis audacter, quam parate veniremus ad dicendum. Sed quum praeclare nobis, ac sapienter illud dictum videatur, in magnis rebus, & arduis etiam aliquid conari atque eniti, ex se magnum esse, durandum nobis fuit, qui semel inceperimus, non secus ac iis, quibus, postquam nomen dedere militiae, capitale est, praesidio, stationeque decedere.

V. Iam vero priusquam totam caussam praetentemus, atque perspiciamus, noverint omnes, Ottonianum diploma, de quo omnis noster est sermo, in publicam primum lucem a Margarinio (*a*), a quo, sive potius a manuscripto codice

(*a*) Bullar. Casinen. tom. II. pag. 64.

codice Vaticani archivi exſcripſit Dominicus Raynaldius, retulitque Ughellius (*a*), ac demum ex Margarinio, & Ughellio ipſis Fontaninius noſter (*b*). Pontificiae hic cauſſae defenſor acerrimus nulla, quod ſciverimus, ratione ſuffultus affirmare haud erubuit (*c*), diploma illud ex *hiſtoria exarchatus* ſub Guiliemi Vallae Rheginenſis nomine ab Alphonſo Ceccarellio confićta prodiiſſe medico Mevanienſi, atque famoſo diplomatum, ſcripturarum, codicumque falſario, qui Pontifice Gregorio XIII. Boncompagno hacce de cauſſa anno MDLXXXIII. Romae capitalem ſententiam ſubiit. Quo profećto ex fonte illudmet primus tranſcripſerit Margarinius, hactenus ſubdubitamus: ſi enim id factum ſit, quod ipſe fatetur, de ſancti Benedicti Ferrarienſis, Pompoſiano nimirum noſtro tabulario hauſtam membranam, Deus bone! hoc intollerabili fecit (abſit invidia verbo) incuria homo ſumme laborioſus. Nam in eo certe quidem Ottonis, ſicuti ſuperius affirmavimus, diploma inter membranas ceteras diligentiſſime cuſtoditur: aſt infidis nimium curis ex ſui ceteroquin haud infrequenti ſaeculi more rem confecit Caſinas ille tabularius, ut verbum de verbo ex eo in ſacram Italiam expreſſum retulit Ughellius; quo uberius datum quaſi pabulum Fontaninio eſt, ut falſi liberrime inſignem ignominiam inureret diplomati. Eapropter peropportunum, atque neceſſarium duximus, tabulas Ottonianas eaſdem ex autographa membrana, ne litterarum quidem neglectis apicibus, adamuſſim exſcribere, & primum ita caſtigatas reddere, unaque Margarinianam, ſive Fontaninianam coniungere recenſionem, quo, utriſque collatis, facilius, atque apertius, quantum haec longe ab illa diſtat, omnibus queat innoteſcere. Ut autem ex Pompoſiani diplomatis ipſo ſcripturae genere, quae Ottonis III. aevo, noſtro quidem iudicio, optime reſpondet, eiuſdemque Augusti diplomatibus reli-

(*a*) Ital. ſacr. tom. II. in Archiep. Ravenn. num. 66.

(*b*) Difeſa del dominio tempor. della ſanta ſede ſopra Comacchio part. II. pag. 326.

(*c*) Ibid. pag. 128.

reliquis, quae aliis in archivis, Caſinate praeſertim, a nobiſmet perſpecta olim, perpenſaque reperiuntur, noſtrum vel quiſque verum, ac proprium agnoſcat autographum, cogaturque fateri, ipſum, ſicuti in membrana eſt, atque eius characterum ſpecimen, quo accuratius potuit, exhibere curavimus.

AUTOGRAPHUM POMPOSIANUM.

In nomine ſancte, & individue Trinitatis. Otto tercius ſervus Apoſtolorum. Omnium fidelium noſtrorum tam preſentium, quam & futurorum noverit univerſitas, quod nos a domno Frederico ſancte Ravennatis ecclefie Archiepiſcopo monaſterium ſancte Marie in Pompoſia per concambium accipientes e contra donavimus ſancte Ravennati ecclefie omnia placita, & diſtrictus, & bannum de omni terra ſancti Apollinaris, & de omnibus epiſcopatibus ſive comitatibus de quibus precepta habentur in ſancta Ravennati ecclefia. Unde abbatiam ſancte Marie in Pompoſia ab omni ſubiectione Archiepiſcoporum, ſive aliorum excutimus, ut regalis ſit, nulli dominatui perſone ſubiecta, ſintque monachi eius ab omni ſecularis infeſtatione ſe-

FONTANINIANA RECENSIO.


In nomine ſanctae, & individuae Trinitatis. Otto tertius ſervus Apoſtolorum. Omnium fidelium chriſtianorum tam praeſentium, quam futurorum noverit univerſitas, quod nos a domino Federico ſanctae Ravennatis eccleſiae Archiepiſcopo monaſterium (a) ſanctae Mariae de Pompoſa per concambium accipientes, e contra donavimus ſanctae Ravennati eccleſiae omnia placita, & diſtrictus, & bannum de omni terra ſancti Apollinaris, & de omnibus epiſcopatibus, ſive comitatibus, de quibus praecepta habentur in ſancta Ravennati eccleſia: unde abbatiam ſanctae Mariae de Pompoſa ab omni ſubiectione Archiepiſcoporum, ſive aliorum excutimus, ut regalis ſit, nulli dominantium perſonarum ſubiecta, ſintque monachi eius ab omni ſecularis infeſtatione

(a) *Margarin.* monaſterio.


In nomine sce & individuae trinitatis. OTTO tertius servus apostolorum : omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum noverit universitas quod nos a domno Frederico sce ravennatis eccle. &c.

Signum domni Ottonis  Caesaris Invictissimi

Heribertus cancell. vice Petri epi recognovit



securi . Qui de suis qualem voluerint Abbatem eligant ab Episcopo Comaclensi consecrandum . Qui si sibi pro pecunia , vel pro aliqua humana potestate molestus esse voluerit , veniat ad Archiepiscopum suum Ravennatem ab eo benedicendus . Et si hoc in isto , quod in priori invenerit ad qualemcumque Episcopum desideret causa consecrationis properet . Si quis hoc preceptum fregerit , componat centum libras auri cocti medietatem kamere nostre , & medietatem prelibato monasterio . Quod ut verius credatur , hanc paginam manu propria roboratam sigillari iussimus .



Signum Domni Ottonis Cesaris invictissimi .

Heribertus Cancellarius vice Petri Episcopi recognovit .

Data x. kal. decemb. anno Dominice incarnationis M. primo

tione securi . Qui de suis qualem voluerint Abbatem eligant ab Episcopo Comaclensi consecrandum (*a*). *Qui si sibi pro pecunia , vel pro aliqua humana potestate molestus esse voluerit , veniat ad Archiepiscopum suum Ravennatem ab eo benedicendus : & si hoc in isto , quod in priore , invenerit , ad qualemcumque Episcopum desiderat caussa consecrationis properet . Si quis hoc praeceptum fregerit , componat centum libras auri cocti , medietatem camerae nostrae , & medietatem praelibato monasterio . Quod ut verius credatur , hanc paginam manu propria roboratam sigillari iussimus .*

Signum D.Otho *invictissimi .*	Luogo del Monogramma di Arrigo II.	*nis Caesaris*


Hippolytus Cancellarius vice Petri Episcopi recognovit .

Data X. *kal. decembris anno Dominicae incarnationis* MI. *ind.* XV.

(*a*) *Margarin.* consecrando .

mo indictione XV. anno tercii Ottonis regni XVII. imperii VI. Actum Ravenne feliciter.

ind. XV. *anno tertii Ottonis regni* XIX. *imperii* VI. *Actum Ravennae feliciter Amen.*



VI. Ad diplomatis igitur contexendas vindicias accedentes non aliam potiorem habere rationem videmur, quam si quae nobis obiecta sunt ab adversario nostro, quaeque suas in notas ipse contulit argumenta, arte eadem convellere, atque ad eadem respondere studuerimus, clarissimum sectati Muratorium, dispari tamen mente, maximeque animo diverso. Ast vero quum Italico cum ipse, tum Fontaninius sermone contenderint, agitaverintque quaestionem, nec nobis a recepto semel recedere commodum sit, efficiemus, ut in marginem libri Fontaniniana dictione reiecta, ne quid additum per nos, immutatum, detractumve videatur, & una adiectis etiam Muratorii responsionibus, quo facta, transacta omnia sint, nostra interea dissimili lingua non perturbetur tractatio.

I.

VII. Principio bilem Fontaninii in nasum coniicit diplomatis inscriptio, qua Otto utitur Imperator: *Servus Apostolorum*. Recinit enim cum Gretsero (*a*): *quis umquam talem ab Imperatore inscriptionem audivit*? Vix alio in diplomate, ait, eam reperire liceat, quod ipsum tamen sub Ottonis eiusdem nomine fictum prodiit, tanto etiam ab Romanae Sedis hostibus plausu receptum (*b*).

VIII. Fon-

(*a*) Defens. in Goldast. lib. II. cap. 16. pag. 264.

(*b*) I. *Servus Apostolorum*. Così pure principia l' altro diploma finto sotto il nome di Ottone III. intorno agli stati della santa sede, che tanto piace ai nemici della medesima, e della suddetta formola così parla il Gretsero (*defensio in Goldastum* lib. 2. cap. 16. pag. 264.): *quis umquam talem ab Imperatore inscriptionem audivit?*

Mura-

VIII. Fontaninio hercule fidem lubenti animo facimus, tantum abesse, ut Romanae sedi nos quidem obesse vel tantillum velimus, ut etiam maxime cultu, & honore eam prosequentes illud perpetuum exoptemus unum, ut ipsius iura sarta tecta custodiantur ab omnibus, augeanturque in dies. Nihilominus eam non tam aegre nos ferimus *Servus Apostolorum* inscriptionem, qua se insigniverit Otto, quamque duce Gretsero immane despexerit Ancyranus. Sciscitatur iste, quis umquam talem ab Imperatore inscriptionem audierit? Qua in re latissimus nobis campus foret, in quo etiam posset exsultare oratio, dicendi de inscriptionum formulis variis, quibus fuerit Otto Imperator III. usus, quasque Mabillonius recenset (a): eam tamen in angustiam compellere, ipsa Fontaniniana inquisitio expostulat. Confecta res enim videbitur, si quam frequentissime Ottonem suis in diplomatibus illammet adhibuisse revera inscriptionem patescat, quorum multa retulere Puccinellius, ac Muratorius exempla. Nobis vero sit satis, tria ex huius postremi antiquitatibus medii aevi eruere, quae in sancti Felicis Ticinensis urbis tabulario praesto habuit, quaeque proprie ac vere authentica ad rem diplomaticam peritus auctor agnovit. Re qui-

Muratorii responsio. Dispiace tal formola al censore, perchè *così pure principia l' altro diploma finto sotto nome di Ottone III. intorno agli stati della s. sede*; *e 'l Gretsero dice*: Quis umquam talem ab Imperatore inscriptionem audivit? Ma all' incontro conchiuderanno altri di quì, che nè pure sia finto quest'altro diploma, il quale medesimamente dee ricordarsi non essere altronde uscito, che dall' archivio Vaticano, venendo l' uno con ciò a servir di conferma all' altro. Ma da tal disputa prescindendo, se avesse voluto l' oppositore, avrebbe trovato lo stesso Ottone intitolato *Servus Apostolorum* in due diplomi nel principio del 1002. cioè poche settimane dopo il Pomposiano. Veggasi il Puccinelli (Cronac. della Badìa Fior. pag. 208. e 241.), che li rapporta ambedue, oltre al ritrovarsi in altre maniere intitolato quell' Augusto. In un altro suo diploma presso l' Ughelli tom. 2. p. 644. egli è intitolato *Servus populorum*, ma probabilmente dee dire *Servus Apostolorum*. In oltre un suo diploma dato nell' anno millesimo al monastero di s. Salvatore di Pavia, e pubblicato nel Bollario Casinese (tom. 2. constit. 68.) ha questo principio: *Otto tertius servus Iesu Christi*. Sapea l' oppositore queste verità; ma mostrando di saperle, non avrebbe poi dato pascolo ai suoi parziali.

(a) De re diplomat. lib. II.

quidem ipſa ſingula cum Pomposiano noſtro auſpicantur: *In nomine ſanċte & individuae Trinitatis. Otto tercius ſervus Apoſtolorum*. Nimium aberraret profecto, ut aiunt, a ianua Fontaninius, ſi Ticinenſes iſtiuſmodi tabulas inter falſas amandaret eo conſilio uno, ut Pompoſianum diploma protereret. Data Ravennae, non ſecus ac Pompoſianum, Ticinenſia haec fuere diplomata menſibus novembri, decembrique anni eiuſdem MI. Perſimile etiam edidere Ottonis diploma Mittarellius, & Coſtadonius (*a*) monaſterio Pratalienſi paullo ante Imperatoris obitum ab eo conceſſum, in quo vel ipſa inſcriptio legitur: *Otto ſervus Apoſtolorum*. Ac alterum retulit Gallettius (*b*) Florentino monaſterio, vulgo *la Badìa* nuncupato VI. idus ianuarias anni MII. datum, quod incipit: *In nomine ſanċte & individue Trinitatis* ⚹ ⚹ (hocce namque pacto Ottonis nomen exaratum in Pompoſiano etiam autographo eſt) *ſervus Apoſtolorum*: arguitque vir doctus hominis omnium nobiliſſimi naturam egregiam, pietatem, atque religionem ea vel ex cauſſa, quod pluribus, iiſque humillimis inſcriptionibus fuerit Otto Auguſtus, maxime ubi ipſius vita ad terminum properaret, ſuis in diplomatibus uſus. Et re quidem vera in iis tituli nobis obiiciuntur *ſervus populorum* (*c*), niſi *Apoſtolorum* cum Muratorio ſcriptum ſuſpiceris, *ſervus Ieſu Chriſti* (*d*), & *Romanorum*, *ſervus aliorum*, ut alios praetermittamus, quos ſingulos unius Gretſeri aſſertione innixus inauditos, novos, ac falſos iudicet Fontaninius, eoſque in ore Ottonis perhorreſcat. Interea inſcriptionem eamdemmet *ſervus Apoſtolorum* placitum quoque Ravennas exhibet anno MI. in cauſſa Pompoſiani monaſterii habitum, de quo ſuperiori libro plura nos egimus; poſt Romanum enim Pontificem placito eidem ſubſcriptum vidimus Imperatorem hoc modo: *Otto ſervus Apoſtolorum ſubſcripſi*.

IX. Haec

(*a*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 167. num. 69.

(*b*) Ragionam. dell' orig. della Badìa Fiorent. pag. 150.

(*c*) Ughell. Ital. ſacr. tom. II. pag. 164.

(*d*) Margarin. Bullar. Caſinen. tom. II. conſtit. 68.

IX. Haec fere admonuit Muratorius laudatus (*a*), qui multos post annos, quum placitum ipsum detexisset, adhuc Fontaninii memor de eo, de titulo in controversiam deducto, deque placito nostro haec ad Gorium scribebat (*b*): *Aliquis autem in hoc placito miretur, Ottonem III. Augustum sese inscribentem non Romanorum Imperatorem, sed servum Apostolorum. Imo multos ante annos criticus quidam eiusmodi titulum imperterrite negavit, uti a verisimilitudine abhorrentem; quum nullus Augustorum antea, aut postea eodem fuerit usus. Et profecto singulare hoc fuit in Ottone III. sed simul verissimum, ac certum. Alia ego iam protuli authentica, & minime dubia anni illius diplomata, in queis dissertissime idem Imperator scribitur* servus Apostolorum. *Adde nunc nobile hoc placitum authenticum, cuius ope dubitationem omnem sublatam nemo non agnoscat.* Agedum Fontanini doctissime quid hisce repones argumentis conspicuis? Memineris, quaeso, antiquum verbum: *mali augurii est in principio lapsus.*

II.

X. Criminis deinde in loco ab adversario obiicitur vocula *christianorum*. Quo enim, & unde *christianorum*? Anne diplomatis, quod omni potius despicatui ducendum sit, non unis Ottonis imperio subiectis, sed christianorum omnium ad aures nuntia, quaeso, referenda erant (*c*)?

(*a*) Piena esposiz. de' diritti Imper. ed Estensi cap. 16. pag. 130.

(*b*) Gorii symbol. litterar. tom. v.

(*c*) *Fidelium christianorum*. Cosa ha a farci quel *christianorum*? Dovea forse la notizia di questo curioso diploma essere intimata a tutta la cristianità, non che ai soli vassalli di Ottone III?

Muratorii responsio. Cosa ha che farci quel christianorum? grida l'oppositore, il quale vorrebbe, che tutti i diplomi fossero stati scritti con un sol formolario, e non fa intendere, come s' intimi *tal notizia a tutta la cristianità, non che ai soli vassalli di Ottone III.* Rispondo, che le copie, le quali si conservano nell' archivio Estense ricavate da quel della Pomposa non hanno questa parola *christianorum*. Supponghiamola nondimeno, e poi chiediamo all' oppositore, che abbia che fare in tanti altri diplomi la consueta, ed equivalente formola: *Quapropter omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae, nostrorumque praesentium scilicet, & futurorum noverit industria*; oppure *omnium Dei, nostrorumque fidelium &c.*? Lo stesso Ottone in un diploma dato ai canonici d'Arezzo, e riportato dall' Ughelli (Ital. sacr. tom. I. pag. 472.) benchè con

XI. Nemo nobis vitio vertet, si minus intelligamus, solertem, perspicacemque hominem summo ardore caussam prosequentem Margarinio fidere maluisse, atque Ughellio, quam in Pomposianum tabularium confugere, ex quo membranas certo alias eduxerat. Noverat enim profecto ipse peritissimus, quam licentior, prodigiosa, atque periculosa saepius fuerit horum scriptio in vetustis colligendis monumentis, adeout nomina, loca, tempora, voces, & quae reliqua membranas circumstant, frequentissime somniata, perturbata, confusa, detorta, atque miro quodam modo implicata occurrant, quorum omnium vitiorum, atque incommodorum una cautio est, atque una provisio, ut ne nimis cito credere omnia velimus, quae tabularum veterum exararunt illi. Optime igitur sibi in hac re consuluisset Fontaninius, si in Pomposianum autographum manum, mentemque convertisset, ut intelligeret, *christianorum* voculam assumptam non secus membranae deesse, atque a Muratorio quondam audierat, in Atestini etiam archivi exemplis Pomposiano ex fonte deductis illam non legi, adiectamque propterea licenter suis a coryphaeis. Verum enim vero monstrosissima voce *christianorum* autographa ipsamet membrana foedetur. Quid tum? Eritne aequus irrisioni locus Fontaninio requirenti, an christiano orbi universo denuntiandum, indicendumque fore imperatorium diploma ex eo, quod imperio subiecti omnes, qui Augusti praeceptis stare iubentur, subditi etiam, ac ecclesiae fideles, christianique vocentur? Cuius consectarii iudex unus sit Fontaninius ipse, si modo rem pacato animo, & vultu excipiat. Quaeso ab illo ut in hac caussa nobis det hanc veniam interrogandi, anne aliquando ad manum ei Ottonis III. diplomata alia venerint, quae voces easdem, similesve referrent? Puccinellius quidem (*a*), Margarinius (*b*), Ughellius

con alcune scorrezioni parla così: *Omnibus Christi fidelibus tam praesentibus, quam futuris notum esse volumus*. E in un altro riferito dal Puccinelli alla pag.232. della cronaca suddetta dice: *Quapropter noverit totius nostrae christianus populus &c.*

(*a*) Cronaca delle badìa di Firenze pag. 232.

(*b*) In Bullar. Casinen.

lius (*a*), atque alii permulti, quorum libros probe Fontaninius volverat, exempla iſtiuſmodi e tabulariorum adytis eruere. Omnium inſtar ſit diploma anni DCCCCLXXXXVI. Ottonis eiuſdem a Muratorio relatum (*b*), in quo haec legere eſt: *Omnium ſanctae Dei eccleſiae, noſtrorumque praeſentium ſcilicet, ac futurorum fidelium &c.* Et penes ipſum aliud (*c*): *Omnium ſanctae Dei eccleſiae fidelium noſtrorum &c.* At ne plura, quae ſunt pene innumera, conſectemur, eritne, quod Fontaninius exquirat, an haecce ſingula aeque diplomata non unis Ottonis ſubiectis, verum chriſtiano indicanda ſint univerſo orbi, quum formulam legerit in iis: *Omnibus ſanctae Dei eccleſiae fidelibus*, quos alios longe diverſos a chriſtianis profecto non opinabitur umquam antiſtes optimus?

III.

XII. Aſt *D. Federico* pro *Friderico* in diplomate Pompoſiano ſcriptum eſt. Tum ſolemne Ottoni III., reliquiſque Auguſtis Imperatoribus fuit perpetuum, Epiſcopos titulo *venerabilis* inſignire, quem in Pompoſiano omiſſum viderint omnes (*d*).

XIII. Una hic loci omnino litterula Fontaninium titillat. Sed enim inconſulte, ac fidentius non minus ſuis in fontibus, Margarinio, atque Ughellio, quievit Ancyranus antiſtes. Porro eruditionis in eo copioſa ſeges, bonum nomen,

V 2

(*a*) Ital. ſacr. tom. I. pag. 462.

(*b*) Antiq. med. aevi tom. III. p. 199.

(*c*) Ibid. tom. I. pag. 417.

(*d*) III. *D. Federico* in vece di *Friderico*. Ottone III. non meno che gli altri Imperadori, diede ſempre ai Veſcovi il titolo di *venerabilis*, che quì non ſi vede per niente.

Muratorii reſponſio. Un'altra formola non dà nel genio al cenſore, cioè il leggerſi ivi *a D.* (cioè *Domno*) *Federico s. Rav. eccl. Archiep.*, perchè, dice egli, Ottone III. non meno che gli altri Auguſti, *diede ſempre ai Veſcovi il titolo di* venerabilis, *che quì non ſi vede per niente*. Oltre all'eſſere falſiſſimo, che gli altri Auguſti *deſſero ſempre il titolo di* venerabilis *ai Veſcovi*, egli è anche alieno dal vero, che lo ſteſſo Ottone III. ſempre ſi valeſſe di quel titolo. Anzi talora niun titolo dava loro. Per non cercarne lungi l'atteſtato, vegganſi alcuni ſuoi diplomi conceduti alla chieſa di Verona, ove quel Veſcovo non ha titolo alcuno. (Ital. ſacr. tom. V. pag. 660. & ſeqq.) E *domnus Gebeardus* è appunto chiamato un altro Arciveſcovo di Ravenna in un diploma di Corrado Auguſto del 1031., come ſi può vedere preſſo il Roſſi. (Rub. hiſt. Rav. ad ann. 1031.)

nomen, dignitas amplissima, controversia maxima quid non expostulare potuerint a Pomposianis, quid non, abiecta omni cunctatione, assequi, ubi autographum, quod optato contigisset, consulere semel excogitasset? Iam vero falsitatis aliquando notam praeseferre tabulas, in quibus voces, nomina, litterae a communi sint, receptoque aetatis, qua descriptae iactantur, usu, dubitare non sinunt severiores artis diplomaticae leges. Nihilominus idne fieri posse facile sibi quis cordatus homo persuaserit de membranis, quae auctoritatis undique insignia exhibent quam notissima? Tantam profecto inconsiderantiam quis ferat hominis, qui vel ex una praetermissa, additave litterula vetusto diplomati maculam velit inustam falsi? Nemo unus ignorat, factum saepissime quondam, quod vel contigit in dies, ut notarii, vel amanuensis incuria, aut praepropera nimis in exscribendo festinatione una non solum, multaeve plerumque alias omittantur, alias accrescant litterae, verum etiam nomina, periodi, ac versiculi veluti e manibus dilabantur non pauci. Esto igitur Pomposiani diplomatis notario voce in exscribenda *Fridericus* littera defuerit illa canina, eritne tamen hoc fulcimentum Achilleum Fontaninio, quo per ora hominum illud adulterinum traducat? Ast re quidem vera certumne quod ipse ait, ea aetate vocem *Federicus* pro *Fridericus* adhibitam numquam? Muratorii vix medii aevi antiquitatum ad manum sint, pervolvanturque volumina sex, quae saepissime rei huiusmodi scatent exemplis. Suspicabitur ne autem adversarius noster, ubi vox legitur *Federicus* pro *Fridericus*, sive *Fredericus* (minimam enim hanc litterae mutationem ex diversa tantummodo gentium diversarum inflexione, sive pronunciatione derivatam censeas) amanuensium esse mendum, qui perperam legerint in membranis? Id negent omnino, pernegentque alii. Nos demus, concedamus, quod facile est. Interea loci pernoscat lector, illud in mendum reapse Margarinii amanuensem dilapsum, Pomposianique autographi notarium *Fredericus*, non *Federicus* exarasse, adeout reliquum illud sit, ut cum notario

no-

nostro plaudas ingenue, & arma colligat Fontaninius, atque convertat in amanuensem, cui fisus uni fuit, Marganinianum.

XIV. Sed *venerabilis* titulum praeclarus antistes regerit Friderico subductum, qua omissione perbelle intelligit, scopuloso, difficilique loco versetur ipse contra diploma. Porro sit Fontaninio ex naufragio tabula non una, eique sint praesto diplomata plura Ottonis eiusdem III., in quibus titulum istum desideret antistes. Exempli caussa illud sit Olderico Episcopo Cremonensi concessum (a) ab ipso Ottone Germaniae adhuc, ac Italiae Rege anno DCCCCLXXXII. quem antiquiori titulo *fidelem nostrum* appellat: iam vero Imperator anno M. *domni* titulo eum insignivit (b). Anno etiam DCCCCLXXXXVII. privilegia, iuraque firmans Pistoriensi ecclesiae Episcopum *Antoninum*, nullo addito titulo, & simplicissime vocat (c). Anno autem consequenti diplomate dato Ursoni Episcopo Patavino dicitur *Urso Episcopus*, *nosterque fidelissimus* (d). Et anno MI. ecclesiae Vercellensis Episcopus nominatur *domnus Leo Episcopus* (e), surreptoque titulo *domni* in diplomatis corpore legitur: *Leo Vercellensis Episcopus*. Ergo ne perpetuus fuit Imperator Otto in asserendo Episcopis *venerabilis* titulo? Sexcenta Augustorum aliorum exempla referre non vacat, qui titulum persaepe ipsum omiserint, vocitarintque Episcopos vel proprio vix unumquemque nomine, vel *domni* titulo prope apposito, qui non correptis syllabis primitia littera *D*, uti in Fontaniniana recensione, sed voce plane perfecta *domno* in autographo Pomposiano scribitur: quique profecto titulus tam illustris habebatur, ac nobilis, ut Imperatores ipsimet, ubi eis coram scripta quaevis legerentur, eo insigniri voluerint, quod nemo eruditulus ignoret pro eo, ac adnotarunt Mabillonius

(a) Vid. Murator. antiq. med. aevi tom. V. pag. 245.

(b) Ibid. tom. II. pag. 968.

(c) Ibid. tom. II. pag. 10.

(d) Ibid. tom. I. pag. 235.

(e) Ibid. tom. VI. pag. 47.

nius (*a*), Marteneius (*b*), Gattula (*c*), & qui ceteri res antiquas eorum temporum litteris illustrarunt.

IV. V. & VI.

XV. Persecuturus autem Fontaninius exceptiones suas, proh Deus immortalis! inclamat, perbella, sed incredibilis commutatio, quae narratur! Pomposiam tertio Ottoni Ravennas Archiepiscopus impartitur, Pomposiam, inquam, illam, quae Romani Pontificis concessione ad Ravennatem ipsam ecclesiam omnino pertinebat; & donatio isthaec eo consilio fit, ut Archiepiscopo iura sancti Appollinaris, atque Episcopatuum ecclesiae eidem iam subiectorum det Imperator: *de quibus praecepta habentur in sancta Ravennate ecclesia*: adeout caussa nescio qua Fridericum Archiepiscopum re sua spoliasse semet, quo res itidem obtineret suas, dicendum supersit (*d*).

XVI. In difficilem hic controversia incidit, herculeumque nodum, & Fontaninii ex mente pene Gordium. Initio vero nobis sacram sanctamque esse a Fontaninio caussam vindicatam, utut molestum est, repetere liceat. Nihilominus nos dissimulare non possumus, nec ipse dissimulet praesumpta in Ravennae exarchatum ab Imperatoribus usque iura, & deinceps etiam ab Ravennatibus Archiepiscopis. Ne tamen nos exarchatum universum percurramus, in monasterio Pomposiano

(*a*) De re diplom. pag. 92.

(*b*) Comment. ad regul. s. Bened. cap. 63.

(*c*) Accession. ad histor. Casinen. tom. I. pag. 93.

(*d*) IV. V. e VI. *Concambium*. Bel cambio, mentre l'Arcivescovo di Ravenna dà ad Ottone III. la Pomposa appartenente alla sua chiesa per concessione della santa sede, acciocchè l'Imperadore dia a lui i diritti di santo Apollinare, e de' vescovadi già soggetti a quella chiesa: *de quibus praecepta habentur in sancta Ravennate ecclesia*. Sicchè l'Arcivescovo Federigo in tal guisa si spoglia, non si sa perchè, di una cosa sua propria, per ottenere altre cose pure sue proprie.

Muratorii responsio. Vien deriso questo cambio, non per altro se non perchè non si vuol vedere, che le cose cedute da Ottone all'Arcivescovo, cioè *omnia placita, & districtus, & bannum de omnibus episcopatibus, sive comitatibus, de quibus praecepta in sancta Ravennate ecclesia*, erano regalie, che tuttavia per le città, e per li contadi dell' Esarcato appartenenano ai Cesari, e che perciò si poteano cedere all'Arcivescovo.

ſiano verſemur, quod ipſo in exarchatu iacebat, quodque unum eſt ad rem noſtram. Res etenim pro eo geſtae, atque earum vel ipſa hiſtorica narratio mirifice oſtendunt, quanti ſit Fontaninii ſententia habenda, quave de cauſſa facta commutatio Imperatorem inter, ac Fridericum Archiepiſcopum negotii vere proprieque dicti naturam induat, & rationem.

XVII. Meminerint itaque lectores, ſaeculis multis ante, ut praecedenti nos libro diſſeruimus, Pompoſianum monaſterium controverſioſam fuiſſe rem, in quam ſcilicet contra Pontificem Romanum Ravennas Archiepiſcopus contendebat, cuius rei ab Iohanne VIII. data ad Ludovicum II. Imperatorem reſponſio argumentum ſit: *Nam*, ſcribebat Pontifex, *monaſterium ſanctae Mariae in Comaclo*, *quod Pompoſia dicitur*, *& monaſterium ſancti Salvatoris in monte Feretri Ravennati Archiepiſcopo non abſtulimus*, *ſed ea monaſteria*, *& loca ab anteceſſoribus noſtris poſſeſſa reperientes poſſedimus*, *hactenuſque iure proprio retinemus quouſque in praeſentia noſtra & ipſa loca*, *quae ſua eſſe putat*, *noſtrae potius eccleſiae lege*, *& ratione pertinere cognoſcatis*. Datas eiuſmodi litteras fuiſſe diximus alibi anno DCCCLXXIV., quarum vel meminit Fontaninius ipſe (*a*). Ex quibus antiquum pateſit in Pompoſiam, firmumque Romanorum Pontificum ius, & una praetentatae eam uſucapiendi Ravennatibus ab Archiepiſcopis artes. Quidnam fuerit de Pompoſia ſaeculari excurſo, longiorique ſpatio actum, nobis ignotum diximus ſuperiori libro, quum eorum temporum ad unum ſint monumenta deperdita. Illud ſcimus omnino, anno DCCCCLXXXI. Ottonem II. Imperatorem Adelaidis Auguſtae eius matris precibus bona, privilegia, ac iura Ticinenſi s. Salvatoris monaſterio confirmaturum inter reliqua ei conceſſa monaſterium adnumeraſſe Pompoſianum novo diplomate, factumque id iterum anno DCCCCLXXXXIX. diplomate altero ab Adelaide eademmet. De utriſque egimus nos ſuperius. Haec vero recenſens Fontaninius (*b*) opinatus fuit, a Romano Pontifice Pompoſianum monaſterium dono

(*a*) Diſeſa del dominio della ſanta ſede ſopra Comacchio par. I. pag. 50.

(*b*) Ibid. pag. 163.

dono accepisse Adelaidem ex veteri consuetudine, monasteria Imperatricibus concedendi, aliisve, quae provinciarum dominium tenerent mulieres. Undenam istiusmodi hauserit concessionem Adelaidi factam Fontaninius, ipse aperit. Rem repetit enim ex adversis sanctissimae Imperatricis fortunis, quibus permoti Romani Pontifices, nulla dubitatione relicta, Ravennae, Comaclique reditus Adelaidi assignarint; quod manifestum fit ex Gregorii V. diplomate, quo Gerberto Ravennati Archiepiscopo donationem factam ab Adelaidis nonnisi obitu constituit valituram: *gratuita largitate nostra post mortem praedilectae Imperatricis augustae donamus tibi, tuaeque ecclesiae districtum Ravennatis urbis*. Recinitque postpauca Pontifex: *donamus tibi, tuaeque ecclesiae sanctae Comaclensem comitatum post mortem Adelaidae Imperatricis augustae*. Ea fato decessit XVII. kalendas decembris anno DCCCCLXXXXIX. decesseratque anno eodem XII. kalendas martias Gregorius, cui Gerbertus suffectus fuit illemet, qui Comaclum, & Ravennam, eorumque territoria a Romano Pontifice dono receperat. Iam vero in Comaclensi comitatu, atque territorio monasterium Pomposianum esse noverint omnes, quod propterea Adelaidi etiam concessum dicendum est.

XVIII. Ast profecto qui fieri potuisset, ut tantis calamitatibus vexata Adelais, ut ei opem ferre excogitarint Romani Pontifices, primum Ottonem virum Imperatorem enixe oraverit, deinde ipsamet effecerit, ut Ticinensi s. Salvatoris monasterio monasterium ipsum Pomposianum constitueretur? Quis, inquam, credet, ut tantis in angustiis posita Augusta Adelais monasterio Ticinensi vellet dono dare, aut posset quod ad necessarium ei victum, & commoda Romani concesserant Pontifices? Sed quid demum ex Fontaninio Adelaidi concesserant Pontifices Romani? unos utique Ravennae, Comaclique reditus, minime autem Ravennam, & Comaclum ipsas urbes, aut territoria earum, & iura. In annua igitur solummodo integrum relictum Adelaidi erat dominium. Ergo unos Pomposiani monasterii reditus Ticinensi potuisset assignare Adelais, non monasterium ipsum Pomposianum, aut

aut bona, & iura ipfius. Iis quippe reditibus frui, quamdiu viveret, debebat Augufta tamquam ad ufumfructum, qua mortua Romanos iterum ad Pontifices veros propriofque dominos univerfa effent revocanda: quinimo & ante ipfum Adelaidis deceffum donatione Ravennati Archiepifcopo facta, de qua diximus, rem omnem difpofuit Gregorius Pontifex. Quomodo vero Romanis Pontificibus, & Gregorio in primis ipfomet, non reclamantibus, potuiffet Adelais, quae fua non erant, Ticinenfi coenobio impertiri? Dixerimufne fortaffe, donationes iftiufmodi Adelaidianas confictas? Anne dicendum fupererit nobis, non conftantem fidei Auguftam fapientiffimam rem ufurpaffe alienam? Et quis divinabit quaefo, quomodo factum fit, ut dum anno DCCCCLXXXXIX. Ticinenfi monafterio Pompofianum Imperatrix Adelais conceſſerit, anno eodem monafterium hoc ipfum Leoni dederit Archiepifcopo Ravennati Otto III. diplomate apud Mittarellium & Coftadonium (*a*) una cum Comaclenfi comitatu, in quem Romanum fuiffe Pontificem dominatum, Gregorianum diploma, de quo fupra, demonftrat? Demum, ut fingula dicamus, Monafteriane, quae pluribus donata videbantur, honorifice potius commendata una cum bonis, atque concredita dicenda funt, adeo ut nil commendatis monafteriis detrimenti, nihil iis, quibus commendabantur, praeterquam honoris, effet emolumenti?

XIX. Certo nos hic in labyrintho quoquoverfum implexo verfari intelligimus: undique enim tenebrae, anguftiae ubique. Quare nos difficultatem, quae noftra quidem fententia permagna eft, nec folvendo erimus. Controverfiam acuit acerrimam res ifthaec tota Fontaninium inter ac Muratorium, litemque ftatim diremit uterque, tamquam apocrypha ac falfa refellentes viciffim diplomata plura, imperatoria quidem Fontaninius, Pompofiana praefertim, pontificia vero Muratorius, Gregorianum iftud imprimis. Alios occupatos detineat alterna negatio, inficiatioque factorum. Nos cauffae longe maximae, quae in fententiis eft pofita,

 iudi-

(*a*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 155.

iudices invocati ne ſimus. Illud unum nobis ſatis ſit, vindicatum Ottonis Pompoſianum diploma uſquequaque dimittere. Ut igitur ad rem deſcendamus, publico habito conventu Ravennae coram Romano Pontifice Silveſtro II. atque Ottone Imperatore menſibus octo ante abſolutam ab Auguſto cum Ravennate Archiepiſcopo commutationem, lectoque, quemadmodum praecedenti nos libro enarravimus, Conſtantini antiquioris Pompoſiae Abbatis ſupplici libello ad Iohannem XII. Archiepiſcopum Ravennatem, quo Pompoſiani monaſterii, ut a Ticinenſi eximeretur, rationes declarabantur, factum eſt ſolemni placito Silveſtri eiuſdem, atque Ottonis opera impetrato, ut non ſolum Ticinenſis Abbas, verum etiam reliqui in Pompoſiam praeſumentes, Adriaticus ſcilicet, atque Comaclenſis Epiſcopi ſuo cederent loco, unique Ravennae Archiepiſcopo adſciſcerentur iura. Latuit placitum hoc Fontaninium, latuerat controverſiae tempore & Muratorium, qui illud in Rangoniano Mutinae archivo abditum multos poſt annos non longe ſuam ante mortem detexit. Ipſumne autem placitum, rogo, ſi occurriſſet, tamquam falſum, confictumque reiecturus fuiſſet Fontaninius? Non aliter profecto ſentire debuiſſet, quo ſibi conſtare perpetuo videretur, eo vel maxime quod ſemel placito recepto, Ottonis III. diploma plane recipiendum ſit, quod illius nonniſi fuit conſectarium. Quis vero facile in animum induxerit ſuum, commentitiam omnino fabellam placito contineri, aut numquam Ravennae habitum conventum ea de re, cuius ſingillatim, atque dilucide circumſtantiae recenſetur omnes, & ordine explicantur? Iure quidem & merito confidimus potius, aperte, atque ingenue manum nobis dare voluiſſe Fontaninium, Pompoſianumque ipſum diploma nec rodere, nec vellicare.

XX. At demum qua ratione conſiſtet illa permutatio Ottonem inter, ac Fridericum, quae totius difficultatis nodus eſt, & fundamentum? Nodus, inquam, eſt; ſed nodum in ſcirpo, aut nos fallimur, quaeſiiſſe viſi ſunt cum Fontaninius, tum Muratorius. Falſo enim utrique opinati fuere,

in Otto-

in Ottoniano diplomate & de utili Ravennae, ac Romandiolae dominio, & de regalibus in exarchatu iuribus actum, quae quum ad Caesarem pertinere equis & quadrigis contenderet Muratorius, ferventiorique aestu ad Romanos Pontifices Fontaninius, alter apocryphum reiecit, autographum alter suis in ulnis diploma fuit amplexus. Si non inunctis oculis rem pervidissent homines ceteroquin perspicacissimi, sed in diplomate animo cernere acutum maluissent, fortasse & Fontaninius tam multis opponendis supersedere statuisset, & Muratorio temperatum, tanta recoquere. Itaque in eo tota videtur posita solutio, ut non de regalibus iuribus sit accipiendum diploma, sed de bonis simpliciter, privilegiis, ac iuribus illis quibuscumque, quae per pontificia, imperatoria, regia, aut alia etiam *placita* quaelibet, *districtus*, *&* *banna* (haec enim sunt ipsa diplomatis verba) Ravennas obtinuerat ecclesia *in terra sancti Apollinaris*, atque *in episcopatibus*, *sive in comitatibus*, *de quibus praecepta* habebat ecclesia ipsa. Id si conficiamus, authenticum, vindicatumque profecto abibit diploma, cuius ad integritatem, auctoritatemque nec intersit hilum gravissima controversia mota, an a Romanis Pontificibus, an vero a Caesaribus exarchatus ipse totus dominatu teneretur.

XXI. Quidnam igitur quaeso ab Ravennate Archiepiscopo ea permutatione, quam *concambium* voce barbara dixit, ex qua Italis *cambio*, Otto Imperator accepit? Pomposianum profecto monasterium. Undenam vero Archiepiscopo ipsum obvenerat monasterium? Ex Romanorum Pontificum concessionibus Fontaninius respondet, ex imperialibus Muratorius. Nihilominus unde reapse illud Archiepiscopo accreverit, placitum Ravennas solemne verius, apertiusque declarat. Scilicet Ravennae convenere tum Romanus Pontifex Silvester II. tum Imperator Otto, & una concordissime suam navarunt operam, auctoritatemque contulere ad Pomposianum monasterium, prout re contigisse novimus, in Ravennatis Archiepiscopi ius omnino transferendum. Iamvero illud spectabatne ad Romanum Pontificem, an ad Augustum Caesarem?

 Utut

Utut fuerit, illud in praesenti inficiabitur nemo, unanimi suffragio id factum, ut unus Ravennas Archiepiscopus Pomposianum obtineret monasterium. Hac autem in re regaliane iura eidem concessa, atque collata? ast a quonam quaeso? an ab ipso Romano Pontifice? an ab Augusto? an ab utroque simul? Verum si a Romano Pontifice, qui Otto in re tam periculosa, suoque imperio, aut suis saltem praesumptis iuribus perquam noxia silet, & consentit? qui praeterea paucos post menses, octo nimirum, monasterium illud Imperator regale declarat, nullique dominatui subiectum, Pontifice Romano acquiescente, ad quem unum tantum iuris pertineret? Sin autem ab Imperatore, potuissetne Romanus Pontifex contra manifestam vim non reclamare? potuissent deinde Imperatores, ubi Romani Pontifices monasterium Pomposiae Romanae subiectum ecclesiae, quovis alio de medio subducto, dixere, conticescere, si illudmet sibi ius asseruisset Otto? An tandem ab utroque simul data regalia iura Ravennati Archiepiscopo? at si ita res se habuerit, ubi concorditer in concessionem illam uterque consenserit, tum Pontifex, tum Imperator, nullus alternae iniuriae locus, nullus invidiae, aut cavillationi in placitum relictus videtur.

XXII. Sed quid iam demum Archiepiscopo eidem per illud placitum collatum fuit, quum monasterium Pomposianum ei datum est, in quod ea ratione ipse unus dominari debuisset, Adriaco, & Comaclensi exclusis Episcopis, necnon Ticinensi s. Salvatoris abbate? Re quidem vera in Ravennatem Archiepiscopum illud de monasterio Pomposiae transferri solummodo poterat, fuitque certe translatum, ac facta veluti Ravennatis ecclesiae patrimonii pars, quod vel Episcopi iidem obtinuerant, vel Ticinensis abbas. Regale autem ullum ius in Pomposianum monasterium sive a Romanis Pontificibus, sive ab Imperatoribus illos obtinuisse, aut exercuisse aliquando, non constat omnino, utique vel ecclesiasticam iurisdictionem ac potestatem, vel una fortasse bonorum quorumdam possessionem habuisse, & proventuum monasterii eiusdem.

dem. Quod si etiam minora regalia iura, quae sunt deinceps *feudalia* dicta, in ipsum monasterium, eiusque bona obtinuerant olim tum Adriensis, & Comaclensis Episcopi, tum abbas Ticinensis, eadem etiam Ravennati Archiepiscopo concedenda erant; qua tamen in re haud consensus defuit tum Romani Pontificis, tum Augusti Ottonis, quorum in alterutro certe quidem summam rerum, regaleque maiestatis ius in universum comperias in exarchatum. Hisce attentis, facile sit naturam factae commutationis, sive *concambii*, de quo Pomposianum diploma, dignoscere, ac introspicere. Recepto enim ab Ravennate Archiepiscopo monasterio ipso Pomposiano, ei commutationis nomine impartitus est Imperator Otto *omnia placita*, *& districtus*, *& bannum de omni terra sancti Apollinaris*, *& de omnibus episcopatibus*, *sive comitatibus*, *de quibus praecepta habentur in sancta Ravennati ecclesia*: quorum verborum sensus esset profecto obscurus, intelligentia, ac notio difficillima, nisi lucem rei afferrent quae a nobis allata superius permutationis actum, atque diplomatis ipsam antecesserant dationem. Verum vocabula prius explicanda videntur, & natura rerum.

XXIII. Initio *omnia placita de terra sancti Apollinaris* Ravennati Archiepiscopo Otto concedit. De placitis eruditam contexuit dissertationem Muratorius (*a*). Ea frequentissima saeculis, uti vocant, mediis occurrunt. Quid ea aetate hac voce expressum Ducangius declarat: *Placita*, ait (*b*), *vocabant conventus publicos totius regni ordinum*, *quibus Reges ipsi praeerant*, *& in quibus de arduis regni negotiis*, *& imminentibus bellis tractabatur his autem quotannis tenebantur eiusmodi placita & quidem in locis apertis*, *publicis*, *sub dio*, & quidem de prandio. At rem alio modo Zyllesius explicat (*c*): *Placitum conventus iudiciales antiquorum scriptorum usus significare constat*. Referens deinde auctor inter privilegia concessa monasterio s. Maximini Trevirensis urbis illud Ludovici Pii, in quo

(*a*) Antiq. med. aevi tom. II. dissert. XXXI. pag. 928.

(*b*) Glossar. med. latinit. ad voc. *placitum*.

(*c*) Defensio abbatiae s. Maximini Treviren. pag. 10.

in quo haec leguntur: *Igitur iſtud praeceptum ad utilitatem monachorum fieri iuſſimus, per quod imperamus, ne quislibet de iudiciaria poteſtate in curtes, vel in villas ipſius monaſterii ad cauſſas audiendum, nec fideiuſſores tollendum neque ad manendum, aut homines ipſius eccleſiae diſtringendum ingredi praeſumat, ſed ſicut ipſe locus ſub anteceſſorum regum hactenus fuit conſervatus, ita deinceps per noſtram auctoritatem permaneat inconvulſus &c.*; tum recenſens quinetiam aliud Lotharii Regis privilegium, qui de locis ſub imperio monaſterii ipſius poſitis loquens iubet, ne *aliquis in locis eiuſdem ſine noſtro iuſſu placitum habere praeſumat*, haec ſubdit idem Zylleſius: *Quibus verbis imperatores, & reges omnem iuriſdictionem principibus, comitibus, & dynaſtis imperatori inferioribus in s. Maximini ditiones denegant, eiuſque omne exercitium tollunt, niſi id ex ipſorum imperatorum, & regum iuſſu, mandato, vel delegatione concedatur*. Similia penes Gattulam (*a*) legere licet diplomata monaſterio Caſinati conceſſa ab imperatoribus pluribus, inter quae alterum Ottonis III., alterum Conradi, qui Caroli, Lotharii, Ottonum, aliorumque auguſtorum exemplo bona omnia intra Italiae fines contenta, atque ad monaſterium ipſum pertinentia confirmant, & iuriſdictionem, iubentque ne iudex ullus *ſubditos* Caſinenſis eccleſiae *ad placitum niſi ante ſuam, vel ipſius loci abbatis praeſentiam provocet*. Videſis etiam Angelum de Nuce penes Muratorium (*b*) de hac re diſſerentem. Iſtiuſmodi placita, quorum alia ſolemnia erant, ac generalia, alia minora dumtaxat, plura referunt Mabillonius (*c*), Muratorius idem (*d*), Gattula (*e*), Mittarellius cum ſuo Coſtadonio (*f*), & alii fere omnes, qui illorum temporum illuſtrarunt hiſtorias commentariis ſuis. Mos autem erat, ut placita haec ſaepius coram imperatoribus ipſis, ac regibus haberentur, uti revera noſtrum Ravennas placitum, de quo diximus, coram

(*a*) Acceſſion. ad hiſtor. Caſinen. tom. 1. paſſim.

(*b*) In notis ad chronic. Caſinen. cap. 39. lib. 1.

(*c*) De re diplomat. lib. VI. & in annalib. Bened. paſſim.

(*d*) In antiq. med. aevi, & in Eſtenſib. paſſim.

(*e*) Acceſſion. ad hiſtor. Caſinen. tom. 1. laud.

(*f*) In annal. Camald. paſſim.

ram Augusto Ottone, Romanoque Pontifice Silvestro II. habitum est. At in iis non ipsi principes viri, sed *sacri palatii iudices*, aut *comites*, aut alii ab ipsis regibus constituti iudices agebant. Sic in Ravennate eodem caussam agit *Petrus sacri palatii iudex*, exemplaque alia profert Muratorius (*a*). Conveniebant etiam ad placitum *iudices Imperatoris*, *scabini*, hoc est *iudicum comites*, sive *vicarii*, *gastaldi*, *tabelliones*, seu *notarii*, *causidici*, aliique eiusmodi legum periti, ut eorum consilio aequa pronuntiaretur sententia, & una simul *comites*, *marchiones*, *duces*, *missi imperatoris*, ac *regum*, persaepe etiam caussa saltem honoris *episcopi*, & *nobilis viri* alii, *bonique homines*, hoc est qui bona in populo fama fruerentur, atque iustitiam incorrupte persequi censerentur, crederenturque. Ex hac voce Latini sermonis *placitum* enata vox barbara *placitare*, hoc est ius suum apud iudices experiri, quam Itali olim in *piatire*, & *piato* convertere, Galli *plaider*, Hispani *pleitear*, & *pleyto*; unde etiam Neapolitanorum illud *chiaitare*, *chiaito*.

XXIV. Deinde vero Ravennati ecclesiae *districtus* concedit Otto Augustus. Quid quaeso *distringere* fuit antiquis, nisi *cum severitate punire*, *coercere*, *animadvertere*, uti Du Cangius exponit (*b*)? sed *interdum est compellere ad aliquod faciendum per mulctam*, *poenam*, *vel capto pignore*, *vel iudicio*, *ac sententia litem dirimere*, *mulcta in male litigantem irrogata*. Erat igitur *districtus*, sive *districtio* iudicium *criminale*, hoc est sententia ipso in placito ab iudice proferenda, poenae comminatione adiecta, ne iudicatum ultro citroque infringeretur: ea propter cui *placitum* constituendi ad controversias dirimendas erat ius, vel ius erat eidem proferendi sententiam, imponendique *districtum*. Quum vero haberentur *placita*, atque *districtus*, nimirum iudicata huiusmodi sive *civilia*, sive *criminalia*, ab iudicibus intra territorium ipsum, ad quos eorum extenderetur iurisdictio, territorium vel idem medio aevo dictum est *districtus*, ex quo Italica vox *distretto*. De distri-

(*a*) Antiq. med. aevi tom. I. dissertat. VII. & in antiq. Esten. par. I. c. 24.

(*b*) Glossar. med. latinit. ad voc. *distringere*.

diſtrictibus Amadeſius agit (*a*), qui conſulendus eſt.

XXV. Denique *bannum* eccleſiae Ravennati Otto conceſſit. Qua in re animadvertendum nobis eſt cum Muratorio (*b*), non defuiſſe antiquis temporibus, *qui omni induſtria & arte niterentur evitare placita, ne cum adverſario ad iudices querelam deponenti congredi cogerentur. Fraudi huic iſta ratione occurrebatur. Citabatur non ſemel ad iudicium is, de quo erat querela. Recuſante illo accedere, in poſſeſſionem rei controverſae actor immitebatur, aut ſi iam poſſidebat, auxilio iuris iuvabatur, ne in ſua poſſeſſione deinceps turbaretur. Utrumque vero ita ſtatuebatur, ut locus reo relinqueretur ad deducendas, ſi quas haberet, rationes in petitorio. Itaque bannum regis emittebat placiti praeſes, iudicum, ideſt iuriſperitorum admonitione fretus, poenam interminans turbanti poſſeſſionem actori datam, ſalva tamen* querela, *hoc eſt ſalva reo facultate experiendi iura ſua in petitorio, ita ut nemini liceret poſt emiſſum bannum moleſtias inferre poſſeſſori* ſine legali iudicio, opportunaque ad hanc rem profert exempla, homo pereruditus.

XXVI. Facile igitur ex his unis intelligere eſt, uti nobis videtur, in quo *placitorum*, *diſtrictuum*, ac *banni* conceſſio Ravennati Archiepiſcopo facta ab Ottone conſtiterit. Scilicet quum ſaepius Ravennates Archiepiſcopi in ſuis bonis, ac iuribus olim fuerint agitati litibus, quibus finiendis ſaepe *placita*, *diſtrictus*, & *bannum* impetraverint ſive ab imperatoribus, ſive a regibus, ſive ab aliis principibus viris, imo etiam ab ipſis Romanis Pontificibus, quae memorant, referuntque paſſim rerum Ravennatum ſcriptores, ea omnia Otto Auguſtus Friderico Archiepiſcopo, Ravennati eccleſiae confirmat perpetuum valitura; adeo ut nulla deinceps exceptio opponi poſſet in eadem, atque afferri, ſed imperatorio patrocinio freta, & communita ipſa conſiſterent. Quare quum *omnia placita de terra ſancti Apollinaris* ab Ottone Auguſto data ſunt Ravennati eccleſiae, non ei placita habendi ius collatum,

(*a*) Difeſa del diploma di s. Gregorio M. a Mariniano Arciv. di Raven. apud Calogerà tom. XLVI. pag. 41. & ſeqq.

(*b*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 962.

tum, ſed ipſi dumtaxat confirmata videntur profecto iudicia omnia pro eadem eccleſia lata olim in placitis pluribus, quorum illud ſit exemplum, quod ex Peregrini Priſciani civis doctiſſimi Ferrarienſis manuſcriptis Muratorius refert (*a*) ad annum pertinens DCCCCXXI. quo nimirum decretum fuit, ut Maſſae Fiſcaliae homines eſſent Ravennati ſubiecti Archiepiſcopo. Eodem etiam pacto Auguſtus Otto ei tribuit omnia illa bona, ſive iura, quae *diſtrictuum*, *bannorumque* praecedentium vi eccleſiae ſuae obvenerant, adeout nulla de iis moleſtia poſſet amplius eidem inferri. Non ergo legitimus eſt diplomatis ſenſus, regalia iura conceſſa, atque confirmata Ravennati eccleſiae ab Ottone Auguſto, hoc eſt non ſolum *civilem*, ſed *criminalem* etiam ac *mixtam* iuriſdictionem, uti deinde loqui coeptum eſt, ſive & ſupremam; neque enim ullo pacto verborum ille circuitus in diplomate hoc exprimit, quum nullum ius donet Imperator tum primum eorum, quae non haberet Ravennas eccleſia, ſed antiqua dumtaxat, & ea, quae per iudicata iam multa eadem obtinuerat, firma, inviolataque perpetuis declarat futura temporibus, quaſi imperatoria auctoritate illa vindicaturus, &, ut iuriſperitorum loquamur ſermone, evicturus: donat enim Auguſtus Ravennati eccleſiae ſolummodo *omnia placita & diſtrictus & bannum de omni terra ſancti Apollinaris & de omnibus epiſcopatibus ſive comitatibus de quibus precepta habentur in ſancta Ravennati eccleſia*.

XXVII. At enim, inquies, non aliis formulis tunc temporis conſuetum id exprimi in privilegiis, & immunitatum tabulis, quae perquam occurrunt frequenter datae eccleſiis, atque monaſteriis, adeo ut dubitari non poſſit, formulis illis regalia ſignificata iura, atque donata.

XXVIII. Verum diplomatum aliorum formulas, quae ſaltem proferendae eſſent, a Pompoſianis formulis longe diſtare conſtabit conferentibus verba Pompoſiani diplomatis cum Ottonianis aliis, in quibus iura illa ab Auguſto conceſſa continentur. Inſtar omnium ſit diploma Ottonis eiuſdem ter-

(*a*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 969.

tii penes Gattulam (*a*), in quo confirmantur omnia principum hominum, potiſſimum Caroli magni, Lotharii, atque utriuſque Ottonis, patris, aviquc privilegia, omniaque, iura, atque iuriſdictiones Caſinati monaſterio: *Ita ut*, ait Imperator in ſuo diplomate, *nullus iudex publicus, nec quiſlibet ex iudiciaria poteſtate in cellas, villas, aut agros, ſeu loca, ſive reliquas poſſeſſiones iam dicti coenobii ſancti Benedicti, quas moderno tempore in toto Italico regno iuſte poſſidet, vel quicquid deinceps divina pietas ipſi loco voluerit augere ad cauſſas audiendas, freda, tributa exigenda, manſiones, aut paratas faciendas, ſeu fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam liberos, quam ſervos, ſeu cartulatos, vel offertos, & ſuper terram ipſius monaſterii reſidentes nullatenus deſtringendos, vel ullas redibiciones, vel illicitas occaſiones requirendas noſtris, futuriſque ingredi audeat, nec ea, quae ſuperius memorata ſunt penitus exigere praeſumat & quicquid fiſci ex iure iam fati monaſterii pars publica ſperare poterat pro animae noſtrae mercede in luminaribus ipſius venerabilis monaſterii noſtra maneat auctoritate conceſſum. Inſuper confirmamus, ut ex omnibus rebus, mancipiis, liberis, & ſervis ipſi monaſterio pertinentibus, inquiſitio fiat: itaut monachi cicius valeant ſuam iuſtitiam conſequi & ut nulli liceat monacho illius monaſterii in placito quorumcumque taliter reſpondere, ut ad ſacramentum compellantur. Si vero de ſervis, aut ancillis, vel de quibuslibet rebus orta contentio fuerit, liceat monachis eiuſdem monaſterii ipſos retinere, quouſque in noſtram, ſeu de deceſſorum noſtrorum preſentiam veniant, & ibidem coram nobis poſiti deliberentur*. En hoc diplomate vetatur, ne quis iudex publicus, aut magiſtratus *quaeſtionem* in coenobii Caſinenſis ſubditos, ditionemque exerceat, aut *ſervitia*, vectigalia &c. inde repetat, ſed liberae monaſterii diſpoſitioni cuncta ſint obnoxia. Si vero aliquod fuerit de ſervis, aliiſque rebus ortum diſſidium, cum aliis non ſub monaſterii imperio poſitis, illud coram Auguſto eſſe dirimendum, ac interim ſervos, & controverſa bona retineant monachi. A ſolutione *fredorum*, *tributorum*, *paratarum*, *man-*

(*a*) Acceſſion. ad hiſtor. Caſinen. tom. 1. pag. 91.

mansionum &c. exemptum declaratur Casinas monasterium. Quae quidem omnia amplissimis formulis explicata, nullumque ne *fisci* quidem, uti communiter vocitatur, Imperatori reservatum, ius profecto supremum Casinensis monasterii, atque iurisdictiones omnes luce meridiana clarius demonstrant. Haud dissimilia rei huius exempla superius pro s. Maximini monasterio attulimus.

XXIX. At vero quidnam eiusmodi pro Ravennate ecclesia? *Nos*, ait Augustus, *a domno Frederico sancte Ravennatis ecclesie Archiepiscopo monasterium sancte Marie in Pomposia per concambium accipientes e contra donavimus sancte Ravennati ecclesie omnia placita & districtus & bannum de omni terra sancti Apollinaris & de omnibus episcopatibus sive comitatibus de quibus precepta habentur in sancta Ravennati ecclesia*. Quae sane verba tunc iurium, ac iurisdictionum concessionem insinuarent, si Ravennati Archiepiscopo ius fuisset ab Augusto tributum ferendi sententias, definiendique caussas, ac lites componendi inter homines *de terra sancti Apollinaris &c.* per *placita*, *districtus*, & *bannum*. Verum non de *placitis*, *districtibus*, & *banno* ab Archiepiscopis Ravennatibus faciendis loquitur Otto Augustus, sed de *placitis*, *districtibus*, & *banno* sive Imperatorum, sive aliorum principum hominum, quae Ravennas ecclesia ad sua bona, iuraque vindicanda olim, variisque temporibus obtinuerat. Profecto non alia legitima, & recta diplomatis intelligentia videtur, quam ista; itaut nil aliud Otto in illa permutatione peregerit, nisi, monasterio Pomposiano de Archiepiscopi Ravennatis manibus recepto, sua auctoritate bona, privilegia, & iura, pro quibus Ravennas ecclesia *praecepta*, hoc est iudicata, atque etiam diplomata sive pontificia, sive imperatoria, ac regia impetraverat, perpetuum confirmata asserere. Actus ergo huiusmodi diplomatum quorumcumque, iudiciorum, *placitorum*, *districtuum*, & *banni* pro Ravennate ecclesia imperialis fuit tantummodo confirmatio, non iuris cuiuslibet regalis; neque iurisdictionum quarumcumque concessio, atque collatio, uti contendebat Muratorius; confirmatio, inquam, bonorum, earum-

 que

que iurisdictionum dumtaxat, quas ipsa Ravennas ecclesia iam obtinebat in *terra sancti Apollinaris*, & in *episcopatibus sive comitatibus de quibus precepta* habebat sancta ecclesia Ravennas. Undenam ergo Muratorius idem, si uni confidat Pomposiano diplomati, sibi facile persuaserit, quemadmodum ad Gorium scribebat (a), *post paucos menses* a dato placito Ravennate Ottonem Imperatorem *utile dominium Ravennae*, *ac Romandiolae Archiepiscopo Ravennati* largitum esse, *recepto ab eo permutationis gratia Pomposiano coenobio*; factumque propterea esse, *ut Pomposia regium deinde monasterium evaserit*, *Archiepiscopi vero Ravennates temporalem quoque dominationem exinde in eam provinciam exercere coeperint*, *quamdiu etiam pacifice retinuerunt*. Haec quippe Imperatoris munificentia fieri poterant ex Muratorio: quum enim *regnum Italicum tunc temporis Ravennam cum exarchatu*, *& Comaclum* complecteretur, potis erat Otto de iis locis ita disponere. Verum Italici regni partem Ravennam, ac Comaclum urbes cum toto exarchatu fuisse sub iudice lis erat, & contra steterat Fontaninius. Interea nobis satis sit ostendisse, non utile tum Ravennae, tum Romandiolae dominium Ravennati Archiepiscopo ex ea Pomposiani monasterii permutatione ab Ottone collatum.

XXX. Et revera aequane proportione ipsa facta fuisset permutatio, qua Ravennas Archiepiscopus unum Pomposianum monasterium dederit, Ravennam vero, universamque Romandiolae provinciam ei dederit Otto? *Terra* quidem *sancti Apollinaris* ipsa Ravenna est urbs, imo & eius territorium, atque dioecesis: ast vero non Ravennam urbem, atque territorium, eiusque dioecesim, aut utile ipsius dominium donat Imperator, quum haec sua non essent, vel si fuissent, exarchatus urbem, ac partem insigniorem, & primam pro uno Pomposiano monasterio dare profecto noluisset, nec tam facile potuisset; sed *placita* dumtaxat, *districtus*, & *bannum* de ipsa terra donat, hoc est iubet, ut firma consistant. Praeterea *episcopatus*, sive *comitatus* illi certe in Romandiolae erant provincia, aut saltem plerique: nihilominus non *episcopatus* ipsos,

(a) Gorii symbol. litterar. tom. v.

ipſos, aut *comitatus*, multoque minus Romandiolam univerſam, quam neſcio, an *epiſcopatuum*, ac *comitatuum* eorumdem nomine intellexerit Muratorius, Archiepiſcopo Ravennati concedendam decernit Auguſtus, in quam Romani ipſi Pontifices dominarentur, eſto dominari etiam contenderent, contenderintque etiam poſthac Imperatores, ſed *placita* tantummodo, *diſtrictus*, ac *bannum* de *epiſcopatibus* iiſdem, ſive *comitatibus* pro Ravennate Archiepiſcopo diplomate ſuo munivit Otto Imperator, modo *praecepta* de iis, hoc eſt antiquiora exſtarent iudicata, quae potis eſſet idem Archiepiſcopus exhibere: *de quibus praecepta habentur in ſancta Ravennati eccleſia.* Haec quidem verba extra rem poſita, dictaque viderentur, niſi diplomatis ſenſum, quo explicuimus modo, accipias. Quaenam enim alias antiquiora proferre *praecepta* Ravennas potuiſſet eccleſia de rebus, quibus tunc primum ab Auguſto Ottone donaretur? Fuiſſentne *praecepta* Pontificum ab Ravennatibus olim impetrata Archiepiſcopis? At vero conſtat, pontificiis iſtiuſmodi, ſi qua fuerint, diplomatibus Ravennam utique urbem una cum locis aliis conceſſam Archiepiſcopis, minime vero *placitorum*, *diſtrictuum*, atque *banni* iura, de quibus altum ſemper ſilentium eſt. Haec vere colligas, noſtra quidem ſententia, in Pompoſiano diplomate inſinuata, cetera contra fallacibus, fidenter dicam, concluſiunculis pertracta, contortaque tum a Muratorio, tum a Fontaninio.

XXXI. Ex hucuſque tamen dictis conſtabit ſaltem, ad pontificia vindicanda iura tam acriter invehi in Pompoſianum diploma alteri fuiſſe non neceſſarium, quae intacta, & integra manent, intacta, integraque diplomatis auctoritate, ac fide; alteri vero nullum fuiſſe ex eo deducendum argumentum, ut imperialia iura, atque Ateſtia in urbem Comaclum plenius exponeret, quae eo in diplomate ne indicantur quidem, quemadmodum initio diximus, imo nec ullo modo ponuntur. Sed quorſum iſthaec? Ut magis magiſque appareat, homines ceteroquin doctiſſimos, atque probatiſſimos ab animi motibus, affectionibuſque circumduci aliquando, atque impetu pertrahi, adeout non perſpicientes verum, falſa,

falsa, aut incerta teneant, partiumque studio abrepti mordicus tueantur. Verum longiores iam fuimus: Transeamus ad reliqua Fontaninii eluenda obiecta.

VII.

XXXII. Augustus Otto III., ait Fontaninius, haud potuisset certe quidem ita durius loqui, quemadmodum in diplomate legitur: *Excutimus*; nec absoluto imperio Romanae, & una Ravennati ecclesiis Pomposianum auferre monasterium, quo illud sibi adscisceret indignae sane permutationis titulo: cui profecto rei non solum antiquiora, sed consequentia etiam a dato ineptissimo Pomposiano diplomata refragantur. Ad haec ridenda ea est manifesta repugnantia, qua *ut regalis sit* abbatia sanciverit Otto, & mox *nulli dominantium personarum subiecta*. Porro si patronis Atestiis sic opinantibus verus, & unus fuerit idem Otto non exarchatus dumtaxat, sed totius Italiae dominus, ad quemnam quaeso erunt haec verba referenda: *nulli dominantium personarum subiecta* (a)?

XXXIII. Iam vero perfecto, absolutoque enuntiatae permutationis negotio Imperatorem inter Ottonem, atque Fridericum Archiepiscopum Ravennatem, id exsecutus fuit non longe post Augustus, quod iamdiu meditatus, & totius fuerat scopus negotii, monasterium videlicet Pomposianum opibus augendi, honoribus cumulandi, atque unde unde iuribus nobilitandi. Hocce quidem monasterium haud fuisse ab Ottone

(a) VII. *Excutimus*. Ottone III. non era capace di parlare in tal guisa, nè di levare di sua propria autorità quella badia alla santa sede, e alla chiesa di Ravenna per via di un *cambio*, e contratto sì indegno per farla sua propria; ed a ciò si oppongono i documenti anteriori, e posteriori alla data di questo stolto diploma. Osservisi poi la contradizione ridicola, mentre Ottone decreta, *ut regalis sit*, e poi subito: *nulli dominantium personarum subiecta*. Ma se in sentimento de' ministri Estensi Ottone III. era l'unico, e vero signore nell'esarcato, non meno che in tutta l'Italia, a chi si riferisce quel *nulli dominantium personarum subiecta*?

Muratorii responsio. Se crediamo all'oppositore, *Ottone III. non era capace di parlare in tal guisa*: al che non si dee risposta alcuna, perchè basta leggere i diplomi di quei tempi, e noi chiariremo fra poco la stravaganza di pretensioni tali. Nè v' ha contradizione alcuna tra il *regalis sit*, e *nulli dominantium personarum subiecta*, intendendo ognuno essere ciò detto a riserva d'esso Imperatore. Veggasi il Du Cange [Glossar. latin. voc. *monasterium*.]

ne quasi temerario ausu Romanae ecclesiae subtractum, quae enarravimus superius patefaciunt, monasterium, inquam, quod, ipso fatente Fontaninio, Ravennati ecclesiae aliquando, maxime vero, ac nuper placiti Ravennatis constitutione Romani concesserant Pontifices. Illud ne vero Ravennati eidem ecclesiae ablatum dixerimus ab Ottone, quum Archiepiscopo ipsomet annuente, & Romano etiam Pontifice consentiente illa fuerit neque iniuste, neque indigne facta permutatio, & Archiepiscopus *placita*, *districtus*, *& bannum de omni terra sancti Apollinaris*, *& de omnibus episcopatibus*, *sive comitatibus*, *de quibus praecepta* exstarent *in sancta Ravennati ecclesia* ab Imperatore pro Pomposiae monasterio receperit? quae omnia sane iura, ac bona saltem controversa quondam Otto libere dimittit, atque declarat. Haec superius ostendimus. Quo igitur iure, quave ratione stent ea, quae profert Fontaninius? Recentiores, vetustioresque tabulas nescio quas ipse laudat, minime vero producit; quas nihilominus, si quae sint, nos inficiari noluerimus. Verum perpetuum contendimus, nullum ab iis Pomposiani diplomatis fidei damnum inferri.

XXXIV. Ubi vero sanxerit Otto, ut Pomposiae abbatia *regalis sit*, & mox *nulli dominantium personarum subiecta*, quaenam quaeso Fontaninio repugnantia est, quaenam oppositio? Nos ab Atestiis patronis aedepol longe absumus, qui libera in urbe nati Italiae, atque vel a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis monasticum in coetum asciti, nihil nos sollicitos esse in ecclesiastici iuris praeiudicium terminos dilatandi iurium principum aperte aliquando, & palam differuimus, parati nihilominus Caesari, quae sunt Caesaris, reddere (*a*). Quo igitur certum nobis esse potest, verum, propriumque exarchatus dominum unum fuisse Romanum Pontificem, utinam aeque foret certum, in reliquas Italiae regiones imperitasse Augustos!

XXXV. Nemo unus profecto ignorat, de exarcatus impe-

(*a*) Vid. synopf. iuris canonici Genuae edit. ann. 1772. sub nomine Philippi Nicolai Schiaffinii num. XX. pag. 12.

imperio controversiam iamdiu Romanos inter Pontifices, atque Imperatores exarsisse, ex quo perbelle Pontificibus esset intelligere, iis de locis acriter contendisse Imperatores, Imperatoribus vero, Ottoni III. in primis Romanorum Pontificum iura in exarchatum eumdem, & possessionis instrumentum. Verum id asserimus nos, ad rem nostram non esse controversiae istiusmodi locum, neque ad explicandum, quo tandem iure regalia declararentur monasteria, nullique dominantium personarum subiecta. Rem istam tentare statim non dubitemus.

XXXVI. Quum igitur Ottoni Augusto Pomposia accesserit, suumque in ius illam asciverit, quod barbara deinde voce *allodium* dixere antiqui, sibi uni liberum omnino, ac proprium post permutationem peractam, sive *concambium* cum Ravennate Archiepiscopo, Romano consentiente Pontifice, decrevit diplomate suo, ut abbatia *regalis sit*, cuius nimirum ipse, alio quovis non interposito medio, custos esset Imperator, atque defensor. Quid mirum vero, si mox sancit Augustus, *ut nulli dominantium personarum*, sive, quod autographum exhibet, *nulli dominatui personae* subiecta eadem sit? Haeseritne quispiam, suspicabiturque fortasse, an hacce generali formula usus Romanos ipsosmet Pontifices undique exclusos voluerit Otto? Id quidem insinuasse Fontaninius videtur, quod nobis verosimile est, imo pro certo habere volumus eo tamen sensu, quem mox exponemus; cui rei asserendae non officit vel summa Ottonis in Romanam ecclesiam pietas, maxime vero in Silvestrum II. quo praeceptore, quod alibi diximus, ipse olim usus fuerat, vel caussae eiusdem actio in Ravennae praesertim conventu habita, unanimi utriusque sententia placito constituto, vel denique summum in ea loca Romani Pontificis imperium, atque dominium, ut infra patebit. Quin etiam haud nos dubitavimus umquam, eam fuisse Ottonis mentem, & animum, ubi Pomposianum monasterium regale futurum decrevit, nullique dominatui subiectum, ut, exclusis singulis, & ipsomet quidem Imperatore (quod absurdum cen-

censebat Fontaninius, inficiabatur autem Muratorius) in Pomposiam dominaretur nemo.

XXXVII. At si res ita se habuerit, inquies, qui *regale* futurum fuisset monasterium, quod ab omni potius regali subiectione immune diximus? Nihilo tamen secius ita *regale* monasterium habeas, ut scilicet iure quolibet etiam summo eidem monasterio concesso, ad ipsius, eiusque iurium tutamen imperatoria, ac regia accederet auctoritas, ita tamen ut nec Romani Pontificis tuitio exciperetur, & quo iure regale, Pontificium eodemmet monasterium diceretur, minime vero episcopale, in quod nimirum episcopis nulla superesset actio.

XXXVIII. De regalibus, atque imperialibus monasteriis pertractarunt optime de re litteraria meriti Balutius, Mabillonius, Du-Cangius, alii. Antiquis ea exstitisse temporibus in Galliis certum est, sive quod Reges ipsa constituerint, sive aliis de caussis. In Germania, Hispania, & Graecia etiam monasteria numerabantur eiusmodi. Sed & iis ne Italia quidem olim caruit, quorum mentio fit in Langobardorum legibus (*a*), & alia recenset Ughellius (*b*). Longe omnium clarissima fuere Casinas, Sublacense, Farfense, Vulturnense, Casauriense, Nonantulanum, atque (ne alia recenseam) Pomposianum nostrum. Ideo ne vero regia fuere, atque imperialia monasteria haec, *quod visum sit levius sub Imperatoris tutela, ac protectione esse, quam sub Romani Pontificis*, quod Muratorius invidiose non erubuit asserere (*c*)? Praeseferebat ne regalis illa, imperiatoriaque tuitio regum, ac imperatorum ditionem aliquam, atque dominium? Non est ita, Fontanini, non est profecto. Rem validis, & ineluctabilibus documentis ostendit Gattula perquam doctus Casinas chartophylax de Casinensi monasterio (*d*). Monasteriis enim, quae regalia essent, ac imperialia, suprema conce-

(*a*) Leg. 8. Aistulphi Regis Langob. & lege. 31. Pipini Ital. Regis apud Murator. tom. II. rer. Italic. script. part. II.

(*b*) Ital. sacr. tom. V. in Episc. Veronen. ad ann. 818.

(*c*) Antiquit. med. aevi tom. V. col. 1040.

(*d*) Accession. ad histor. Casinen. tom. I. pag. XI. & 72. ac seqq.

debantur iura, amplissimis adhibitis formulis, quae locum dubitationi relinquere non videntur, nullo sibi a regibus, atque imperatoribus dominatu retento, nullisque sibi, suisve successoribus, iuribus, servitiis, vectigalibusque reservatis, aut iudicibus ab iis constitutis, qui eorum nomine, atque auctoritate iura obirent, ac iurisdictionem exercerent.

XXXIX. Ecce tibi exempli caussa quo rem totam exprimit pacto Henricus almus Imperator diplomate suo penes laudatum Gattulam anno MXXII. Casinensi monasterio concesso (a): *Castellum Bandra vocatum situm in principatu Capuano tradidimus ad altare sancti Benedicti, & ad usus monachorum ibidem famulantium per hanc imperialem paginam cum omnibus appendiciis, idest cum areis, edificiis, vineis, agris, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, terris cultis, & incultis seu cum omni utilitate, quae vel scribi, vel nominari possit, concessimus, tradidimus, & de nostro iure in eorum ius omnino transfundimus*. Porro iis temporibus, quae nescio an iure & merito ferrea, barbaraque sint dicta ab aliquibus, ea erat regum, imperatorumque religio, ut non multum pertimescerent, sui patrimonii partem in perpetuum alienare, ubi fieret ecclesiae donatio; eam enim Deo factam censebat, cuius *est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & universa, quae habitant in eo* (b). Nil ergo, quod suum foret, dare reputabant illi, sed imo quae Deus ipsis impartitus fuerat, restituere. Qua de re libere donabant ecclesiis, atque pleno iure, quod *allodiale*, & *ecclesiasticum* dictum est, hoc est ecclesiarum proprium, de quo dicemus inferius, ita tamen ut ea donare, sive vendere non liceret, quod ipsummet in bonum, utilitatemque ecclesiarum cautum fuit. Si haec vera sint, quidnam quaeso oneris est monasteriis illis, ut iure & merito asseruerit Muratorius, *visum esse levius, sub Imperatoris tutela, ac protectione esse, quam sub Romani Pontificis*?

XL. Sed praeterea quae in imperatorum clientela manebant monasteria, iisdem pontificia non deerat tuitio, adeout

(a) Ibid. tom. I. pag. 119. (b) Psalm. 23. vers. 1.

adeout altera alteram foveret, Romanique Pontifices imperatoriam, imperatoresque pontificiam saepius pro monasteriis ipsis exquirerent, aut confirmarent. Haud nos pigeat huius rei exempla proferre, quorum alterum sit, quod Gattula refert (*a*), epistola nempe Henrici almi Imperatoris ad Benedictum VIII. Romanum Pontificem, eiusque in perpetuum successores data anno MXXII., qua eos enixe rogat, ut Casinatis monasterii iura, ac bona pontificia auctoritate tueantur: *Casinensi ecclesiae providentes*, ait Augustus, *Benedicte sedis apostolicae Pontifex, quae specialius ad Romanum spectat imperium, & praedecessorum nostrorum camera ab ipso suae construccionis exordio exstitit, quaeque ab omnium mortalium dominatu immunis permansit, & libera. Eamdem ecclesiam ditatam imperiali munificentia paternitati tuae commendamus, ne quavis cuiuscumque potestatis quodlibet iniustum patiatur, salvo eo quod specialiter, & singulariter prae ceteris aliis ecclesiis ad Romanum imperium spectare videtur. Nam cum omnis ecclesia ab omni conditionali, seu servili nexu sit libera, specialius tamen post sedis Romanae dignitatem libera Casinensis ecclesia, quam per patrem Benedictum legis monasticae principatum tenet, & quam omnes nostri praedecessores imperatores, videlicet Pipinus, Karolus, Ludovicus, Lotharius, Ludoicus, Lotharius, Otto, ac reliqui imperatores suam specialem cameram habuerunt libertatis debet potiri insigne. Igitur praefatum coenobium paternitati tuae commendamus, ut illius cooperatores exsistatis, & ab omnibus infestationibus defendatis salvo eo quod Romani imperii singularis camera est, & specialiter ad nostrum imperium spectat &c.* Quid clarius istis, apertiusque dici poterat, quo nostra firmaretur assertio? Colligitur enim hinc, quid iam tamdem Augustis esset, quum regalia monasteria constituerent, nullique dominatui subiecta declararent. Colligitur etiam, non id sacerdotium inter atque imperium caussam invidentiae fuisse, quod sibi falso persuaserit Muratorius, quinimo una veluti voluntate in eorum tutelam utrumque mirifice consensisse. Qui enim potuisset

(*a*) Accession. ad histor. Casinen. tom. I. pag. 119.

Henricus tam libere Romanis Pontificibus Casinas monasterium commendare, si Romanae ecclesiae maximum vertisset damnum, illud imperiale esse, atque a qualicumque subiectione immune? Argumentum profecto evidens, quo patefit, nullum fuisse Romanae ecclesiae dignitati, auctoritatique tanta monasteriis huiusmodi facta concessione incommodum irrogatum, ac detrimentum.

XLI. Alterum vero exemplum planius, evidentiusque sit de monasterio Farfensi sub pontificia posito ditione. Rem totam declarant tabulae penes Muratorium (*a*). Anno MLX. quum Farfensis basilicae altaria Romanus Pontifex Nicolaus II. consecrasset, Berardus Abbas *eidem ostendit sanctorum privilegia Pontificum, & praecepta sanctorum Imperatorum huius sacri coenobii omnem libertatem, & defensionem plenissime continentia, & qualiter Langobardorum Reges semper regali patrocinio, & Romanorum Imperatores imperiali tuitione illud conservare, & custodire studuerunt. Carolus quoque Romanorum Imperator Augustus imperiali statuit edicto, ut haec casa Dei sub tali privilegio fiat, & sub integra immunitate, sicut cetera monasteria infra regna Francorum esse noscuntur, idest Lirinensium, Agaunensium, & Luxoviensium. Item ostendit praecepta Klatharii serenissimi Imperatoris, ubi continetur, quod domnus, & avus ipsius piae memoriae Carolus praestantissimus Imperator haec omnia specialiter sub suo munimine, vel successorum suorum, Regum scilicet Francorum, praecepto auctoritatis constituisset, ut nullus Pontifex, dux, princeps, aut quislibet superioris, aut inferioris ordinis reipublicae procurator, hoc monasterium sub tributo, aut censu constituere praesumeret, sed ita immune ac liberum esse, sicut cetera monasteria infra regna Francorum constituta, idest Luxoviense, Lirenense, & Agaunense. Quae res postquam in praesentia domni apostolici Paschalis I., & praedicti Imperatoris, & optimatum, atque procerum utriusque partis examinata, & diligenter inquisita esset, & in propatulo omnibus esset, quod hoc monasterium nullatenus sub iure, & dominatione praefatae Romanae ecclesiae, vel sub tributo, aut pensione*

(*a*) Antiq. med. aevi tom. V. pag. 1039.

ſione eſſe deberet; idem domnus Apoſtolicus non ſolum recognovit, nullum dominium in iure ipſius monaſterii ſe habere, excepta conſecratione, ſed etiam &c. Unde Deum omnipotentem deprecatus eſt, ut ſi aliquis Papa, aut Imperator umquam hoc monaſterium alicuius ditioni ſubiugaverit, in Chriſti adventu rationem inde reddat Item oſtendit diffinitionem inter domnum Hugonem Abbatem, & presbyteros ſancti Euſtachii in praeſentia Gregorii Papae, & Ottonis Imperatoris, ubi continetur, quod pro certo hoc monaſterium eſt ſub lege, & tuitione regum. Nam, ut ibi refertur, Imperator dixit in ipſo iudicio; Interrogetur Abbas, & advocatus eius, ſi poſſunt probare per ſcriptum, aut per ſacramentum, vel per teſtimonia, quod ipſum monaſterium ſub lege Langobardorum defenſatum fuiſſet. Ego nullatenus ea lege illud ſubtraho Quibus omnibus oſtenſis fideliter praefato Papae ſanctiſſimo Nicolao, & ſubtiliter perſpectis, auctoritate ſua omnia, quae in eis continentur, laudavit, & confirmavit. Tunc idem domnus Abbas Berardus una cum omnibus ſenioribus ſuppliciter eumdem Papam obſecravit, ut iſtius monaſterii antiquam libertatem, & privilegiorum, ac praeceptorum nobis multoties miſſam a Pontificibus, & Regibus, ſive Imperatoribus immunitatem ſumma paſtoralique confirmaret auctoritate, & una cum omnibus nobis populoque totius abbatiae praecipuos legatos apoſtolicae ſedis intereſſe iuberet, qui canonicum interdictum, & univerſalem facerent excommunicationem, ad conſecrandam authenticam huius monaſterii libertatem. Quod idem Praeſul ſuſcipiens benigne, quod petebatur conceſſit libenter. Huberto itaque Archiepiſcopo, Agilardo, ſeu Aylardo Epiſcopo, & Abbati ſancti Paulli, atque Petro Epiſcopo Eugubino legatis ſuis praecepit Pontifex, ut pontificia auctoritate confirmationis iſtiuſmodi conficerent diploma, indicerentque omnibus; quod ſi mox ſolemniter ſacra peragentes praeſtitere, vetantes ſcilicet, *ut nemo unquam de eccleſiaſticis, aut ſaecularibus viris cuiuſcumque ordinis, aut dignitatis hanc eccleſiam beatae Mariae, quae dicitur in Farfa, cum propria congregatione, cunctiſque bonis ipſius ſive ſubſtantiis, omnibuſque famulis interius & exterius, vel ubivis commanentibus, diabolico*

bolico instinctu vel ausu temerario praesumat quocumque modo invadere, aut diripere, seu conculcare, vel de authentica libertate subtrahere, & de patrocinio, sive tuitione, atque defensione regali, & imperiali evellere, aut subtrahere, vel in dominium, & ditionem curiae Romanae transferre, & cuilibet ecclesiae tributariam facere, & bona illius, & iura quoquomodo vitiare, vel dissipare, sive corrumpere, & privilegia Pontificum apostolicorum, & praecepta Imperatorum sibi pro huius ecclesiae integerrima libertate concessa, pro nihilo ducere, aut in aliquo violare. Quicumque autem Pontifex, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Praelatus, Subditus, Princeps, Patritius, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castaldeus, quivis actionarius, vel, ut praediximus, cuiuscumque ordinis, aut dignitatis superioris, vel inferioris, ecclesiasticae, vel saecularis horum aliquid quae superius comprehensa sunt, contra praefatam ecclesiam Farfensem, & congregationis eius ordinatos, & rectores huius monasterii praesentes, & futuros usque in perpetuum, consiliatus, aut meditatus fuerit, vel assensum voluntarium praebuerit, vel perpetraverit, & hoc scelus, vel sacrilegium commiserit, sit anathema, maranatha.... excommunicatus &c.

XLII. Haec lubuit singula referre, quae & Muratorius exscripserat, tum ut magis magisque constet, an id, in quod tam bene Romanus Pontifex consentit, quod imo solemniori actu iterum confirmat, quantulamcumque aptum sit creare invidiam, quemadmodum opinatus fuit Muratorius idem, quasi *visum sit levius sub Imperatoris tutela, & protectione esse, quam sub Romani Pontificis*, tum ut perspicue appareat, quidnam dicendum sit, fuisse iis temporibus significatum, ubi monasteria *regalia*, sive *imperialia*, declararentur, *nullique dominatui subiecta*. Intelliges hinc profecto, quid de Pomposiano monasterio factum, quid & *regale* illud sanxerit Otto III. *nullique subiectum dominatui*; adeout nil supersit, quod Fontaninio negotium facessat illatae Romano Pontifici iniuriae suspicio: ipse enim Pontifex Romanus, qui iure sibi proprio quondam monasterii Pomposiani possessionem competere contra Ravennatem Archiepiscopum,

datis

datis ad Ludovicum II. Augustum litteris, ostenderat, habito inde Ravennae conventu, constitutoque placito, omnium primus suam contulit operam, ut a ceteris ipso de monasterio contendentibus facta in iure cessione, uni Ravennati Archiepiscopo illud liberrimum dimitteretur; adeout aliquis sit nobis coniectandi locus, Ottonis mentem de amplissimo posthac dando Pomposiae diplomate haud ignorasse Silvestrum II., imo & in ipsum mirifice consensisse. Qui enim alias tanta potuissent concordia, alternoque consilio omnia perfici, si animis dissentientibus fuissent intolerabili quidem Romani Pontificis detrimento peracta? Superest ergo, ut Pomposianum monasterium imperatoria sanctione ita nulli subiiceretur dominatui, ut ne Imperator quidem, nec Romanus ipse Pontifex illud dominarentur amplius: quod sic habeas tamen, non quasi summum maiestatis ius, atque imperium in ea exarchatus loca, quae ad Pomposianam ditionem spectarent, fuerit monasterio tributum, quod penes unum exarchatus totius dominatorem consistere debuerit, sed quod *allodiale* ius, iurisdictionesque singulas in eadem loca, & homines exerceret, obtineretque monasterium ipsum, quas nec Imperator, nec Pontifex, nec alii quique invisa caussa debuissent, ordinarioque iure perturbare potuissent, non secus atque de Casinati, ac Farfensi monasteriis factum accepimus.

XLIII. Sed demum res tota de Pomposiano enucleate conficitur ex recentioribus diplomatibus eidem monasterio datis, quorum instar alterum sit illud ab Henrico II Imperatore anno MXLVII. concessum, quod in Pomposiano tabulario servatur. Augustus enim omnia Pomposiani coenobii iura, ac praecedentium imperatorum privilegia confirmans, permutationemque commemorans ab Ottone factam cum Friderico Archiepiscopo *iuxta utriusque placitum* (quod ipsum legere est in Imperatoris eiusdem tabulis consequentis anni, & aliis Imperatorum, qui successerunt) Ottoniani diplomatis verba repetit, clariusque exponit: *ab omni subiectione Archiepiscoporum Ravennatum excutimus, ut regalis in perpetuum*

tuum sit, *nullis dominantium personis subiecta*. Eadem etiam habentur in alio Henrici III. Imperatoris diplomate, quod ex Ateſtio tabulario Muratorius edidit (*a*) anno MLXXXXV. dato. Ad haec Fridericus I. Imperator monaſterii eiuſdem iura itidem, ac privilegia confirmaturus anno MCLXXVII. penes Muratorium ipſum (*b*) ſuo diplomate, cuius exemplum & nos e Pompoſiano tabulario in noſtrum diplomaticum codicem tranſtulimus: *Ipſam abbatiam*, inquit, *& eccleſiam Pompoſianam*, *ac totam illam inſulam*, *in qua manet ipſum coenobium*... *a poteſtate Archiepiſcoporum*, *Epiſcoporum*, *Ducum quoque*, *& Marchionum*, *& quorumlibet mortalium inrevocabiliter abſolvimus*, *& liberam eſſe cenſemus*, *& ſtatuimus*, *ita quod ipſe locus eiuſdem monaſterii*, *& praetaxatae poſſeſſiones eius nullius perſonae dominio ſubiaceant*, *aut nullam ſubiectionem cuiquam debeant*, *niſi imperiali excellentiae in temporalibus*, *& apoſtolicae dignitati in ſpiritualibus*.

XLIV. Ergo, ut verbo dicamus, quae *regalia*, ſive *imperatoria* monaſteria cenſebantur, una & *pontificia* erant, confirmabanturque viciſſim pro iis imperialia a Pontificibus, pontificia ab Imperatoribus, aut Regibus diplomata. Hoc autem illorum temporum imperitiae, ac ruditati acceptum voluit aliquando Eraſmus Gattula (*c*), quod ſcilicet conceſſa ab Romanis Pontificibus diplomata, ac privilegia Reges confirmaverint, & Imperatores: *quae ſi quis dixerit*, ſubdit homo peritiſſimus, *confirmata relate ad exſecutionem dumtaxat*, *quemadmodum de conciliis vulgo dicitur*, *nos haud gravabimur*. Verum haec ut plurimum induſtria potius fiebant, atque petitione eorum, qui Pontificiis impetratis diplomatibus undecumque firmiſſima ea peroptabant futura ipſo diſſidiorum, ſi quae contigerent, tempore: niſi mavis etiam aliquando praetentatis, ut ita dicam, a Regibus, atque Imperatoribus artibus, qui hocce pacto iuridicas ea in loca actiones obiiſſe viderentur. Saepius nihilominus hiſce

(*a*) Antiq. med. aevi tom. V. col. 1046.

(*b*) Ibid. col. 1047.

(*c*) Acceſſion. ad hiſtor. Caſinen. tom. I. pag. 46.

hisce actibus non discordem fuisse pontificatus, imperiique concordiam, exempla demonstrant aperte, quae protulimus, sed in primis res pro Farfensi monasterio gestae, quum maxime non in exarchatu, de quo summa est controversia, illud sit positum, sed in Sabinae provincia, de qua nulla fere, aut certe quidem perexigua est quaestio, quam definitam habeas omnino, ubi imperatorii summi iuris in Italia universa non ambigas de finibus.

VIII.

XLV. Ab Romana ecclesia, cui proprie & vere Pomposiani subiiciebantur monachi, atque Ravennatibus ab Archiepiscopis subtrahuntur, subduntur que Ottoni Augusto, & nihilominus exempti dicuntur, necnon *ab omni saecularis servitii infestatione securi*; quod satius, ac verius dictum fuisset, si a dominatu contra imperatorio subducti, Archiepiscoporum sub imperio fuissent positi (a).

XLVI. Nonne vero de facta ab Romana ecclesia Ravennatibus Archiepiscopis Pomposiani monasterii concessione edocet nos Fontaninius ipse? Quî ergo constet, quod vir doctus ait, per Ottonem monasterium illud a Romanae ecclesiae subiectione eductum, penes quam iuste, & legitime in ipsummet supremum semper esset arbitrium, & summa rerum? Praeterea Imperatorem inter, & Ravennatem Archiepiscopum ita commutationis negotium peractum est, ut Augusto Pomposiam cederet Archiepiscopus bona alia recepturus. Quî ergo itidem constet, quod ipse addit, ab Archiepiscoporum Ravennatum, quibus subdebantur, dominio monachos Pomposianos subtractos? Nonne in negotio illo peragendo, quod iam tandem potius pergrandi futurum erat lucro Archiepiscopo, is consentit in primis? Quid mirum igitur,

(a) VIII. *Saecularis servitii infestatione*. Vengono levati i monaci Pomposiani dalla natural soggezione alla santa sede, e agli Arcivescovi di Ravenna, e soggetti ad Ottone III., e si dice, che sieno *ab omni saecularis servitii infestatione securi*: il che avrebbe dovuto dirsi, quando fossero stati levati dalla soggezione imperiale, e posti sotto gli Arcivescovi di Ravenna.

Muratorii responsio. Ab omni saecularis servitii infestatione securi, significa l' esenzione da tutti i carichi pubblici: cosa trita ne' privilegi antichi.

igitur, si, cessionibus huiusmodi absolutis, quibus concordi omnium animo subditi Imperatori essent habendi Pomposiani, iubeat Imperator ipse, sanciatque diplomate suo, ut *ab omni saecularis servitii infestatione securi* essent in posterum, atque immunes? Vereor equidem, ne aequior verborum sensus Fontaninio aufugerit, de industriane, an incogitantia dicere non ausim, cui nihilominus innumera prorsus esse poterant, erantque profecto documenta, in quibus formulae eaedem occurrunt perpetuo, quae illorum temporum stilum nobis perbelle declarant.

XLVII. Verum quae paucis voculis Pomposianis in tabulis exposuit Otto, tribus vix annis ante in diplomate Casinati monasterio concesso uberius confecerat, quod e suo autographo in Casinensi chartophylacio servato publicae luci consignavit, quem saepius laudavimus, tam optime de eodem, deque Casinensi historia meritus Erasmus Gattula (*a*). En verba diplomatis: *Futuris temporibus Abbates ipsius loci* (Montis Casini) *firmiter, ac inviolabiliter teneant, atque disponant, prout facultas, & utilitas ipsius loci exigerit, itaut nullus iudex publicus, nec quislibet ex iudiciaria potestate in cellas, villas, aut agros, seu loca, sive reliquas possessiones iam dicti coenobii sancti Benedicti, quas moderno tempore in toto Italico regno iuste possidet, vel quicquid deinceps divina pietas ipsi loco voluerit augere, ad caussas audiendas, freda, tributa exigenda, mansiones, aut paratas faciendas, seu fideiussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam liberos, quam servos, seu cartulatos, vel offertos, & super terram ipsius monasterii residentes nullatenus distringendos, vel ullas redibiciones, vel illicitas occasiones requirendas nostris, futurisque ingredi audeat, nec ea, quae superius memorata sunt, penitus exigere praesumat, sed liceat praedictum Iohannem venerabilem Abbatem, eiusdemque successores una cum congregatione ibidem Deo famulante sub nostrae munitatis munitione quieto ordine vivere, & Deum pro nostra anima supplicare, & quidquid fisci ex iure iam fati monasterii pars publica sperare poterat, pro animae nostrae mercede*

(*a*) Histor. Casinen. tom. I. pag. 91.

cede in luminaribus ipsius venerabilis monasterii nostra maneat auctoritate concessum. Non aliter igitur idem Otto Imperator immunes, liberosque ab qualicumque etiam imperatorio *fisco* solutione praestanda Pomposianos dimitti monachos iubet, decernens, ut sint *ab omni saecularis servitii infestatione securi*, &, quod subdit Henricus II. Imperator suo in diplomate MXLVII. *ab omni angaria cum suis hominibus remoti*, apertiusque adhuc in alio anni consequentis, *ab omni angaria, sive fodro tam nostro, quamque missorum nostrorum, seu omnium saecularium potestatum cum suis hominibus remoti*. Quidni vero fieri haec poterant ab Ottone, ac Imperatoribus reliquis, posteaquam solemniori cessionis actu, Pomposianique monasterii commutatione Romani ipsi Pontifices, Ravennatesque Archiepiscopi in id mirifice consenserint, ut imperiale dumtaxat quasi patrimonium, atque hereditarium ius illud evaderet? Munificentissimi Augusti potius commendanda pietas nobis videtur, atque religio, qua una impulsus Ravennati Archiepiscopo tanta impartiri maluerit, ut, sibi Pomposiano monasterio adscito, nulloque deinde sibimet iure retento, ipsum immune, liberumque omnino dimitteret. Scilicet data ab Ottone Pomposiano monasterio libertas plenissima fuit, factaque donatio, ut verbis dicam novatis, *allodialis*, aut *burgensatica*, non *in feudum*, quum nullum sibi, uti superius diximus, quisque successoribus ius, servitium, vectigal, dominatum in loca, hominesque Pomposiae reservarit Augustus, aut etiam in aquas, pascua, plana, ceteraque alia ad Pomposiam pertinentia, quod subsequentium Imperatorum documenta demonstrant apertius.

XLVIII. Ottonianam enim donationem confirmaturus Henricus II. Imperator anno MXLVII., & alia etiam bona dono collaturus Pomposiae haec addit: *cum areis, aedificiis, castris, capellis, silvis, pratis, pascuis, salictis, olivetis, vineis, montibus, planitiebus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, salinis, & cum omni utilitate, quae vel nominari, vel scribi possit*: quae ad verbum repetit ipse Augustus alio diplomate consequentis anni, repetuntque per-

 petuum

petuum suis in tabulis Henricus IV. anno MLXVI., Fridericus I. anno MCLXXVII., Henricus VI. anno MCLXXXXV., ac Fridericus II. anno MCCXX. Similia etiam attilimus supra in diplomate Casinensi concesso eidem monasterio ab Henrico almo Imperatore. Quid profecto est utilitas omnis, *quae vel nominari, vel scribi possit*, nisi ius quodlibet absolutum, perfectum, atque supremum? Haec enim formula amplissima est, ac universalis, omnem modum comprehendens, & ipsosmet privilegiarios casus, continetque omne ius; adeout nil penes concedentem remaneat, ne illud quidem quod *fisco* deberetur; quam in rem iurisperiti consentiunt omnes. Quippe quae donabantur ecclesiis, *iure ecclesiastico*, quemadmodum superius dictum est, donabantur; de cuius vocis recta intelligentia sacrae, profanaeque antiquitatis promus condus Du-Cangius consulendus est, qui, allatis haud paucis imperatorum, regumque diplomatibus, haec habet ad rem (*a*): *Praedia, & immobilia dabantur possidenda aut iure proprietario, seu proprio, aut beneficiario, seu precario, hoc est ad proprium, ut loquebantur, vel ad feudum, aut usumfructum; iure vero ecclesiastico ea possideri ab ecclesiis dicebantur, quod clericis, & presbyteris iis uti, & frui concessum est, ut propriis, ita tamen ut ea donare, aut vendere iis non liceret.* Quo profecto ecclesiastico iure Pomposianum monasterium *allodium*, non *feudum* constituit Imperator Otto; illius namque bonis plenissime frui debebat ecclesia Pomposiae, *fueruntque effecta sancta sanctorum*, ut rem expressit Afflictus (*b*), expresseratque olim illorum, qui de *feudis* scripsere, omnium facile antesignanus, & dux Andreas de Aesernia (*c*). Et re quidem vera cur, quaeso, eae ampliores, atque insignes formulae adhibitae, nisi ut significaretur omnino, & necessario, *tamquam nebula super paludem*, ut phrasi dicam penes iurisconsultos trita, omnimodum ius, atque dominium qualemcumque in res, hominesque donari Pomposiana in ditione positos? adeout non secus sub imperatorum, regumque tuitione

(*a*) Glossar. med. latinit. ad voc. *Ius ecclesiasticum*.

(*b*) Decis. 361. num. 22.

(*c*) Constitution. lib. 1. tit. 44.

tione monasterium Pomposiae consisteret, ac exempli caussa Lucensis modo Respublica suprema est, tametsi Regis Hispaniarum commendata tutelae. Certe de principum hominum in monasterium idem clientela res fiet clarior ex dicendis in historia tota.

XLIX. Nec succenseas interim, expetitam a Pomposianis monachis imperialium diplomatum confirmationem, quam ab imperatoribus ipsis frustra impetrassent, si nullum his fuerit in monasterium ius. Sciveris enim, non tantas Pomposianis fuisse vires, ut ius suum ab aggressoribus uni ad vindicandum valerent, & ope destituti imperatorum, ac regum, quorum proculdubio muneris erat, res Pomposianas, monachosque defendere, ubi fuerint illis tanta polliciti. Nemo eodem iure piissimis Galliarum principibus viris Carolo magno, ac Ludovico Pio succenseat, quod Romanae ecclesiae bona, ditionesque a Francico Rege Pippino dono collatas confirmaverint, indeque deducat, supremum non fuisse ecclesiae illius ius in sibi subiecta loca, plenumque imperium. Quid enim saepius imperatores, regesque pontificia confirmavere diplomata, & imperatoria pontifices? Deerat ne sua cuique potestas absque alterutrius confirmationis pagina? Patefit igitur ex his magis magisque, supremum omnino Pomposiano monasterio fuisse ius, quod reapse posthac exercuisse, innumera fere dicam documenta declarant, non secus ac territorii totius Pomposiani penes monasterium ipsum plenissimum remansisse dominium, quod ei confirmatum non solum multis imperatoriis, ac regiis, sed pontificiis etiam diplomatibus deinde fuisse, sequentibus historiae libris demonstrabimus. Illud interea satis sit in praesentia ordinationes recensere anno MCCLXXXXV. ab Iacobo Pomposiano Abbate celebratas, quas in nostro diplomatico codice reperies, quaeque sic habendae sunt, quasi codex legum Pomposianae ditionis. Quum enim insulae Pomposianae totius, & castri Capisgauri rectorem, quem *potestatem* vocabant, anno praecedenti Iacobus ipse Abbas decennium Azonem Atestium Anconae *marchionem* instituisset, adeo ut alterum sibi posset vica-

vicarium iudicem, si libuerit, substituere, editae ab illo fuere ad rectum ditionis Pomposianae regimen ordinationes a singulis observandae sub eadem positis ditione. Porro quantum Pomposiano Abbati fuerit iuris, scilicet summi, vel uni ordinationum illarum tituli, quas *rubricas* vocant, ostendunt: ostendunt etiam iura constituta monasterio, quae supremum dominium omnino praeseferunt: ostendunt demum leges latae, earumque genera plura, atque sancitae poenae sive pecuniariae, sive capitales in violatores.

L. Quid mirum igitur, si iure omni monasterio Pomposiano concesso, adeout & esset regale, & nulli subiectum dominatui, decreverit Otto Imperator, ut *ab omni saecularis servitii infestatione securi* essent monachi, hoc est liberi, atque immunes, exemptique ab qualicumque etiam imperatorio *fisco* praestanda solutione? *Freda*, *fodra*, *angarias*, *perangarias*, *mansiones*, *paratas*, *adohas* (quae verba omnino nulla, saltem pleraque, in lingua latina erant, ea propter rei intelligentia nova inducta a barbaris,) & huiusmodi reliquas iis temporibus in usu publicas fuisse solutiones, probe norunt eruditi omnes rerum medii aevi. De iis erit fortasse aliquando nobis dicendi locus. Imperiali ergo sanctione ab iis singulis solvendis Pomposianum monasterium eximitur, quod clarius etiam atque etiam expressere deinceps imperatores, ac reges in diplomatibus suis, quae nos superius recensuimus.

IX.

LI. Abbatem sibi eligere iubentur monachi: *Abbatem eligant*. Ipsumne eligere antehac non sueverant illi? an Ottonis erat praecipere, ut Abbatem sibi constituerent Pomposiani (*a*)?

LII. Pom-

(*a*) IX. *Abbatem eligant*, quasi che prima non lo eleggessero, ovvero che ad Ottone appartenesse l'ordinare, che i monaci si eleggessero l'Abate.

Muratorii responsio. Questo è un chiuder affatto gli occhi all'erudizione, ed erudizion triviale di quei tempi, per fare ad ogni patto la critica. Veggano i lettori s. Pier Damiano, [vit. s. Romualdi cap. 22.] che rapporta, ed approva questo diritto. e costume in un altro atto dello stesso Ottone III. e veg-

LII. Pomposianos utique monachos olim sibi elegisse Abbates, nemo est qui inficias iverit. Verum ne Fontaninius quidem negaverit, illud fieri potuisse aliquando, ut hac in re impedirentur ab iis, qui de monasterio ipso contenderent, vel praesumentes, sui esse iuris Abbatis electionem, vel praetentantes, in Pomposiano monasterio constituere Abbates, qui non de illius conventu essent, aut in quos non consentirent Pomposiani. Et re quidem vera ipse Otto III. Imperator primo suo diplomate Pomposiae dato anno MI. IV. nonas Aprilis *petitione domni Wilelmi Deo amabilis heremite*, confirmatisque Pomposiano monasterio omnibus, quae ad ipsum pertinerent, statuerat, praeceperatque, *ut nemo ibidem ponatur in Abbatem nisi quem heremite ibidem Deo militantes eligunt communi consilio fratrum*. Undenam vero dixerimus, mentem Willelmo fuisse de eiusmodi libello supplici Ottoni Augusto exhibendo, ubi numquam fuissent Pomposiani in sibi eligendo Abbate a quopiam praepediti? Quapropter si Ottonis non erat, Pomposianos, ut Abbatem sibi constituerent, iubere, ipsius erat profecto, statuere, atque praecipere, ut e Pomposianorum coetu eligeretur, maxime quum illi ea de re Pomposianis iisdemmet facta petitio fuerit. Nonne enim potuisset Otto, suum in ius adscito Pomposiano monasterio, illud sibi uni reservare, adeo ut penes ipsum Abbatis constituendi maneret facultas eo saltem iure, quod *patronatus* deinde dixere sanctarum legum magistri? Nonne reapse id praestitit Teudaldus marchio Padolironensis monasterii conditor diplomate suo penes Bacchinium (a)? *Volo*, *&* *statuo*, ait

è veggano il P. Tommassino, [to.2. de benef. lib. II. cap.28.] che pur tante volte vien citato dall' avvocato contrario, che tratta questa materia, e se il censore stesso volea con facilità, e senza far gran viaggio, restar ben convinto delle sue strane pretensioni, potea informarsene in Roma stessa dall'eruditissimo monsignor Fontanini, [de antiq. Hortae app. pag. 393. il quale pochi anni sono pubblicò un diploma d' Arrigo III. dell'anno 1060. conceduto alla badia di Farfa, ove quell'Augusto oltre al concedere a quei monaci l'esenzione dagli aggravi del pubblico, permette loro eziandio, che quando l'Abate mancherà di vita, *quem unanimiter elegerint*, *licentiam habeant eligendi Abbatem*. Che sarà d'infiniti strumenti, se son lecite simili critiche?

(a) Istor. del monast. di s. Bened. di Mantova in append. pag. 16.

ait marchio, *ut abbas ipsius monasterii, qui a me, vel a meis heredibus, & qui de eis legitime nati fuerint, ut supra legitur, missus fuerit &c.* Simili etiam modo quum Gumbertus homo dives anno DCCLXXX. monasterium s. Sabini in Pisano territorio constituisset, Deum unum deinde, relictis ceteris, secuturus, suis in tabulis editis a Camaldulensium rerum scriptoribus (a) statuit: *ut dum ego iam dictus Gumbertus abbas advixero hec monasterio omnis congregatio istorum monachorum, qui presentes, & ingressi fuerint subiectis in observantiae sancta regula ego indignus gubernare, & regere debeam, mihi Domino auxiliante potestate confirmo ... post transitum meum in ipso monasterium cum omnia res quidquid ad ipsum monasterium pertinet, remaneat in potestate de ipsis monachis, qui ipso monasterio obedientia repromissa sanctam regulam observantes ibi permanserint de ipsa congregatione sibi Abbatem eligere, & confirmare unanimem, qualem voluerint, potestatem habeant.* Quod itaque Gumberto post eius non nisi decessum pro Sabinensi monasterio cordi fuit decernere, observandum statim a suo diplomate statuit pro Pomposiano Otto Imperator Augustus, qui ne momento quidem temporis Pomposiae Abbas vellet constitui, aut haberi. In re aeque certa, ac evidenti alia prosequi non vacat.

X.

LIII. Quum ab Episcopo Comaclensi Abbatem Pomposianum consecrandum dixerit diplomatis auctor, iubet deinde, ut si eum aliqua affecerit molestia Episcopus, hoc est *pro pecunia*, aliave de caussa, *veniat* Abbas *ad Archiepiscopum suum Ravennatem ab eo benedicendus*, quem si molestum etiam invenerit, *ad qualemcumque Episcopum desideret caussa consecrationis properet*. Quo quid dici potest obtusius, quid indignius? Videsis temerarium ausum, callidam obiectandi Episcopis, ac malitiosam calumniam, quasi ab illis consecrationes fierent *pro pecunia*! cui profecto vitio, atque incommodo Pontifex quidem subvenire remediis, minime vero debuisset Augustus, cuius non est hisce in rebus sese immi-

(b) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 6.

immiscere. Ad haec tam excors, tamque demens fuissetne Pomposiae Abbas, ut nesciret, sui consecrationem neque petendam, neque impetrandam ab eo, qui ipsi pecuniam extorsisset? Quid ita Ottonis sanctione propterea opus erat, atque praecepto (*a*)?

(*a*) X. *Pro pecunia*. Dopo d'aver detto, che l'Abate si faccia consecrare dal Vescovo di Comacchio, ordina l'autore del diploma, che se il Vescovo lo molesterà per quattrini *pro pecunia*, o per altro, esso Abate ricorra all'Arcivescovo di Ravenna; e se questi facesse il simile, cerchi un altro Vescovo: che lo consacri senza quattrini. Cose più indegne, e stolte di queste non è facile il ritrovare, calunniandosi sfacciatamente i Vescovi, come se avessero fatte le consecrazioni per danari *pro pecunia*: al che avrebbe dovuto rimediarvi il Papa, e non l'Imperadore, a cui non si aspetta metter mano in somiglianti materie. Oltre a ciò poi quell'Abate non avrebbe forse egli saputo farsi consecrare da chi non gli avesse estorti quattrini, senza che Ottone III. glielo avesse ordinato?

Muratorii responsio. Nè pur sa digerire il censore, che l'Abate Pomposiano, se il Vescovo di Comacchio richiesto di consecrarlo, *sibi pro pecunia*, *vel aliqua humana potestate molestus fuerit*, *veniat ad Archiepiscopum Ravennatem &c.* La decision del censore è questa: *Cose più indegne*, *e stolte di queste non è facile il ritrovare*, *calunniandosi sfacciatamente i Vescovi*, *come se avessero fatte le consecrazioni per danari*. Ma altri potrebbe rispondere, che censura men degna di un erudito non si potea fare: imperocchè basta dare un' occhiata a quanto scrive il sopradetto P. Tommasino (tom.III.lib.I.cap.58.59.&c.) per intendere, *quam late dominaretur simonia propter ordines pecunia collatos sub imperio Caroli M. usque ad annum millesimum*, *& post annum millesimum*; e quanto i Papi, i concili, ed altri pii personaggi scrivessero allora contra sì sacrilego abuso. In quei medesimi tempi appunto, ed in Ravenna stessa una tal peste faceva gran rovina; laonde Gerberto Arcivescovo le scrisse un libro contra, come nota il Pagi (Critic. Baron. ad an. 998. num.24.), e nel 1014. vi si tenne un concilio contro le simonìe. Nè Ottone III. nel diploma Pomposiano rimedia a tanto sacrilegio, ma solo rimedia all' incomodo, che ne potea avvenire agli Abati; benchè per altro non sia cosa nuova, se non a chi è forestiero nelle carte, e ne' libri vecchi, l'avere una volta gl'Imperadori *messa mano in somiglianti materie*, e senza richiamo de' sacri pastori. Tralascio ogni altro esempio, per citare sol quello di Tedaldo marchese avolo della gran Contessa Matilda, il quale fondando nell'anno 1007. il monistero di Polirone dichiara nel suo strumento rapportato nel Bollario Casinese, e nella storia d'esso monistero scritta dal P. Abate Bacchini (Istor. di Polirone lib.I. p.16. appen. pag.18.), che il vuole esente da ogni podestà secolare: *nullo regi*, *nec alicui potestati concedimus &c.* Si riserva l'elezion dell'Abate da consecrarsi dal Vescovo di Mantova: *etsi evenerit*, *quod Episcopus Mantuanensis refutaverit eum benedici*; *& sacrari*, *& propter aliquod servitium postulatum denegaverit*, *ad quemcumque Episcopum va-*

LIV. Willelmi eremitae opera, qui antehac fuerat Abbatis munere functus, penes Ottonem usos Pomposianos, superius diximus, quo Imperatoris expeterent, obtinerentque clientelam, ut imperatoria eos auctoritate muniret, ubi ad Abbatis electionem descendere iis fuerit opportunum. Hac igitur in re Pomposianos ipsos molestias nescio quas olim perpessos facile colligere licet: quibus diplomate suo remedium allaturus Imperator propter sacrarum legum custodiendarum oeconomiam, quibus cautum est, ut libera Abbatis maneret electio monachis, quemadmodum iam anno DXXXIV. habitum Chartagine concilium, & deinceps alia sanxerant, antiquo reservato iure Episcopis dioecesanis Abbates ipsos consecrandi, ille ecclesiasticae disciplinae custos, & defensor iubet, ut facta liberrime a Pomposianis monachis Abbatis electione, consecrandus sit, hoc est benedicendus ipse ab Comaclensi Episcopo, in cuius Dioecesi monasterium inerat Pomposianum. Si autem propterea velit pecuniam ab eo exigere Episcopus, Metropolitam suum adeat Abbas, Ravennatem scilicet Archiepiscopum, quem si iuxta cum Comaclensi gravem habuerit, atque molestum, optime consultum iri Abbati decernit Imperator, si quemlibet alium deligat, petatque Episcopum, a quo consecretur. Quid quaeso calumniae, quid audaciae imperiali ista sanctione continetur? Malo remedium adhibere omnino putavit Augustus, malo, inquam, quod ne Fontaninius quidem ipse inficiari poterit, fuisse aliquando ecclesiae Dei infensum, iis maxime temporibus ab apostolica indole longe positis, quibus ubique ecclesiastici ordinis vel ignorantia serperet, vel, corruptis, depravatisque hominum moribus, vitiositas unde unde percrebresceret. Nonne sexcenta istiusmopi exempla fasti ecclesiastici suppeditant, quae nullum dubitationis locum relinquunt, quaeque si collibuisset, ab ovo usque ad mala citari potuissent? Nonne legum sanctarum in hac

vadat &c. Così diceano, così operavano allora insino i privati. Ma oggidì bisogna chiamar finto, e supposizio quello, a cui non si sa, come meglio rispondere.

in hac re repetita conditio in ſimoniacos Epiſcopos facinoris argumentum eſt manifeſtiſſimum? Id neſciat ille unus, qui in eccleſiae hiſtoriis prorſus ſit ieiunus. In primis vero decimo reapſe ſaeculo, & conſequenti, de quibus noſter eſt ſermo, hac de re conqueſti ſunt graviſſime, & commiſerti patres, quos inter Petrus Damianus (a), Guido Arretinus ad Michaelem monachum Pompoſianum ſcribens epiſtolam, quam nos alibi recenſebimus, aliique permulti illius aetatis homines doctrina, atque ſanctitate longe probatiſſimi, qui in animos ſimoniaco ambitu luxuriantes, atque infelicia eorum tempora palam vehementer invehuntur. Temporum naturam, ingeniumque rimetur Fontaninius, nec quae fuere ſaecula quondam cum noſtro conferat, & metiatur, quo in chriſtiana fide ferventiſſimis, ſtudioſiſſimiſque legum eccleſiaſticarum Epiſcopis Dei ſponſa exſultat laetitia, ac triumphat gaudio.

LV. Doletne vero ampliſſimo Praeſuli, Ottonem Auguſtum haſce in res manus inieciſſe ſuas? At quaeſo tulitne Imperator neſcio quam legem, ubi ita ſe geſſerit, quam unus potuerit Pontifex Romanus condere? Nonne eccleſiae tutores, defenſores canonum, eccleſiaſticaeque libertatis vindices principes viri cenſentur, ſuntque profecto, perſaepe etiam perquiſiti, enixeque exorati, ut imperatoriam, regiamve ſuam ad ſummam ſacras in leges obſervantiam praeſtent auctoritatem? Illud fortaſſe contingere aliquando potuiſſet, ut incommoda, moleſtiaeque Abbati Pompoſiano obveniret, ſi extra Comaclenſem, ſive Ravennatem alios debuiſſet adire Epiſcopos. Hinc imperiale eidem patrocinium pollicetur Otto, regiam interponens fidem, qua fretus confidenter ipſe Abbas *ad qualemcumque Epiſcopum deſideret*, *cauſſa conſecrationis properet*: tanta enim Abbates tuitione deſtituti in moleſtias alias facile potuiſſent incidere, atque difficultates.

LVI. Quid hac in re a Theudaldo marchione factum conditore Podolironenſis monaſterii ex Bacchinio adnotat

(a) In vita s. Romualdi cap. 35.

notat Muratorius. En vero comprehensio, & ambitus Theudaldianorum sensuum: *Abbas ipsius monasterii.... benedictionem, & consecrationem suae Mantuanensis ecclesiae refutaverit eum benedici, & sacrari, & propter aliquod servitium postulatum denegaverit ad ipsam sacrationem, tunc ipse Abbas habeat licentiam revertendi, & secundum quod ei melius praevisum fuerit, ad quemcumque Episcopum voluerit, vadat, & benedictionem sacrationis ab eo recipiat absque alicuius contradictionem*. Aliae multae illorum temporum tabulae rem eamdem iisdem exprimunt sensibus, atque vocabulis. At temporum ipsorummet incommoda, imo enim vero infelicitas una cautionum istiusmodi caussa fuere, quum e duobus malis prudenti consilio levius sustineretur ad diram vitii expurgandam labem, atque eluviem compescendam.

XI.

LVII. Ad Ottonem III. non pertinet omnino, assumit autem Fontaninius hoc modo, quod in diplomate est monogramma, bene vero ad Henricum alterum. Et, ut verbo dicam, Pomposianum diploma nil aliud est, quam heterogenia quasi intollerabilium errorum quaedam compactio, ex rebus fictis, commentitiisque constans, conflatum utique ad Pomposianorum caussam, res, ambitiosamque cupiditatem in Comaclensem, Ravennatemque Episcopos sustentandam (*a*).


LVIII. O

(*a*) XI. Il monogramma non è di Ottone III. ma di Arrigo II. E ben si vede (Cangius in glossar. voc. *monogramma*), che il diploma è un pasticcio di molti ingredienti spropositati: e che è finto per favorire gl'interessati Pomposiani contro all'Arcivescovo di Ravenna, e al Vescovo di Comacchio.

Muratorii responsio. Seguita a dire l'oppositore, che il monogramma di questo diploma non è di Ottone III. ma di Arrigo II. Ma questi sono sbagli de' copisti, o dello stampatore; e presso l'Ughelli se n'incontrano ben parecchi, in maniera che se volesse la critica dell'oppositore divertirsi in impugnare ancor quelli, troppa copia d'antichi strumenti sarebbe da lui bandita per finta. Così noi troviamo un monogramma, che probabimente è quello di Ottone I. o II. in un diploma di esso Ottone III. nella cronaca de'Vescovi Mindensi (Rer.Germ. script. edit. Io. Pistor. pag. 736.), e'l medesimo Ughelli (Ital. sacr. tom.3. pag.462.) rapportando un altro diploma dello stesso Ottone III. dato a'Canonici d'Arezzo, vi mette un monogramma diversissimo, che sembra quello di Ottone IV.

LVIII. Parcat antiſtes optimus. Non ergo erunt Ottonis III. ſane alterius Henrici, tot, quae Ottonis eiuſdem nomen praeſeferunt vel in Godefridi Beſſelii Gotwicenſi chronico, vel in Caſinenſi hiſtoria Gattulae, vel in Fuldenſi Schannatii archivo, vel in medii aevi antiquitatibus Muratorii, vel in diplomatibus codicibus Dummontii, Luningii, Ludwigii, Leibnitii, vel denique aliis pluribus frequentiſſima diplomata, quae a tabulariis multis, iiſque inſignoribus ipſi eruere, quaeque genuina, authentica iudicarunt, atque autographa Ottonis III., cuius profecto monogramma idemmet in iis ſingulis conſpicere licet, quod in Pompoſiano! Eſt autem aeque certum, non ſtabile, ſimileque ſemper Ottonis III. monogramma exhibere diplomata eius, quod aliquando etiam cum eo Ottonis I. avi optime cohaeret, quemadmodum laudatus animadvertit Muratorius. Neque id mirum cuiquam erit, qui monogrammatis formam, ſive figuram a notariis ſaepius, & ſcribis ſciverit dependiſſe, quam ab Imperatoris nutu, qui eorum opera in conficiendis, examinandiſque diplomatibus utebatur.

LIX. Interea Pompoſiani diplomatis monogramma, quod ex autographo ſuo exquiſite nos, quantum potuerimus, notavimus, ac deſignavimus, an Henrico II. convenire quoquoverſus queat, an potius uni Ottoni III. vel ſimpliciſſime inſpicienti patebit. Porro immane quantum diſtat a noſtro monogramma illius quod frequentiſſime exhibent rerum diplomaticarum ῥαψῳδοὶ, atque hiſtorici! At vero Pompoſiani diplomatis monogramma quandonam, & ubi, vidiſti? Deeſt illud in Margarinio, deeſt in Ughellio. Pompoſiani tabularii autographum numquam antiſtiti fuit prae manibus. Quod igitur monogrammatis ipſe mente fixit? Ecce tibi Henricianum monogramma, quod confer omnino cum Pompoſiano ſuperius allato poſt libri huius initium.



Ab Ottoniano monogrammate hoc longe abest magis, quam a summo Iove rudens distat asellus. Quae igitur caussa quaeso Fontaninio fuit, eo delamatorio genere duci, & delectari non solum ad detractandam Pomposianorum gloriam, verum etiam de eorum nomine tam acriter, aperteque detrahendum? Satis ei fuisset, nisi haec res nos falsos habeat, in administros Atestios stilum acuere, & eos quasi censoria virga notare, quibuscum unis caussam agebat; inter haec autem aequam tantisper de Pomposianis servare mentem, & cum ipsis temperantius agere, qui nihil mali patrarant. Tantae nos declamationi responsum nullum dabimus. Antistitis dignitas amplissima, obsequium, atque observantia summa, qua hominem colimus studiosum nimis, & religiosum, prohibent. Penes lectorem, quinimo penes Fontaninium ipsum iudicium esto.

XII.

LX. Ottonis scriba, sive cancellarius Heribertus quidem vocabatur, minime vero Hippolytus. Praeterea Archiepiscopus Coloniensis electus Heribertus idem anno DCCCCLXXXXIX. *Coloniensis Archiepiscopi* titulo, & *Archicancellarii* dici, subscribique debuisset in Pomposiano diplomate, ubi non alium velimus ab Heriberto suspicari Hippolytum (*a*).

LXI. De-

(*a*) XII. *Hippolytus Cancellarius*. Il cancelliere non aveva nome Ippolito, ma Eriberto; ed essendo questi fatto Arcivescovo di Colonia nell'anno 999. (Pagi ad ann. 1001. §. 1.) quì avrebbe dovuto sottoscriversi col titolo di *Coloniensis Archiepiscopus*, e di *Archicancellarius*, se Ippolito fosse lo stesso che Eriberto.

Muratorii responsio. Chiara si è la disat-

LXI. Deceptum clarissimum Praesulem superius diximus, qui fontes infectos non invitus bibit. Pomposianum autographum iam nunc idem conspiciet Fontaninius Heriberti, non Hippolyti nomen praeseferre, quod in Atestiis diplomatis eiusdem exemplaribus e Pomposiano descriptis Muratorius invenerat, emendatumque etiam ab iis est, qui novissime Ughellio opus recusere. Alia hac de re ex Rubeo animadvertit Muratorius ipse, quae, si animo collubitum fuisset suo, vel Fontaninii oculis facile esse potuissent subiecta fidelibus. Praetermissas *Coloniensis Archiepiscopi*, atque *Archicancellarii* voces, dum se subscribit Heribertus, nauseat ille, quas tamen perpetuum Heribertus idem praetermisit. Exempla non pauca diplomatum eiusmodi Muratorius laudat, & alia refert suis in medii aevi antiquitatibus, in quibus uno *Cancella-*

disattenzion dell'Ughelli, e de' copisti del nostro diploma; perciocchè *Heribertus* ivi fu sicuramente scritto, e non mai *Hippolytus*, siccome apparisce dalle copie esistenti nell' archivio Estense, e ricavate dal Pomposiano, e siccome ci assicura Girolamo Rossi (histor. Ravenn. lib. v. pag. 273.), il quale tanto prima dell' Ughelli scrisse così, accennando questo medesimo diploma: *In iis litteris Heriberii Cancellarii vice Petri Episcopi manu subscriptis Otho servum se Apostolorum appellat*. Dee qui correggersi un lieve errore di stampa, con leggere *Heriberti*, poichè lo stesso Rossi avea con tal nome poco di sopra mentovato il medesimo Eriberto. Nè io starò quì a dire, in quanti diplomi d'Ottone III. stampati sia alterato, o storpiato il nome d' esso Cancelliere. Stranissimo poi si è il pretendere, che Eriberto avesse dovuto sottoscriversi *Archicancellarius*. Era egli tuttavia Cancelliere, restando Arcicancelliere per Italia Pietro Vescovo di Como: come dunque pretendere tal mutazione? Nè occorre dire, che almeno dovea intitolarsi *Arcivescovo*, essendo egli asceso a tal dignità nel 999. Forse anche vi ascese egli nel 998., e pure non si troverà in diploma alcuno di Ottone III., ch'egli prenda un tal titolo nella sottoscrizion de' diplomi. *Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Episcopi* si legge in tre diplomi dati a' Vescovi di Como, e di Vercelli nel 999. e nel 1000., e in un altro dato al monistero di Bobbio nel 999. (Ital. sacr.tom.v. pag.268., tom.4. p.1095. & 1358.), e tre riferiti dal Puccinelli (Cron. della badìa Fior. p. 196. 208., e 241.), cioè uno del 999., e gli altri due del 1002., e la nobil casa de' Conti di Collalto ha due privilegi conceduti nell'anno 1000. a Rambaldo Conte di Treviso ad istanza del medesimo Eriberto, che viene ivi chiamato *sanctae Coloniensis sedis Archiepiscopus*, e che nondimeno si sottoscrive *Heribertus Cancellarius vice Petri Episcopi &c.*

cellarii titulo ipſe ſubſcribit Heribertus, illud in primis ipſiſſimo cum Pompoſiano datum die, quod vel ipſiſſimam nobis ſubſcriptionem offert; hocce pacto proprio ſtilo retento ab Heriberto, & diplomata reliqua ſubſcribendi ratione conſueta (*a*). Nec ſecus ideo in Ottoniano diplomate, quod ex Camaldulenſibus hiſtoricis nos ſupra retulimus, legitur omnino *Heribertus Cancellarius*, eſto datum paullo ante Ottonis ipſius diploma ſuppeditat Gallettius alias laudatus anno MII. VI. nonas ianuarias conceſſum (*b*) cum non abſimili a Pompoſiana ſubſcriptione: *Heribertus Cancellarius vice Petri Epiſcopi recognovit*. Nihilominus anno iam DCCCCLXXXXIX. (quod Fontaninius ait), niſi vero ſatis ſimilius praecedenti, ut adnotavit Muratorius, Colonienſis Archiepiſcopus erat Heribertus. Haeccene ſingula diplomata ſubdititia exiſtimabimus?

XIII.

LXII. A dati diplomatis tempore ad X. kalendas februarias anni MII. quo die e vivis exceſſit Otto Imperator in oppido Paterni, nos latet prorſus, an Ravennae aliquando ipſe moratus fuerit, bene vero Romae, Tuderti, atque in Neapolitano regno. Igitur quomodo *actum Ravennae* diploma confingitur? Verum neceſſarium fuit, tale ab Auguſto miraculum patrari, ut, qui alibi verſabatur, Ravennae appareret, quo commutationem illam Ravennate cum Archiepiſcopo Friderico poſſet abſolvere. Ecce autem putidum illud Ottonis diploma, quo Mutinenſes oratores freti triumphant gratabundi de arrogata in territorium Comacli imperatoria poteſtate cum ingenti Ravennae eccleſiae damno, ac detrimento. At vero facile ſibi quiſque perſuaſerit, illos ex praepropero, quo inflammantur, nimioque in partem adver-

(*a*) Antiq. med. aevi tom. I. pag. 386.

(*b*) Ragionam. dell'orig., e de'primi tempi della badìa Fiorent. p. 150.

versam studio non magno applausu esse excipiendos, quem nihilominus se mereri audacter sibi, sed frustra blandiuntur (a).

(a) XIII. *Actum Ravennae*. Da questo tempo, in cui si fa dato il diploma, sino ai 23. di gennaio del 1002. in cui Ottone III. morì in Paterno, non si sa (Pagi ann.1002.§.1.) che egli fosse in Ravenna, bensì in Roma, in Todi, e nel reame di Napoli. Ma per fargli concludere il cambio coll'Arcivescovo Federico, ci voleva il miracolo di farlo stare in Ravenna, benchè fosse altrove. Questo è il bel diploma Cesareo, sopra cui gli scrittori Modanesi con tanta soddisfazione fondano la loro esaltata sovranità imperiale nelle contrade di Comacchio contro alla sede apostolica. Ma se al zelo di questi scrittori debbasi veramente quello straordinario applauso, che essi pretendono di meritarsi, non credo, che ci voglia molto a comprenderlo.

Muratorii responsio. Finalmente viene opposto all'*Actum Ravennae*, che non si sa, che Ottone III. fosse circa quel tempo in Ravenna; e che *per fargli concludere il cambio coll'Arcivescovo Federico ci voleva il miracolo di farlo stare in Ravenna, benchè fosse altrove*. Così ne parla il nostro censore, come s'egli mirasse Ottone III. con gli occhi propri lungi da Ravenna nel tempo della data d'esso diploma, e quasichè ancor questo non possa essere un error de' copisti, e sia egli sicuro, che nell'originale si legga *Ravennae*; e quasichè non si possa raccogliere in qualche maniera dalla vita di s.Romualdo scritta da s.Pier Damiano (in vit.s.Romuald. c. 30.), che Ottone stesse in Ravenna alcune settimane prima della sua morte accaduta a dì 23. di gennaio del 1002. Altro per tanto ci vuole, che il detto nudo del nostro censore; e quando non adduca pruova, dee ben egli sapere, che va per terra l'opposizione sua, siccome del pari va in fumo il pretender egli, che la badìa della Pomposa fosse allora della santa sede, e che Ottone III. non fosse capace di levargliela, dicendo, che *a ciò si oppongono i documenti anteriori, e posteriori alla data di questo stolto diploma*. Ma per conoscer bene, se da certezza della verità, o pure da altra sorgente, vengano tante decisioni; egli è tempo di far sapere, ... che i susseguenti Augusti comprovarono ne' loro diplomi la verità del diploma, e del cambio suddetto della Pomposa. Risponde il critico, che *quando sussista, che i diplomi di Arrigo II. III. IV. V. e VI. e de' Federighi I. e II. attestino il contenuto di quel diploma, si può dire, che, attestando una cosa falsa, si deono tenere per falsi ancor essi, e non finti per altro fine, che per levare la famosa badìa Pomposiana alla sede apostolica, e per farla ingiustamente ragione imperiale*. Io quì prego l'oppositore di lasciarsi dire, che s'egli per avventura fosse un di quei valentuomini, che, non ha molto, in Roma stessa fecero tanto romore per difendere gli antichi diplomi, meno a lui, che ad altri starebbe bene il dichiarare oggidì guerra sì fiera agli stessi diplomi; ed ancor questo sarebbe un esempio vivo del girarsi gli uomini secondo il vento della passione, o dell'interesse a sostenere oggi quello, che poi domani si prenderà ad impugnare. Sappia dunque il pubblico, che Arrigo III. in un sol diploma, il cui originale si conserva la Dio mercè nell'archivio

LXIII. Ego tamen suspicor, hunc, ut solet, alucinari. Quid enim quaeso opus est miraculo, ut dilabente anno MI. Ravennae adfuerit Otto Imperator? Re quidem vera ad nos pervenere usque ipsius diplomata non pauca novembri,

chivio Estense, e si farà vedere a chiunque sarà curioso di chiarirsene, confermò nel 1045. i beni, e diritti della Pomposiana, nominandola *abbaciam S. Mariae in Pomposia de antecessore nostro Ottone a Federico Ravennatis ecclesiae Archiepiscopo iuxta utriusque placitum ad imperialem subiectionem concambiatam, ac postea ab Henrico divae memoriae Imperatore Augusto corroboratam &c. & in nos successione imperii, & legali iure haereditatam ad nostrae dominationis manus recepimus*: dal che apparisce, che anche Arrigo il santo avea approvato quel *cambio*. Nel fine così parla Arrigo III. *Eamdemque ab omni subiectione Archiepiscoporum excutimus, ut regalis sit, nulli dominantium personae subiecta; sintque monachi eius ab omni saecularis servicii infestatione securi. Qui de suis, qualem voluerint, Abbatem eligant, ab Episcopo Comaclensi consecrandum, qui si sibi pro pecunia, vel aliqua humana potestate molestus esse voluerit, veniat ad Archiepiscopum Ravennatem, ab eo benedicendus. Et si hoc in isto, quod in priore, invenerit, ad qualemcumque Episcopum desiderat, caussa consecrationis properet &c.* Ecco rinovate in questo diploma le formole del diploma Ottoniano, e quelle stesse appunto, contro alle quali ha fatto una sì disperata critica finora il nostro censore. Arrigo IV. anch' egli in un suo diploma del 1066. conferma lo stesso, aggiungendo: *sintque monachi eius ab omni saecularis servitii infestatione securi. & ab omni angaria sive fodro, tam nostro quamque missorum nostrorum saecularium potestatum cum suis hominibus remoti &c.* Leggonsi pure le sopradette espressioni nel diploma di Arrigo V. del 1114. se non che dopo l' *infestatione securi* seguita ivi: *nullius personae magnae vel parvae, nisi nostrae de placito respondentes, & ab omni angaria &c.* Tralascio gli altri diplomi di Arrigo VI., de' due Federighi &c. nulla di più richiedendosi, per sempre più conoscere certissimo il cambio della Pomposa, e la sostanza, e le formole del diploma Ottoniano, e qual capitale debba farsi degli epiteti d' *indegno*, di *stolto*, e di tanti scherni, e di tante censure dittatorie dell'oppositore; non ostante che egli sappia, o debba sapere, che questi altri diplomi sono sinceri, e indubitati, e non già finzioni, come egli va sognando. Quello che è più strano, avea l'autor medesimo di tali critiche già citato (difesa II. cap. 30. pag. 124.) per diploma sicuro il medesimo, che sopra si è mentovato, dell'anno 1045. dato *da Arrigo III. in Potfelt*, e l'avea anche citato in pruova d'una sua mal fondata pretensione, perchè s'egli vi avesse badato, in esso documento avrebbe letto, che quel monarca conferma al monistero *quicquid sibi iunior Ugo marchio filius Uberti dedit*: il che si adatta non ad Ugo marchese di Toscana &c. Sicchè veggano finalmente i lettori, se all'avvocato della rev. camera si convenga l'arrossire *per parte altrui*, perchè sia stato citato il diploma Ottoniano, allegato già dal Rossi, e uniforme ai susseguenti privilegi, ovvero per parte propria, dopo una sì cieca, e sconvenevol censura.

bri, decembrique mensibus data Ravennae anno eodem MI. e quibus illud satis meminisse sit, de quo paullo ante diximus, penes Muratorium, quod anno, dieque perquam bene cum Pomposiano cohaeret, & *actum Ravennae* vel ipsum fuit. Antiquitatum medii aevi Muratoriana volumina pervolve, & res erit aperta. At at nos & lubenter & facile concedamus eidem, longe tunc Ravenna abfuisse Ottonem. Tolletne continuo grande supercilium censor, tamquam ex tripode prolaturus sententiam in Pomposianum diploma ex eo quod *actum Ravennae* dicatur?

LXIV. Hac in re, ut aliquantisper immoremur, adnotandum nobis est, quod animadvertit olim omnium maximum rei diplomaticae lumen, Mabillonius noster (*a*), discrimen scilicet, quod inter *iussum*, *scriptum*, sive *actum*, & *datum* quam frequentissime occurrit in diplomatibus antiquis, in quibus etiam eae voces explicantur interdum, quemadmodum apud Muratorium (*b*): *datum* XIV. *kalendas &c.*, *actum curtis nostrae Vilzacherae &c. datum* II. *kalendas &c.*, *actum in curte Olonna*. Qua profecto ratione usi sunt doctiores ad annos Christi, Imperatorum, ac Regum una conciliandos, atque indictionem. Res exemplo patebit, quod mox erimus relaturi. *Iussum* tempus designat, quo diplomatis dationem Imperator iusserit: *scriptum*, sive *actum*, quo a notario fuerit litteris consignatum: *datum* denique, quo traditum, indictum, atque exsecutioni mandatum. Diploma recenset Mabillonius ipse *datum*, *& actum in monasterio nostro S. Basoli*, quod & retulere Dummontius (*c*), & Benedictini chronographi in aureo opere *Art de verifier les dates* (*d*). Indicat id profecto scripti diplomatis tempus non aliud a tempore dati, atque porrecti. Haud raro etiam *datum* comperimus exaratum manu reliquo a diplomate diversa: quippe quum factae exprimeret concessionis tempus, illemet, cui tra-

(*a*) De re diplomat. lib. II. cap. 28. num. 5.
(*b*) Antiq. med. aevi tom. V. pag. 236.
(*c*) Corp. diplomat. Ital. tom. III. pag. 321.
(*d*) Pag. 20. primae edition.

traderetur ad manum diploma, minime notarius adnotaret diem. Factum est vero deinde, ut temporis enuntiandi *iussi*, *scripsi*, & *dati* diplomatis sive scribarum ignorantia, sive data opera eorum, exquisitiori cura neglecta, ostendent adhuc chartae istiusmodi chronologicas difficultates, suosque nodos, atque ambages, ad quas explicandas saepe frustra confugimus ad annalium scriptores, quum ne satis quidem nobis aliquando constet, a quo ipsi Imperatoris annum tempore deduxerint, quod etiam eruditus adverterat Schannatius (*a*), illaeque, Mabillonio teste (*b*), & iis in diplomatibus occurrant, quae nullo modo possunt in dubium revocari. Posteaquam itaque inceperint semel notarii illis suo marte vicissim uti, rei diplomaticae magistris percommodum visum est, ac opportunum, quo simul vulgares Christi cum Imperatorum, Regumque annis ad calculum revocarent, adeout par esset eorum ratio, ad diversas hasce, atque confusas a scribis multis in diplomatibus computationes confugere.

LXV. Ne longius autem nostra peregrinetur oratio, exemplo utar uno ex Petro Aloysio de Turri deprompto, homine inter Casinates tum doctrina, tum dignitate eximio (*c*), diplomatis nimirum Hugonis Italiae Regis Parmensi Episcopo dati, quod ab Ughellio relatum (*d*), castigatiusque a Muratorio (*e*), autographum custoditur in Parmensis eiusdem ecclesiae chartophylacio. In eo enim sic legitur: *Quarta idus maii anno Dominice incarnationis* DCCCCXXIX. *regni vero domini Ugonis piissimi regis IIII.* (probabilius III.) *indictione II. actum Papiae*. Iam vero diploma ipsummet antiquo insertum tabularii eiusdem placito hasce praesefert chronologicas notas: XVI. *kalendas octobris anno Dominicae incarnationis* DCCCCXXX. *iussum Papiae*, *&* *actum Parmae*. Anno igitur, & amplius tabulae discrepant, eaedem tamen numero, quarum sive alterutram,

(*a*) Vindiciae archivi Fuldensis diplom. pag. 41.

(*b*) De re diplomatica lib. II. cap. 24. num. 9.

(*c*) In praefat. ad vitam s. Columbani pag. 33.

(*d*) Ital. sacr. tom. 2. in Episcop. Parm. num. 18. pag. 135.

(*e*) Annali d' Italia ad ann. 929.

rutram, sive utramque nullus cordatus homo dixerit confictas. Et profecto repetit omnino discrimen multi nominis Casinas monachus laudatus ab adnotata a nobis superius *iussum* inter *Papiae*, & *actum Parmae* differentia, sibique facile suadet, Papiae scriptum diploma anno Hugonis quarto, sive potius tertio, scilicet DCCCCXXIX., concessum deinde, atque indictum Parmae anno consequenti, non secus atque deinde opinatus est Muratorius suis in Italiae annalibus. Signato itaque a scriba diplomate chronologicis notis factae concessionis tempore decurrentibus, eae praetermissae fuere, quibus anno praecedenti Papiae fuerat exaratum. Nec alia ab ista methodo usus est Muratorius ipse ad quatuor vindicanda Ottonis I. Imperatoris diplomata anno eodem data, ipsaquemet indictione, ac die, longe tamen positis, diversisque in locis. Singula tamquam apocrypha complosisset Fontaninius. Verum qualemcumque potius reconciliationis rationem investigare lubuit Muratorio; adeout in primo sphalma repererit Ughellii, sive amanuensium potius, aut cudentium, qui *Liviae* exaraverint pro *Lucae*, neque illud distinctum ab altero esse diplomate, quod *Lucae* revera datum fuit (*a*). De tertio autem, atque de quarto ea in sententia auctor est, ut propter locorum propinquitatem & Cumas, & Capuam uno potuerit die adire Augustus, nisi etiam *Cumis* a scriba pro *Capuae* positum nomen suspicemur: advertit demum *actum*, & *datum* diplomatum frequens loci, ac temporis designare discrimen (*b*).

LXVI. Fontaninio haec omnia parata esse debebant, ut revera parata erant, ex quibus potuisset arguere, *actum* in diplomatibus saepius non certissime nobis innuere, Imperatores, Regesve tunc temporis reipsa versatos fuisse, ubi data, & scripta illa dicuntur. Qua de re, ut unde est orta, in eodem terminetur oratio nostra, si homini summa auctoritate, & gravitate praedito visum est, miraculum interponendum aliquid, ut ad novembris finem anno MI. Ottonem III. Raven-

(*a*) Annali d' Italia ad ann. 962. (*b*) Ibidem ad ann. 963.

Ravennae comperiamus, quod pernecessarium tamen haud esse, superius a nobis demonstratum est, alterum saltem iactandum non erit miraculum, quo *actum Ravennae* diploma dicatur, esto Ravennae tunc non constiterit Otto.

LXVII. Primi diplomatis Pomposiani editores, Margarinius, Ughellius, aliique ceteri, qui a monogrammate referendo supersederant, plumbeum etiam neglexerunt sigillum e suo adhuc pendens autographo, quod nos circino metiri voluimus, atque adamussim describere. In eo Ottonis III. Imperatoris effigies cum epigraphe litteris grandiusculis latinis AVREA ROMA ex parte altera conspicienda exhibetur, ex postica vero iisdem litteris haec scripta leguntur: ODDO ĪPERAT•R ROMANOR. Huic simile plumbum alio e diplomate pendet, quod Muratorius protulit (*a*), Ottonis eiusdem dato Ravennae anno MI. XII. kalendas maias monasterio Ticinensi sancti Felicis: ex altero etiam anno eodem monasterio sancti Apollinaris in classe Ravennae, quod edidere Mittarellius, & Costadonius (*b*): e tertio denique, quod Gallettius refert (*c*), ipsius Augusti Florentino sanctae Mariae monasterio anno MII. VI. idus ianuarias.

LXVIII. Iam vero ut tandem certos mihi fines, terminosque constituam, haec dicta sint satis de celebri Ottoniano diplomate, quo iniuria freti Mutinenses administri tanto cum plausu Romanae ecclesiae in Comaclense territorium potestatem extenuantes, imperialem contra, quantum verbis eam potuerunt extollere, voluere defensam, amplificatam, atque ornatam. Non absimili etiam ratione, nisi nostra nos fallit opinio, ostendimus, ad Pontificia vindicanda iura nil opus fuisse Fontaninio, in Pomposianum ipsum diploma intemperantius invehi, multoque minus in Pomposianos eosdemmet, quod homo omnium rerum peritissimus paullo fidentius praestitit, illud confictum, apocryphum, ine-

(*a*) Antiq. medii aevi tom. I. pag. 386.

(*b*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 164.

(*c*) Ragionam. dell' origine, e de' primi tempi della badia Fiorentina pag. 151.

ineptum, stultumque, istos falsarios, ambitiosos, atque importunos traducens, vellicans, confodiens. Verum neque hic stetit censoria Fontaninii, qui animi ardore concalescere aliquando visus est nonnullis, subscriptio. Quum enim temperantiae, prudentiaeque specimen, antistes optimus, probe intelligeret, non solum Ottoniani diplomatis seriem, sed ipsissima etiam verba longe ante annum MDLXXXIII. necnon Ceccarellii tempora confirmata ab Augustis Ottonis III. successoribus in suis diplomatibus fuisse, atque repetita, ab Henricis nimirum, ac Fridericis Imperatoribus, in ea quaelibet nimis perfracte haud aequam pronunciavit sententiam decernens, non ab re dici posse, quum rem falsam illud primum diploma Ottonis portendat, vel subsequentia pro falsis habenda, conflataque tantummodo esse, ut nobilissimum Pomposianum monasterium Romanae subduceretur ecclesiae, atque in ius imperatorium novo, & iniusto simul adsciseeretur titulo (*a*). Utcumque minus philosophantem hîc Fontaninium audiamus, demonstratum superius est a nobis perfacili quidem, & perexpedita defensione, nisi omnem tabularum fidem perturbare, & resignare velimus, sarta tecta in Pomposianum monasterium Pontificia iura servata, quin Ottonianum diploma explodere, atque eiicere qualitercumque necessarium videatur nobis; diploma, inquam, illud, quod cum ad Ferrariae urbis, tum ad Romanae curiae tribunalia productum, atque prolatum auctoritatem habere, & omnem fidem prudenter, constanterque iudicatum est a sapientissimis viris, ut acta demonstrant controversiarum, ac litium, quae vel typis publica sunt, vel in sancti Benedicti Ferrariensi tabulario, quod Pomposianum est, diligentissime custodita. Ex quo proinde facile etiam colligere liceat, ne posteriora quidem Imperatorum, ac Regum diplomata, quae & sensa, & verba ipsamet Ottoniani praeseferunt, falsa iudicanda esse, atque conficta, neque ideo tamen aliqua sedis apostolicae iura in Pomposianum mona-

(*a*) Difesa II. della s. sede sopra Comacchio &c. pag. 132.

monasterium macula infici: quae profecto singula clarius elucescent, ubi de diplomatibus illis sermo nobis habendus erit. Interea temporis, exposita rerum istarum terminatione, illud peroptamus maxime ut haec ipsa, quae scripsimus, non solum rata aliis, sed etiam grata, non quod illud nobis polliceamur, longe aliis nostram sententiam excellere, sed quod ea nobis assumpsimus, quae vidimus non solum nostra, sed aliorum etiam iura quodammodo vindicare.

LIBER

LIBER QUARTUS.

I. MIrum profecto est, quantum aerae, quae vulgaris dicitur, saeculo undecimo, quod Pomposiano monasterio omnium nobilissimum habendum est, & consequentibus temporibus maxime memorabile, atque gloriosum, cum sanctitas, pietas, doctrinaque, tum virorum illustrium numerus, ac rerum eximie in eo gestarum copia, tum monasticae demum disciplinae studium, & amor nituerint; adeout pontificiis privilegiis aeque ac imperialibus bene multis ornatum, celebratumque omnium, quae in Italia essent (erant autem & plurima, & maxima) monasteriorum princeps fuerit iure, meritoque appellatum; in quo scilicet qui sacrae militiae sub patris sanctissimi Benedicti vexillis nomen dederint, instituta ipsius adamussim exsequi cordi haberent in primis, eaque pie, inviolateque servare. Hoc profecto uno, tamquam basi, ac fundamento, coetus monasticos semper nomine, opibus, numeroque crevisse comperimus: quae quisquis sedulo vacuus animadverterit, iura, opes, & commoda, quae nostra aetate perquam iis exigua supersunt, si cum antiquis conferamus, & cum amissis, animo minus acri, invidiosoque cernat sane, atque intueatur.

II. Verum quod maximum a Deo optimo datum ad nobilitatem Pomposiae extollendam argumentum illud facile, certoque est, ad Pomposianum monasterium, eo ita sapienter providente, longo temporis intervallo administrandum, gubernandumque divinitus destinatum Guidonem Abbatem celeberrimum, quo faustissimo auspice subsequentibus historiae nostrae libris manum admovemus, qui gesta ipsius egregia debeant omnino complecti. Ne tamen hic lector a nobis plura exspectet, quae de tanti viri singulari quidem vita, meritisque praedicanda essent, quaeque profecto iisdem, quibus solis cursus regionibus, ac terminis continentur: vix enim praecipua eius facinora commemorare nos possumus,

quum ſingula noſtram haud attingerint aetatem, *beati Guidonis*, id nos repetere poſſumus cum altero ex antiquis eius biographis, *viri per omnia egregii vitam ſcripturi lectorem operis huius monemus, ne inter anguſtias incomparabilis per omnia viri merita credat comprehenſa; ſed ex minimis maxima, plurimaque ex paucis coniiciens ſemina intelligentiae nos praebuiſſe legentibus, aedificii magni iecisse fundamenta, non perfeciſſe ſtructuram, virtutumque illius tantum demonſtraſſe inſignia, non virtutes ipſas deſignaſſe per ſingula recognoſcat; ſed ut de eo cuncta non ſcribimus, ita cuncta non novimus; quoniam ſoli Deo ſunt cognita, quo teſte ſolo fecit plurima*.

III. Iam vero Guidonis Abbatis acta ex variis manuſcriptis codicibus triplicia nactus fuerat, recenſetque Bollandius (*a*). Prima deſcripſit Iohannes Gamanſius ex pervetuſto *Paſſionali* in Bodecenſi coenobio canonicorum regularium Paterbonenſis in Weſtphalia dioeceſis aſſervato; quorum auctor anonymus monachum ſe Pompoſianum prodit, & veroſimiliter Guidonis diſcipulum, quum de eo loquatur: *Quoniam de vivente nobiſcum adhuc loquimur, quae vivens egerit, prius eſt, ut dicamus*. Et deinde: *Haec minima ſunt ad comparationem eorum, quae tantum auditu comperimus, quoniam extra monaſterium operatus eſt viro tam magno condigna*. In fine autem: *Quemadmodum multa de eo non ſcribimus, ita cuncta eius miranda non vidimus, qui vel in longinquis fecit regionibus, vel iactantiam fugiens humanis non prodidit rumoribus*. Biographi huius acta poſt Bollandium edidit Mabillonius (*b*), eruditis praemiſſis obſervationibus. Aliam Guidonis vitam teſtis eſt Laurentius Surius (*c*), ex antiquo manuſcripto exemplari habuiſſe ab ſynchrono, uti videtur, ipſi Guidoni auctore conſcriptam, quam in publicam lucem Surius emittens, & ſtilo mutavit, & contraxit; ſed ad primaevum ſtilum revocatam ex manuſcripto Spirenſi edidit Bollandius ipſe. Verum tum Suriana, tum Bollandiana editio

(*a*) Act. ss. ad 31. martii commentar. praevio §. 5.

(*b*) Act.ss.ord.s.Ben. to.VIII.p.447.

(*c*) In vitis ſanctor.

tio imperfecta est, & manca, in qua nimirum multa desiderantur de Guidonis vita, obitu, & corporis ipsius translationibus. Tertiam eius vitam, sive potius compendium ex manuscripto codice Pomposianii monasterii descriptum, atque a Constantino Caietano inter Casinates Abbate satis docto suis cum animadversionibus ad Cardinalem Baronium missum reperit Bollandius Romae in Vallicelliana bibliotheca in codice quodam signato littera *O* inter vitas sanctorum a Gallonio collectas. Cui compendio simile illud est, quod cultioribus verbis historiae suae inseruit Hieronymus Rubeus (*a*), uti adnotaverat etiam Bollandius laudatus, addens, compendia huiusmodi alia in ecclesiae Spirensis libris sacris esse, ex quibus *Breviarium*, uti appellant, iussu Mathiae Romungi Spirensis Episcopi correctum, & anno MCCCCLXXVIII. quo is e vita decessit, sub Ludovico Helmstadio successore editum, & alterum anni MDIX. cusum Venetiis, dicatumque biennio ante Philippo Rosenbergio Episcopo itidem Spirensi, recusum denique Coloniae anno MDXI. Eberhardo Episcopo suffragante, allata praeseferunt compendia cum additionibus nonnullis ad corporis sancti Guidonis translationem Spiram pertinentibus. Varia demum eius elogia Gaspar Bruschius, Guilielmus Einsegrenius, & Iohannes Pistorius in suis de Episcopis, & rebus Spirensibus commentariis inseruere, quos inter Einsegrenius vitam Guidonis sapphico scriptam carmine, & XXXIV., sive melius fortasse XXIV. strophis deductam a Theoderico de Dietzio ludimagistro collegii sancti Guidonis Spirae anno MCLXIX. adiunxit: quod profecto carmen illud censemus, quod incipit: *Surge Spira, & respira*. Haec fere singula reperies in nostro diplomatico codice, in quo Guidonis acta omnia simul colligere, quae quidem sub manu esse potuerint, nos curaverimus, additis tum hymnis in laudem ipsius, quod ex manuscripto codice ecclesiae Pomposianae saeculi XIV. descripsimus, tum integra ecclesiae Spirensis sanctorum Iohannis Evangelistae, & Guidonis liturgia adhibita diebus Guidoni eidem sacris. Guidonis demum vi-

(*a*) Histor. Ravenn. lib. 5.

tae epitomen non unam legere eſt in Recordatio (*a*), in Buccellinio (*b*), in Ferrario (*c*), in Beaumuria (*d*), aliſque, quae minoris pretii ſunt, conſultoque praetermittuntur a nobis, ut ad vitam ipſam contexendam properemus.

IV. Principio quum nemo e biographis ſuis annum, quo natus eſt Guido, recenſuerit, ſupereſt, ut ad calculum vitam ipſius revocantes ex emortuali eius anno ortum coniectura colligamus. Guidonem itaque Pompoſianum rexiſſe coenobium annis quadraginta octo, atque anno MXLVI. aerae noſtrae obiiſſe, luculentus teſtis eſt Pompoſianus anonymus, quo Mabillonius innixus (*e*), & una eruditi plures revera Guidoni annos quadraginta & octo adminiſtratae Pompoſianae reipublicae conceſſere, rem auſpicantes propterea ab anno DCCCCLXXXXVIII. ſive etiam praecedenti. Nihilotamen ſecius ſuperſtitem adhuc ad anni MV. finem in altero hiſtoriae noſtrae libro Iohannem Pompoſiae Abbatem diximus, cuius etiam mortem ad annum ſaltem MVIII. Bacchinius protulerit in ſuo manuſcripto Pompoſiani tabularii catalogo, quum in chartis ipſius anno nonniſi MX. primum occurrat Guidonis nomen. At vero ſatis ſimiliter Guido, uti dicemus inferius, biennium, trienniumve ante Abbas fuit, qua computata ratione obtentam, perduratamque Guidonis provinciam in annos tantum triginta & octo, aut ad ſummum quadraginta conſtabit, modo eam inchoare quis nolit, ex quo fuerit Guido ad Severiani monaſterii Ravennae procurationem a Martino deſignatus. In chronologicis huiuſmodi Guidonis notis animadvertendis nos praeivere aliquomodo Mittarellius, & Coſtadonius (*f*), qui tamen minus recte aſſeruere, Iohannis Abbatis nomen in Pompoſianis monumentis legi ad annum uſque MVIIII., nec perbene etiam dubitarunt, annos regiminis Guidonis non ab obitu Iohannis, ſed ab eo anno auſpicandos, quo ex eremo in Pompoſiam fuit miſſus Guido a Martino; quae res ſi ita ſe haberet, non anni

(*a*) Iſtor.monaſt.giornata V.p.557.
(*b*) Menolog. Bened.
(*c*) In vitis ſanctor.
(*d*) Anno Bened. 31. martii.
(*e*) Annal.Bened.to.IV.lib.54.§.59.
(*f*) Annal.Camald. tom.I.p.209.

anni quadraginta & octo, sed quinquaginta ac duo circiter essent, neque satis concinne a biographo dictum, annis quadraginta octo rexisse Pomposiense coenobium Guidonem, quo ipsum quadraginta & octo annis eo in monasterio vixisse significaret. Difficile etiam nobis persuademus, Guidonis ad Martinum eremitam adventum serius protrahi posse, multoque minus demandatam illi Severiani monasterii administrationem; quorum utrumque, sive alterum suspicati sunt docti Camaldulenses iidem, qui ceteroquin maxime nutantes nobis visi sunt in hisce tuto stabiliendis.

V. Haec enim aiunt ipsi: *Attentis quadraginta & octo annis, quibus rexisse monasterium Pomposianum Guido dicitur a scriptore eius vitae, asserendum foret, praefectum fuisse a Martino circa haec tempora*, hoc est circa annum DCCCCLXXXXVII. *eumdem Guidonem monasterio sancti Severi in Classe, itaut Martinus circa annum* DCCCCLXXXXII. *ipsum ad habitum monasticum susceperit, triennio in eremitica vita erudierit usque ad annum* 995., *inde coenobialis institutionis rudimenta perdiscere cupientem Pomposiam transmiserit. Willelmus autem providenti consilio per singula quaeque illius coenobii officia eum per vices temporum ministrare constituerit, quatenus postmodum confidentius doceret, quod enixius didicisset; non post multum temporis idem Martinus eumdem apud Ravennam coenobium sancti Severi proposuerit, in quo regulariter & ipse vixit, & subditos vivere docuit; brevi tamen hoc est anno sequenti* DCCCCLXXXXVIII. *obeunte Iohanne-Angelo Abbate, transtulerit Martinus Guidonem ad Pomposianum monasterium. Haec scilicet dicenda foret, si quadraginta & octo annis Pomposianam abbatiam tenuit Guido, qui certe obiit anno* 1046. *Verum cum nomen Iohannis presbyteri, monachi, & Abbatis regulae sanctae Mariae in Pomposia (is est Iohannes-Angelus, cui Guido suffectus) constanter legatur in chartulis eiusdem tabularii coenobii sancti Benedicti annis* 1002. *& sequentibus usque ad annum* 1009. *& Guidonis nomen non appareat, nisi anno* 1010. *in dubium venimus notas numericas eius administrationis quod ad Pomposianum monasterium numerare, & loco* XXXXVIIII. *legendum esse* XXXVIII. *annos, vel for-*

te

te XXXXVIII. *annos ipsius regiminis auspicandos esse non ab obitu Iohannis, cui successit in abbatia Pomposiana, sed ab eo anno, quo a Martino Pomposiam transmissus fuit ex eremo ad coenobialis institutionis rudimenta perdiscenda sub Willelmo Abbate. Quare nisi serius postponenda sit monastici Guidonis habitus assumptio, saltem postponendum est demandatum illi regimen coenobii sancti Severi, quod obtinuisse videtur post Bonizonem, de quo agemus ad annum* 1001., *& forsan etiam post Benedictum itidem Abbatem, qui ad partes postea transiit Willelmi Divionensis, & per consequens ad annos proxime antecedentes annum* 1010. *qui fuit primus Guidonis in praefectura Pomposiana.* Haec illi.

VI. Ut autem quod sentimus & nos aperiamus, ut annum, quo natus est Guido, colligere fas sit, res omnis confecta nobis videtur, si semel biographi, sive codicum potius errorem afferamus in numericas notas irrepsisse; adeout non anni XXXXVIII. bene vero XXXVIII legendi sint; de quo sane errore ambigendum nullo pacto est, exquisitiorem velilimus de vita Guidonis chronologiam habere. Eo enim fiet, ut quum certe quidem naturae debitum solverit Guido anno MXLVI., neque ante annum MV. Pomposiae Abbas exstiterit, si eum anno circiter MVIII. electum dicamus, cum cetera de eodem optime congruent, tum illud annorum XXXVIII. spatium emerget. Iam vero antequam Pomposianus constitueretur Abbas sanctissimus Guido, a Guilielmo Abbate Ravennam sancti Severi monasterium administraturus, vel certe monasterii ipsius *Praepositus* eo circiter tempore missus fuerat, quo teste Biographo, Guilelmus ipse *solitariae vitae amore succensus eremum petiit, relicto coenobio*, quod certe ante annum MI. contigisse demonstravimus alibi. Porro antequam Ravennam destinatus fuerit Guido, biennio, trienniove saltem in Pomposiano monasterio versatus est, quum eum *Guilelmus per omnia officia monasterii per series temporum constituerit*, ut ait biographus alter. Ad Pomposianum itaque monasterium a Martino missus fuit Guido anno circiter DCCCCLXXXXV. aut consequenti. Sed praeterea cum ipsomet Martino triennium moratus in eremo fuerat Guido iam cleri-

clericus Roma revertens, quem e patria aufugiens domo petierat ea quidem annorum aetate, qua iam confirmatus, suique potens, nuptiis aptus esset. Reliquum est ergo, ut omnia conferentes simul dicamus, Guidonem natum anno circiter vulgaris nostrae aerae DCCCCLXX. temporibus Iohannis XIII. Romani Pontificis, atque Ottonis I. Imperatoris, quum haud possimus omnino rei huiusmodi tempus accuratius assignare.

VII. *Igitur beatissimus Guido*, ait Pomposianus anonymus scriptor eius vitae, *in suburbanis ortus est Ravennae*, *ab eadem urbe longe lapide decimo villa Casamarensi*, quod & repetit anonymus alter Biographus his verbis: *fuit huic venerabili viro patria eius urbs Ravenna*, *sed natus est in Casamarensi suburbana praefatae civitatis villa*. De hac villa sciscitati diu nos sumus palaeophilos Ravennates, Zinnanium Casinatem, Zirardinium Iurisperitum, Iordanium Camaldulensem, aliosque; sed haeremus adhuc. Testamentum viderat in Portuensi archivo Zirardinius idem scriptum anno MCXVII. cuiusdam Petri Deusdedit; in quo locum testator memorat, qui *Casamarisi* dicitur; sed locum hunc territorii Ravennatis esse, suspicatus quidem ille fuerat, minime autem ex membrana ipsa cognoverat, & vix meminisse visus est, extra Adrianam portam, quae Ravennae erat, ipsum positum indicari, non proinde decimo ab ea urbe dissitum lapide. Meminimus & nos, locum *Casamarisi* in vetusta charta legisse Pomposiani tabularii, quam testis nescio quis *de Casamarisi* subscripsit; quin & in altera anni MCXVII. idibus iunii, ac in altera anni MCLXXXIX. X. kal. maias bona memorantur posita *in loco*, *qui vocatur Casamarisi*, sed locus iste constitutus dicitur in *territorio Faventino plebe sancti Stephani in Panigale*. Iordanus Camaldulensis monachus testis fuit nobis, *villam Casamariensem*, in qua natum Guidonem biographi tradunt, communi calculo haberi oppidum quoddam, quod *Casamurata* in praesentia vocatur, quodque Ravennatis Archiepiscopi beneficium est, sive, ut nunc diximus, *feudum*. Re quidem vera distat locus iste Ravenna

deci-

decimo, aut circiter duodecimo lapide. Nos vero, quamcumque iſtorum habeat fidem aſſertio, fatemur, nil explorati adhuc in hac re comperiſſe, quod Ravennatibus chorographis inveſtigandum lubenter relinquimus.

VIII. Iam vero Guidoni fuit *pater Albertus nomine*, *mater Merocia*, ſeu *Marocia*, quam Surius vocavit *Martiam*, *parentes admodum religioſi*, *nec genere quoque infimi*, ut inquit Pompoſianus anonymus: quin Spirenſia compendia *parentibus quidem nobilibus* Guidonem natum praedicant, quod & Surius repetit, & Bucellinius, & ceteri recentiores. Rubeus ſane illum progenitum ex *Stambiatorum* gente aperte dixit, quem non pauci ſunt ſecuti: undenam vero id rei hauſerit vir doctiſſimus, divinare non poſſumus. Nobiliſſimam olim fuiſſe comitum Guidonum gentem, & ſaeculo decimo, ac ſequenti in primis per quam Ravennae celebrem, certum eſt, quorum meminere ſaepius Petrus Damianus (*a*), & frequentiſſime tabulae penes Rubeum eumdem (*b*), Lamium (*c*), Mittarellium (*d*), & Admiratum, qui gentis ipſius hiſtoriam deſcripſit. Utinam nobis tuto liceret, quod ex nominis ratione, ac patritia gente iure conjectamus, aſſerere, atque monumentis oſtendere, ex gente ipſa Guidonum Guidonem revera noſtrum exortum! At vero de hac re ne multum ſolliciti ſumus, prae oculis illud Lucani habentes (*e*):

Perit omnis in illo nobilitas, cui laus eſt
In origine ſola:

quinimo quum illud ſemel nos propoſuerimus, incerta haud miſcere certis, quumque nos incertos ipſa de re antiqui Guidonis dimiſerint biographi, verbum non amplius addendum cenſemus.

IX. Quod potius noſtra intereſt maxime, illud eſt, penſum in primis fuiſſe parentibus, quibus natu primus erat Gui-

(*a*) Lib. II. epiſt. 9.
(*b*) Lib. V. pag. 278.
(*c*) Delic. erudit. ann. 1737. pag. 78. & ſeqq.
(*d*) Annal. Camald. tom. II. lib. 15. §. 32. pag. 188. & alibi.
(*e*) In panegyr. Piſonis.

Guido, ipsum vel a teneris unguiculis in omni disciplinarum genere instituere: *circa quem*, ait Pomposianus anonymus, *veluti primogenitum in tantum parentum cura propensior erat, quantum dilectio potior: erudiendus itaque liberalibus traditur studiis, in quibus sapientia cum aetate proficiens a puero dignum in se Deo studuit habitaculum praeparare; praeveniebat quippe aetatis profectum sapientiae studiis, & sacra infantia virum perfectum iam spirabat in minoribus annis*. Plaudit cum Pomposiano anonymo alter etiam sui etiam more saeculi ludens in voce *Casamarensi*; ait enim: *natus est in Casamarensi villa, quam a primaeva aetate semper animo vitabat, & mundanarum rerum studio Ravennae vocabat, quod praesago sine spiritu agi non dubitamus, dum huius nominis etymologiam consideramus; hoc namque significabat tunc in persona puerili, quod postea peregit in aetate iuvenili: Casam maris enim, idest huius procellosi, ac inquieti mundi habitationem animo, & corpore respuit, & caelesti philosophiae, quae Christus est, se totum contulit*. Repetunt similia Spirae compendia his verbis: *A parentibus religionis christianae devotissimis dum litteris imbuendus traderetur, adeo profecit, ut non solum in politicis, verum etiam in sacris litteris adhuc adolescens perfectum se virum exhiberet*.

X. *Deinde factus adolescens*, persequitur biographus alter, *mundano ingenio, ac saecularis pompae diverso ornatu pollens, dum mundus eum vellet suae cupiditatis amore per diversa flagitia rapere, & avido gutture in suae malignitatis ventrem immergere, omnipotentis Dei virtus per dona Spiritus sancti menti eius misericorditer influxit, & a tanto eum praecipitio potenter eduxit. Igne igitur Spiritus sancti accensus, superno desiderio repletus coepit terrenis negotiis renuntiare, terrena desideria calcare, quicquid carni blanditur horrere, caelestis vitae dulcedini haerere: saecularem habitum miro ardore mutare cupiebat; sed sciens parentum suorum consensum ad hoc nullo modo inclinari posse, hoc apud se absconsum tenebat*. Parentibus autem ipsis meditantibus nuptias Guidoni parare, suum patri desiderium exposuit aenigmate usus, quod uterque biographus memoriae prodidit,

quorum & verba proferre non pigeat: *Dum itaque*, ait alter, *parentes vellent ei providere de coniugali thalamo*, *& ipse anxius cuperet suum explere desiderium*, *huiusmodi aenigma composuit*, *& patri retulit*. *Duas*, *inquit*, *mihi*, *pater*, *sponsas exquisivi*, *quarum una est potens*, *& nobilissima*, *altera pulchrior*, *at multum ab ea genere*, *& facultate inferior*, *me nimis diligit*, *& suis me complexibus iam constringit*, *totusque labor in eius amorem*, *nisi tua consilia iudicent*, *utiliorem*: *illa vero nobilior*, *& potentissima est mihi difficilis*, *ac nimis ardua*, *& nequit acquiri sine gravis fastidii angustia*. *Quam ego vis*, *pater*, *ut eligam*? Sed & clarius etiam rem proponit Pomposianus anonymus his verbis: *Adolescens vero non suo appetitui*, *sed parentum studio cum serviret*, *saeculo huic*, *& vestibus pretiosis*, *& cultu deputatus a parentibus de nuru suscipienda tractatur*, *quod ab eis dum filio aperitur*, *his fertur tale dedisse responsum*. *Duas*, *inquit*, *iuvenculas*, *ex quibus mihi necessario una suscipienda coniugio*, *propositas video*; *quarum altera & genere altior*, *& specie pulchrior*, *prudentia quoque instructior*, *atque omni simul & morum*, *& vitae est honestate praestantior*, *sed quanto augustior merito*, *tantum quod ad praesens spectat angustior est opibus*, *quae quoque* (*quod satis durum videtur & asperum*) *non viri legibus se subdendam promittit*, *sed virum*, *qui in ius transeat uxoris*, *requirit*, *quodque gravius apparet*, *& arctius*, *nisi spernat ea*, *quae possidet*, *nulli suos promittit amplexus*. *Altera vero longe inferior est prosapia*, *& forma*, *sed affluentium praesentium copia*, *quae me renitentem quoque iam suis blanditiis ilicit*, *& inverecundis amplexibus*, *atque impudicis innectit*. *Ex his quam potius eligam tuo*, *pater*, *committo iudicio*. *Quid hoc problemate providus iuvenis intelligi voluerit*, *satis lector intelligis*, *spiritualem videlicet*, *& saecularem vitam*, *inter quas certum est*, *esse tantam diversitatem*, *quanta inter propositas sponsas apparet varietas*.

XI. Aenigmatis huius sensum haud bene colligens pater, sed verba attendens iussit continuo Guidoni, pulchrioris, nobiliorisque genere adolescentulae nuptias tamquam plenas dignitatis iniri: *Age nunc*, *fili carissime*, aiebat pater, *quia*

quia carnale coniugium (filium) *affectare credebat, nulla pericula, vel fastidia segnem reddant, nulli amores te enervent, vel degenerem prodant, nulla dolorum, vel dotum magnitudo te ab illo nobilissimo, ac potenti thalamo reflectat. Erige animum, suscita ingenium, sume virtutem, operare salutem, collige sensus, proprium corrobora pectus, ut tam praeclari connubii thorum attingas, & fortunatus, gloriosusque exsistas. Turpe est enim, ut pro parvo temporis exercitio tantae potentiae careas commodo, & tam generosi complexus priveris gaudio.*

XII. Quid ad patris consilia animo revolvisset suo adolescens optimus, divina cor ipsius virtute movente, his verbis exponit biographus: *O adoranda virtus Christi! o admiranda immutatio dexterae excelsi! quae cum semper, & in cunctis mirabilis habeatur, nostris tamen temporibus in isto praecipue veneranda praedicatur. Quamquam enim ob virginitatis singulare, aliarumque virtutum privilegium non aequiparemus eum beato Evangelistae Iohanni, quem de nuptiis vocatum legimus* (relicta enim sponsa, Iohannem Evangelistam ad Christum accessisse, plurium veterum sententia fuit, quam rem diserte tractat Bollandus (*a*)) *tamen hunc tam venerabilem, miraeque sanctitatis virum alterum Iohannem, si fas est dici, appellare quodammodo possumus. Miro namque modo verba patris animo figens, eiusque hortatu vires in pectore sumens, tanto nimirum devotius, quanto & divinius coepit illam degenerem, ut fatebatur, sponsam, cuius complexibus iam stringebatur, verbis factisque exsecrando respuere, & ad praeclaras illius generosae ac potentissimae nuptias ardentissimo affectu anhelando tendere; idest mundi gloriam, & voluptatem, quam degenerem, ac miseram, caducam, & invalidam nemo vere sciens ambigit, toto mentis conatu relinquere, & se caelesti sapientiae, & disciplinae, atque exercitio religionis divinae ferventi studio omnifariam coniungere, tantoque aestuabat ardore pro caelestis cultus religione, ut nihil sibi extra eam placeret, nihil in hoc mundo praeter ipsam ambiret, & secundum genitoris sui hortamenta cuncta dura mollia, cuncta aspera levia, cuncta adversa videbantur sibi prospera, & reciproca ratione cun-*

(*a*) Act. ss. ad 8. ianuar. in vit. s. Patientis Episc. Meten. pag. 470.

cta prospera adversa, cuncta levia aspera, cuncta mollia dura. In tali igitur desiderio & caelesti docebatur magisterio: accepta enim, ut supra diximus, patris iussione sub obtentu carnalis coniugii non surda aure auscultat vocem iubentis Domini: qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus (*a*). *Sed esto modo. Quid serve Dei agis? quid alumne Spiritus sancti meditaris? quas cogitationes mente revolvis? Dic, quaeso, ubi sacri pectoris tui consilia recondes? ubi requiesces? super altitudinem, inquit, de qua mihi per Prophetam dicitur*: Sustollam te in superbiam sanctorum (*b*); *quatenus superba cuncta, quibus Deus resistit, ac terrena sic conculcando despiciam, & humilia, quae ipse exaltat, ac caelestia enixe appetam, ut cibari merear hereditate electi Iacob, & dilecti pueri Israel, & videre in superna Sion caelorum dominum nobiscum Emmanuel; ut pasci in montibus, atque aedibus Ierusalem potari merear in rivis, ac fontibus Israel. Quid multa? haec tam sancta sui cordis desideria diu imperfecta esse non patitur, sed comitante Spiritus sancti gratia ita adoritur*. Haec ille indulgens non secus veritati, atque efficacitati.

XIII. Suscepti itaque consilii ordinem biographus persequens ita effatur: *Quadam nocte, quae celeberrima Ravennae Christi martyris Apollinaris solemnitate habetur, sanctus Guido exutus pretiosis, quibus indui solebat* (ut addit Pomposianus anonymus,) *ac pauperibus erogatis vestibus, sordidis quoque, ac vilissimis indutus teguminibus, clam parentibus Ravenna exiit, & mundi dominam, caputque orbis Romam rudis peregrinus abiit.* Decimo kalendas augusti Apollinaris martyr colitur, quo die fugam e patria domo arripuit Guido. Quo vero anno id contigerit, conticuere biographi. Nihilominus haec obvenisse censemus non ante annum vulgaris aerae, quod superius etiam innuimus, DCCCCLXXXX. quum non ante biennium Martinus Abbas, quem non multum posthac adiit Guido, in Pomposianam sese receperit eremum, uti libro secundo demonstratum a nobis est.

XIV. Ubi autem Romam pervenit Guido, *accepto clericatus*

(*a*) Luc. 14. (*b*) Isai. 60. v. 15.

tus honore, *animum induxit properare Hierosolymam ea intentione*, *ut numquam remearet ad propria*, *illic*, *si Christus*, *quem quaerebat*, *annueret*, *domino militaturus*, *dum viveret*. Solemnis illis temporibus mos fuit, & christianae religionis actus, sive limina Apostolorum adire, sive Hierosolymam urbem petere ad sacra invisenda loca, in quibus fuerant humanae redemptionis consumata mysteria, & sacramenta; adeo ut ex ferventioribus non pauci ibidem vitam perpetuum agere antiquo Hieronymi, aliorumque exemplo etiam constituerint. *Satisfecisset* Guido *votis*, *nisi quid aliud de eo Deo utilius providente*, *ab hac illum intentione per revelationem huiusmodi revocasset*. *Admonetur in somnis Ravennam redire*, *atque ibi in vicino sub cuiusdam Martini eremitae disciplina vivere*, *ac domino deservire in quadam insula*, *quam Padus dividit a Pomposia*. De hoc quidem Martino, viro sanctissimo, eiusque rebus gestis actum superius a nobis est in altero huius historiae libro. Divinis itaque iussis continuo stetit Guido, remeansque Roma ad Martinum pervenit, cui *quid esset a Deo monitus*, *quidve suo sedisset animo aperuit*. Non minus latet nos, quo isthaec anno facta sint. At vero quum Guidonis Ravenna fugam, eiusque Romam iter non ante annum DCCCCLXXXX. accidisse diximus, quumque Romae sacris initiatus clericalem capesserit vitam, haec non potúere quidem brevi admodum fieri, sed biennium circiter Romae commoratum Guidonem facile coniectare possumus, ut eum anno DCCCCLXXXXII. nisi antecedenti mavis, vel consequenti Martinum adiisse supersit.

XV. Porro *suscepit eum sanctus vir cum nimio affectu*, & *post exhortationem dulcia verba dixit ei alacri*, *ut semper erat*, *vultu*: *Vis*, *fili carissime*, *habitum suscipere monachicum*? *Cui ille*, *hoc*, *inquit*, *pater sancte*, *meum semper fuit desiderium*. *Coepit autem eumdem venerabilem virum obnixe deprecari*, *ut festinaret illum absque mora monachare*: *timebat enim*, *ne a parentibus exquisitus reperiretur*, & *illecebris mundi iterum servire cogeretur*; *cuius petitionibus vir sanctus non acquievit*, *sed inducias usque mane dedit*. *Acceptis autem induciis in crastinum*, *quid ageret vas egregium*? *numquid poterat manere otiosum*? & *non*

non potius operari aliquid divinum, *& prodigiosum*? *Eia sancte Spiritus*, *magister mirifice*, *artifex efficacissime*, *ostende opus tuum mirabile*, *artem tuam ineffabilem*, *magisterium tuum venerabile*, *virtutem tuam excita*, *miracula tua clarifica*, *thesaurum tuum palifica*. Et profecto *illas inducias tirunculus Christi graviter ferens*, *morae impatiens*, *monachicum habitum induit mane*, *priusquam se Martini conspectibus reddidisset*. In monastica eorum temporum historia non unum est rei huiusmodi exemplum, & Guidonis vestigia in primis secutum deinde fuisse Iohannem Gualbertum enarrat Atto in eius vita. Quum autem de re gesta Martinus leniter Guidonem arguisset, *cur tale quid facere voluisset*, *respondit*, *ulterius sui pectoris ardorem se nullo modo ferre potuisse*. Itaque *mansit in praedicta insula sub Martini imperio per tres annos beatissimus Guido*, *& ab eo*, *quo coeperat*, *mentis fervore proficiens de virtute in virtutem continuis successibus ambulabat*.

XVI. Sed evangelicae perfectionis studio in eo, & ardore percrebrescente in dies, quum tanto sub duce eremiticae vitae instituta mirifice caluisset, probe intelligens dictatum Spiritus almi, virgam directionis virgam esse regni Dei (*a*), vitae etiam coenobiticae rudimenta perdiscere concupivit. Piis igitur Guidonis desideriis obsequens Martinus illum in *Pomposiam transmisit*, *quem iam triennio continentioris*, *& arctioris eremiticae vitae observationibus apud se satis sufficienterque instruxerat*. Ita vero factum est, ut qui monasticis in statutis pluries, quinimo & sextae oecumenicae synodi canone XLI. (*b*) sancitus ordo fuerat, quo monachi, qui in eremum se abdere vellent, per triennium in monasterio una cum coenobitis ceteris degere tenerentur, singulari Dei maximi providentia inverteretur a Guidone, & triennium contra fuerit ipse in eremo moratus, quo coenobiticam deinde vitam profiteretur, Benedictum imitatus monachorum patrem, ac magistrum, qui virtutum sanctiorum, atque perfectionis tramitem ab eremitica auspicatus vita in sacro Specuensi secessu penes locum, qui *Sublacus* dicitur, de cuius origi-

(*a*) Psalm. 44. v. 8. (*b*) Vid. Labb. tom. VII. collect. Concilior. col. 1367.

origine quam maxime eruditam texuit dissertationem Ioseph Maria Puiatius e Somaschensi instituto Casinas monachus sane doctus, & amicus noster, quae lucem publicam exspectat, coenobiticam subinde vitam arriperet Casini, & alios in ea imbueret, atque institueret. Nostris quidem ex calculis allatis superius Guidonis in Pomposiam missio contingere debuit anno circiter DCCCCLXXXXV. quo Guilielmus Pomposiani monasterii *ex Martini consilio* Abbas erat, uti suo loco diximus.

XVII. Ubi vero Guido monasterium fuit ingressus, eum *Fratres in coenobio eruditi ex incultu vestitu, ac temporalium penitus neglectu velut rusticum irridentes futurum sibi Abbatem illudendo praedicabant*. Quippe a primo omnium parentis errore similis sui, in virtutibus utut exercitatissimus, semper est homo, a quo nihil humani alienum putes. At *Guilielmus Abbas strenuus volens Guidonem in omnibus erudire, providenti consilio per singula quaeque illius coenobii officia eum per vices temporum ministrare constituit, quatenus postmodum confidentius doceret, quod enixius didicisset*. Quotidianum enim Guidonis in christianas virtutes studium admirans Guilielmus, & prophetico etiam spiritu intelligens, futurum illum Pomposiani monasterii Abbatem, prae oculis habebat, quod & aliquando admonuit Cicero (a): *Qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est; & qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse*. Et re quidem vera quum iam videretur illud in Guidone quidquid esset, esse perfectum, & habere maturitatem quamdam suam, *non post multum temporis idem Martinus, cui* licet in eremo *providentia Romani Pontificis* Pomposianum monasterium Guilielmi deinde curae ab eo demandatum, *regendum submiserat*, Guidonem *quasi de omnibus eruditum, quae in coenobiis geruntur, ne talentum sibi commissum occuleret sub modio, apud Ravennam coenobio sancti Severi praeposuit, in quo regulariter & ipse vixit, & subditos vivere docuit*. Hoc s. Severi monasterium, quod modo penitus dirutum est, eiusque dumtaxat ecclesia manet, & turris vetustissimae vestigia, Ravennam

(a) De legib. lib. I.

vennam inter, & Classem olim iacebat, cuius originem recenset Agnellus (*a*) circa annum DLXXV., de qua re legendus est Bollandus (*b*) in vita sanctae Vincentiae, quae nupta sancto Severo fuit, & sanctae Innocentiae eorum natae, quorum corpora furtim hinc in Germaniam fuere translata anno DCCCXXXVI. Quandonam vero monachis ecclesia sancti Severi fuerit concessa, haud liquet. Plures monasterii ipsius Abbates, ac inter eos Guidonem nostrum recensent Mittarellius, & Costadonius (*c*), qui de Guidonis designatione loquentes haec scripsere: *Videbimus Guidonem monachum Pomposianum a Martino Abbate Pomposiae electum Abbatem sancti Severi. Quid iuris Pomposiano in monasterium sancti Severi? Martinus nempe Pomposianus non alius videtur fuisse, quam Martinus, qui eodem titulo, quo Willelmus, & Romualdus appellatur eremitarum pater, & doctor a chronographo Sanbenigniano in vita sancti Willelmi Abbatis Divionensis atque propterea sicut Martino Pomposiano subiiciebatur monasterium sancti Severi, ita verisimile admodum est, quod subiiceretur etiam Romualdo*, cuius etiam sub disciplina eo tempore monasterium illud fuisse visum est viris doctissimis, *vel ipsius saltem recepisse reformationem*. Id vero ex eo colligi posse sibi persuadent, quod in vita s. Romualdi Petrus Damianus de Sergio Romualdi ipsius parente enarrat: *Interea*, inquit Damianus (*d*), *Sergius pater Romualdi monachus efficitur, sed aliquanto post, suadente diabolo, factae conversionis poenitens in Aegyptum redire conatur. Quod protinus monachi, coenobii videlicet sancti Severi, quod non longius ab urbe Ravenna est positum, ubi corpore, non corde habitabat Sergius, beato Romualdo indicare per nuntium studuerunt*, qui Cuxanensem in Galliis solitudinem iis temporibus incolebat. *Quid enim*, animadvertunt iidem, *opus erat, ut Romualdus Galliarum finibus evocaretur ad confirmandum nutans Sergii propositum? Non imus inficias arctissimum sanguinis vinculum, quo erat obstrictus cum Sergio Romualdus, magnum etiam nomen,*

(*a*) Vit. Raven. Pontif. part. II. pag. 173.

(*b*) Act. ss. ad 1. februar.

(*c*) Annal. Camald. tom. I. lib. 4. §. 26. ad ann. 982. pag. 149.

(*d*) In vit. s. Romualdi cap. 12.

nomen, quod sibi comparaverat prius in Venetorum provincia, & postea in Catalaunia, cuiusque fama apud Italos quotidie percrebrescebat, existimari potuisse maximo adiumento futura ad emolliendum cor patris; sed neque incongruum est putare, Abbatem, & monachos sancti Severi Romualdi disciplinae obnoxios eum evocasse, quo opem ferret pereunti patri. Utut res enarrata consistat, certum est, quod viri doctissimi allata pro sancto Romualdo coniectura affirmant, pro Martino Pomposiano coaevo utriusque biographi testimonio firmatum iri de sancti Severi monasterio, quod profecto Pomposiano subiectum tunc fuisse iure nemo poterit inficiari.

XVIII. His vero praetermissis, de anno inquiramus potius, quo missus Ravennam fuerit monasterium hocce Severianum administraturus Guido. Pomposianus certe anonymus testis est, id factum *non multo post* quam Guido ipse Pomposiam petierat: petiisse autem Pomposiam Guidonem anno circiter DCCCCLXXXXV. superius diximus. Sed & eum *reverendissimus vir Guilielmus per omnia officia monasterii per series temporum constituit*: quae verba declarant, biennium vix satis ad rem fuisse, quo Guidonem commoratum in Pomposia, atque monastica in disciplina institutum dicamus. Illud autem certum est, Guilielmum eremum adiisse *per idem tempus*, quo Guidonem ipse Ravennam destinarit. Quum itaque id nos factum dixerimus alibi ante annum MI. reliquum est, eam Guidonis missionem anno DCCCCLXXXXVIII. aut sequenti contigisse. Verum quum in Ravennae placito anni MI. de quo plura suo loco disseruimus, Bonizo occurrat Abbas s. Severi, suspicemur necesse est, vel post bennium circiter ad Pomposiam revocatum Guidonem, vel ei certe Bonizonem suffectum. Interea illud non dubitamus fateri, accuratam hic chronotaxin a nobis stabiliri non posse in tanto monumentorum defectu.

XIX. Iam vero extra omnem dubitationis aleam est positum, Iohannis Pomposiani Abbatis, qui subrogatus in locum Guilielmi fuerat, haud amplius reperiri nomen in Pomposianis tabulis post annum MV. Haec, tabulis ipsismet prolatis, adno-

adnotavimus ubi de Iohanne eodem. Ab anno autem MV. ad MX. quae supersunt monumenta nullum praeseferunt Pomposiae antistitem; sed anno hoc postremo primum Guidonis nomen apparet, quem propterea locus est coniicere, Pomposianum fuisse constitutum Abbatem ab Iohannis obitu anno circiter MVIII. iuxta ea, quae superius exposuimus.

XX. Itaque, utroque biographo teste, *Iohanne migrante ad dominum, ipse, cuius vitam, & caussam narrandam suscepimus, hominibus, & Deo dilectus Guido, obnitens quamvis, & invitus, & se indignum proclamans, tamen praecipiente domino Martino, cui a Guidone resisti rationis non erat, cuique iamdudum proposuerat obedire, & in cunctis iussionibus parere, ordinatus est Pomposiae Abbas. Nullo tamen modo colla supposuit, donec ab ipso licentiam abbatiam quandoque dimittendi habuit*. Quam digne autem, atque opportune fuerit Guidonis in Abbatem facta electio, continuo intellexit, expertaque est Pomposia. Longo enim temporis spatio, quo ipse monasterio praefuit, caelestium in eo bonorum copia ita effulsit, ut scientiarum omnium studio mira monasticae vitae accuratio adsciseeretur, monachorumque numerus adeo creverit, qui certatim cuperent sub Guidonis disciplina vitam componere suam. Omnium vero primi ipsi fuere pater, germanusque Guidonis: quum enim de iis, quae obvenerant, fuissent certiores facti, tum sanctitatis Guidonis fama permoti, quasi cervi ad fontes aquarum, statim convolantes in Pomposiam confugere, eoque magistro monasticum amplexati institutum ad obitum usque in suscepto consilio firmi, constantesque fuere: *Post haec autem*, ait biographus alter, *pater eius, cuius supra meminimus, & frater eius Gerardus nomine, eius imitantes vestigia saeculum reliquerunt, & sub eo regulariter multum strenue conversantes Iesu Christo animas reddiderunt*. Haec vero contigisse *eodem tempore*, quo electus est Guido Abbas, luculenter asserit Pomposianus anonymus. Error in Mabillonii typos irrepsit, quum editum fuerit, Guidonis fratrem non *Gerardum*, sed *Germanum* appellatum (*a*): *Sub tanto patre*, dicitur, *multi perfe-*

(*a*) Annal. Bened. tom. IV. lib. 54. §. 59. ad ann. 1018. pag. 261.

perfecti evasere discipuli, *quorum numero Albertus eius pater*, *& frater*, *Germanus nomine*, *adiungi voluere*; quem tamen Gerardum expresse antiqui dixere historici.

XXI. *Crescente igitur*, ait anonymus ipse, *religione monachorum*, *& numero*, brevi admodum tempore ad centum usque eos percensere licuit, quemadmodum testatur Iohannes Laudensis in vita s. Petri Damiani; de Pomposiano enim monasterio loquens, ubi aliquando moratus est Damianus ipse, uti inferius dicemus, ait (*a*): *Illuc enim dirigitur*, *ubi caterva fratrum centenarium numerum ferebatur implere*. Qua de re quum vetus monasterium eos vix, aut ne vix quidem amplius caperet, novi latius patens constructio necessaria fuit, quae Guidonis cura incoepta, perfectaque est. *Eo igitur praesidente*, inquit anonymus alter, *& idem monasterium nobiliter regente*, *aucta regula*, *numeroque monachorum*, *coepit novum*, *quod permanet*, *aedificare monasterium*. Non unis vero monachis parata aedificia huiusmodi censenda sunt, sed hospitibus etiam suscipiendis, qui assiduissime Pomposiam peterent sive circa res suas sanctissimum antistitem consulturi, sive eximias eius virtutes admiraturi, & una castigatam monachorum vitam, sive demum ea ubi tempus usuri hospitalitate, quae a Benedicto legislatore recte commendata monachorum in domibus perpetuum viguit, maxime autem in Pomposiano monasterio, vigetque etiamnum. Supersunt adhuc in Pomposianis tabulis nomina locorum quorumdam, quae in Pomposiano monasterio fuere, & quorum alia ad Guidonis aetatem referenda sunt, alia vero ad consequentem. *Claustrum* in tabulis iisdem frequentissime memoratur. Anno MCCXXXV. *camera Pomposiae*. Anno MCCXXVIII. *camera caminatae Pomposiani monasterii*, cuius & mentio fit annis MCCLXXVII. ac MCCLXXX. *Porticus canivae* monasterii anno MCCLIX. *Caminata Abbatis* ipso in claustro annis MCCXXVI. & MCCXXXVI. quae *nova* vocatur annis MCCXXXIX. ac MCCLXXXIV. *Puteus ante domum Abbatis* anno eodem, & *solarium domus Abbatis*. Anno vero MCCLXXXVI. *camera olei ubi thesaurus monasterii consuevit reponi*. Tum *curia*

Ff 2 *mona*.

(*a*) In fronte oper. s. Petri Damiani, & apud Bolland. ad 22. februar.

monasterii anno MCCXXX. & MCCXXXIV. *Palatium novum Abbatis* anno MCCCIII. *Camera Abbatis* anno MCCCIX. necnon *calefactorium fratrum* anno MCCCXVII. *Claustrum sancti Michaelis* in eodem monasterio annis MCLXXIII. MCLXXIX. & MCLXXXXVII. Demum *caniva* cum *porticu* anno praecedenti.

XXII. In novi autem huius monasterii constructione quantum Guidonis studium affulserit, virtus, ac sanctitas, anonymi satius verbis, quam nostris explanemus: *In quo*, ait, *per eum, & sub eo quae patrata sunt, & patrantur miracula, nostri stili narrare non sufficit copia, sed adminiculante illo*, qui ora mutorum aperta, & labia infantium facit diserta (*a*), *verbis simplicibus, ut possumus, ex multis pauca propalabimus. Dum igitur coepto operi instaret, fratribus aliquando supra murum laborantibus, crates supra modum gravatae petrarum aggeribus, invidia etiam diaboli, absente patre Guidone ruerunt. Ex fratribus autem quidam cadentes nihil mali senserunt, quidam vero praefixis lignis manibus innitentes penduli in periculo remanserunt: quo cognito venerabilis pater cito affuit, & sua illos prece illaesos deposuit. Alia vice supra eumdem murum impositum erat vas ligneum vino plenum ad opus laborantium, quod casu ad terram prolapsum, nec vinum est effusum, nec vas confractum. Cum eidem quoque insisterent operi, coeperunt gravi victus inopia opprimi: sanctissimo vero patre omnipotentem Deum in hoc obnoxie* (*b*) *exorare, & ab eo auxilium, & copiam promittente, quadam die dum nihil eis victus in crastinum remansisset, coeperunt omnes contra eum murmurare, nimisque ei molesti esse: quos ille patienter ferens tolerabat, & qualiter, vel quomodo necessaria emeret cogitabat. Ravennam itaque ad emendum idem ipse dum concitus properat, duas naves non longe a monasterio plenas vino, ac frumento ei obviam Christus praeparat; quibus vir domini inventis, summae Trinitati gratias agens laetus rediit, & cum benedictione illius, qui ex quinque panibus quinque millia hominum satiavit* (*c*), *eos diu, sufficienterque reficiens, ne ulterius diffiderent, admonuit. Quis tanti viri non miretur bonitatem? quis non eius veneretur sanctitatem? vere enim dominus Iesus memor suae verissimae*

(*a*) Sapient. cap. 10. (*b*) Fortasse *obnixe*. (*c*) Ioh. cap. 6.

rissimae promissionis, *qua ait* (*a*): quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, *fidem illius coram diffidentibus aperte remuneravit*, *& famelicos opportune satiavit*. Haec biographus ille, in quem consentit Pomposianus anonymus.

XXIII. Quum itaque radiantibus undique virtutum velut cumulis conspicienda hominibus affulgeret Pomposia, de monachorum commodis augendis, ac opibus munifice, & aeque excogitatum est. Praesto hinc fuere piorum hominum oblationes, largitionesque nec modicae, quantum res posset, nec infrequentes. Superest revera vetusta donatio salinarum cum suis utensilibus singulis in Comaclensi territorio Guidoni facta ab Abrahamo Oddonis filio, & Albigunda uxore Comaclensibus: *Domina sancta & merito ac ter beatissima monasterii sancte Marie*, *qui vocatur in Pomposia in qua nunc Deo protegente*, *& per plurimum tempus in eiusdem monasterii domnus gubernante domnus Guido presbiter & monachus atque Abbas regule monasterii sancte Marie*, *qui vocatur in Pomposia tuisque successoribus in perpetuum nos quidem in Dei nomine Abraham filio quondam bone memorie Oddo & Albegunda iugale donatoris una propter Deum & remedium anime nostre*, *& de quondam supradicto Oddo & Onesta genitori*, *& socris nostri presens presentem salutem magnus donationis sanctarum scripturarum nos ratio premonet illius semperque considerare atque disponere pro meritis celestis retributionis merear promereris credimus sine dubio in evangelica ratione subsequentem lectionem*, *& in hoc seculo centuplum*, *& in futuro eterne beatitudinis vite esse participes*, *qua de re & nos supradictis iugalibus donatoris sicut supra diximus pro remedium anime nostre*, *& de quondam genitoris & socri nostri idest unum logarium salinarum i[illegible]t[illegible]s cum alitis & vasis atque morario suo & cum omni sua pertinentia qua est posita in fundamentum qui vocatur papatiano*. De statu, commercioque per ea tempora Comacli urbis disseruit Muratorius (*b*) inquisitionem referens factam iussu Ludovici II. Imperatoris anno DCCCLI. aut consequenti de iuribus Cremonensis Episcopi in Comaclensium naves per Padum flumen commeantes. Pomposianum hocce monumen-*tum*

(*a*) Marc. 6. v. 23. (*b*) Antiq. med. aevi tom. II. col. 954.

tum antiquitatum huiusmodi studiosis pergratum erit, ex quo magis magisque constet, inter Comacli merces salinas adnumeratas, quas reliqua a Pado circumdata Lombardiae provincia provideret, quod alia etiam donatione firmatur ab Ferrariensi Episcopo Ingone eodem tempore suis factae presbyteris, quam Muratorius laudatus protulit (*a*) iuxta exemplar ex ecclesiae ipsius tabulario ditissimo descriptum ab Iosepho Antenore Scalabrinio eius amico, & olim nostro.

XXIV. Una cum salinis alia etiam bona donarunt illi Pomposiano monasterio: *Et insuper*, *damus*, inquiunt, *donamus tibi supradicto Wido Abbas tuisque successoribus in perpetuum sicut supra legitur idest omnes sortes & portiones nostras intus quantumcumque nobis pertinent infra tota silva que vocatur insula per singulis locis tam terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis rationalibus padulibus piscationibus venationibus capelationibus aucupationibus seu & casalibus arbustis arboribus pomiferis & infructiferis diversisque generibus altum vel planum cultum vel incultum divisis & indivisis vel ubi de nostra iure invenere potueritis supradicto loco qui superius legitur de infradicta istis lateribus que hic subter relegitur inter affines eius hoc est ab uno latere desuper tota ipsa silva ubi reiacet ipsa res que superius legitur primo latere campo qui vocatur de insula & ab alio latere fossula que vocatur Gattula seu a tertio latere fluvio Pado percorrente atque a quarto latere valle de Zenese & calle de Vincarete perexistente in laterculo cum ingresso, & egresso suo & cum omnibus ad supradictas res pertinentibus sive subiacentibus sicut superius legitur*. Firmam perpetuo habere hanc donationem promittunt donatores, poena in semet sancita auri obrizi unciarum sex, adhibitis testibus septem, & usi Lopicino publico tabellione. Litteris consignatae sunt tabulae *anno Deo propicio domini Sergii summi Pontifici & universali Papae in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede secundo regnante vero domnus Enricus Rex in Italia anno septimo die tertiodecimo mense september indictione decima Cumiado*. Haud sibi bene cohaerent, uti apparet, hae chronologicae notae. Sergius Pontifex IV. huius nominis vulgo dictus

(*a*) Antiq. med. aevi tom. v. col.419.

dictus *Bucca porci* Iohanni XVII. suffectus fuit ante XV. kalendas quintiles anni MVIIII. eiusque pontificatus anni II. hoc est MX. Idibus septembribus annus respondet IX. Henrici almi Regis, indictioque octava, aut etiam nona, si eam a kalendis septembris, vel ab VIII. kalendas octobris auspicemur. Difficile divinabit quis, unde claudicarit notarius. Verum quum ad Sergii pontificatum certe quidem sint referendae tabulae, quumque ante XV. kalendas augusti anni MXII. naturae ipse concesserit, ad annum pertinent omnino MX. aut ad summum sequentem. Interea eae sunt, quae primum inter Pomposiana monumenta Guidonis nomen praeseferunt.

XXV. Concesserat anno MI. Otto III. augustus duo Pomposiano monasterio diplomata, Silvestri II. Romani Pontificis utique consensu accedente, atque auctoritate, uti alibi a nobis dictum est. Non adhuc vero Pontificis alicuius proprio fruebatur privilegio Pomposia, quod primum anno MXIII. Guidonis precibus impetravit a Benedicto VIII. Pontifice maximo Ottonis munificentiam aemulante: multa enim ipse monasterio largitus est bona, quae in suo commemoratur diplomate. Ex Pomposiano tabulario ipsum protulit Fontaninius (*a*), sicuti idem fatetur, repetuntque Camaldulensium rerum scriptores (*b*), qui oculis ipsi suis aliquando, quod in praesentia nos prae manibus habemus, autographum conspexerunt. Privilegium inscribit Benedictus Pontifex *dilecto in Domino filio Widoni religioso presbitero & monacho atque coangelico Abbati venerabili monasterii sancte & superexaltate Dei genitricis semperque virginis Marie domine nostre quod dicitur in Pomposa tuisque successoribus Abbatibus vestreque alme congregationi perhenniter in perpetuum*. Maxime convenisse Guidoni *coangelici* titulum, observant scriptores iidem ex eo, quod licet Abbas Pomposiae esset, alios saepius administrandae provinciae subrogaret, quo solitudinem liberius in Dei famulatu incoleret: *qui titulus*, aiunt, *ea ratione Guidoni convenit*,

(*a*) Dominio della s. sede sopra Comacchio par. 1. pag. 395.

(*b*) Annal. Camald. tom. 1. lib. 1. §. 34. ad ann. 927. pag. 43., & lib. 9. §. 37. ad ann. 1016. pag. 379.

venit, *quia licet Abbas esset Pomposianus*, *plures tamen monachos substituebat pro se in regimen abbatiae*, *ut liberius Deo in solitudine vocaret*. Haec autem iuxta ea, quae tradiderat Grandius (*a*), hoc nempe *coangelici* nomen usurpatum eo sensu, quo & *coaevus* dicitur, & *coaeternus*, quae nisi ad alium referantur, minime possunt intelligi, atque explicari, sed duorum saltem consortium necessario requirunt. Verum ante dati huius diplomatis tempus nondum Guido umquam monasterium reliquerat, quod sciamus, & ratio expostulet temporis, nec se adhuc in eremum receperat. Exempla non pauca temporum illorum nobis praesto sunt, quibus eo titulo insignitos tum Abbates, tum Episcopos, tum Romanos ipsos Pontifices, & imo Abbatissas comperimus, quae retulere Mabillonius (*b*), Muratorius (*c*), laudatique scriptores Camaldulenses (*d*) in primis, quaeque huc transferre non vacat. Meminerint lectores, a Petro Damiano (*e*) Desiderium Casinatis monasterii Abbatem *Archangelum monachorum* appellatum fortasse ex prima omnium abbatiali sede, quae illi erat. Ceteri ergo Abbates iure potuere *coangelici* vocitari, non secus atque Episcopi, Romanique Pontifices, attenta nimirum relatione ad alios, qui vel superstites essent adhuc, vel iam decesserint. Nec desunt etiam de Abbatissis exempla, quorum nonnulla nobis depromere liceat ex tabulario monasterii s. Mariae, & s. Gregorii Nazianzeni in campo martio Romae. Nam anno VIII. Iohannis XIX. atque Conradi Imperatoris, indictione XV. hoc est anno MXXXII. pridie nonas martias Theodora *coangelica* Abbatissa monasterii ipsius duabus in tabulis illius archivi vocatur, & *humilis ancilla Dei*. Anno etiam MXLVIII. Henrici Imperatoris II. indictione IX. idem exhibetur titulus in quadam membrana, qua nimirum a Iohanne Leonis presbyteri filio vinea, quae iuris erat monasterii, recipitur.

XXVI. Bona autem monasterio Pomposiano dono collata a Be-

(*a*) De aetate s. Romualdi disser. II. cap. 3. num. 10.

(*b*) In annal. Bened. to. IV. lib. 57. §. 66.

(*c*) Antiq. med. aevi tom. V. disser. 66.

(*d*) Annal. Camald. loc. laud. & alib.

(*e*) Lib. II. epist. 15. & 18.

a Benedicto Pontifice haec recensentur: *In massecella que vocatur materaria & in massa que dicitur caputbovis terram & vineam sicut modo vos tenetis ad iure beati Petri Apostoli, necnon & ripam fluminis Alemonis iuxta massam que dicitur prata extendente ipsa ripa a bigacciolo usque ad campo bedulli & terram & vineam iuxta muros civitatis cum turre umbratica in integrum, & massam integram que vocatur lacus sanctus cum omnibus rebus & pertinentiis suis cum plebe & capellis ac titulis ipsius vocabulo sancte Marie & sancti Martini sancti Petri sanctique Venantii cum piscara que vocatur tidini & fossa archipresbiteri & piscaria que vocatur falce cum loco qui dicitur monticello lacisico cum ripis fluminis Padi & Gauri ex utrisque partibus usque ad mare & a loco Conce agathe ex una parte usque in mare cum loco integro qui dicitur masinzatica inter affines de toto loco ac territorio Masse, que vocatur lacus sanctus, ab uno latere fossa molendini de volta latercli descendente in aquiliolo & a fluvio Tribba usque in Helliam & per paludem usque mediam curbam ultraque curbam usque Padum & ultra Padum ultra Garzium episcopii sancte Comaclensis ecclesie indeque fluvium qui vocatur Cesi, ab alio latere curbo descendente in Concam agatale & per ipsum in Gaurum. a tercio latere palude qui pergit inter rivum Angeli & Masinzatica usque monticello & vedetoza currente in Padum, a quarto latere vacolino & argere malo & calle de Vincareto pergente in laterclum. Insuper concedimus vobis piscariam integram qui vocatur Volanum cum rivo badevino & gavelena maiore ad ipsam piscariam pertinente cum porticellis ex utrisque partibus sicut olim intraverunt in mare eidem similiter pertinentibus*. Haec vero singula continerenturne olim in Ottoniana donatione, an recens potius a Benedicto VIII. fuerint Pomposiano monasterio donata, certo asserere non confidimus: postremum nobis verosimilius videtur. Ad Romanam enim ecclesiam ea loca, & bona pertinebant omnino; nam Pontifex ait: *Cuncta praedicta loca cum omnibus suis integritatibus ac pertinentiis quantum sancte Romane pertinere videtur ecclesie vobis ad tenendum emissa preceptione concedimus inclinati precibus vestris*. Iubet deinde, Romanae ecclesiae, sive *actionariis*, hoc est exactori-

 bus

bus eius, ab ipſo monaſterio annuam ſolvendam eſſe penſionem, *tres* ſcilicet *ſolidos argenteos*. Ad iſta attendens Fontaninius ſupremum arguit in ea loca, in quibus & contineretur Pompoſia, pontificium ius, atque dominium: *Segno evidente*, ait, *della ſovranità pontificia in Comacchio, e nella Pompoſa*. Tantae evidentiae haud acquievit auctor plenae expoſitionis iurium imperialium Ateſtiorumque in Comaclum urbem, Muratorius, atque Ancyranum antiſtitem ſugillare nimia de facilitate non erubuit: *Troppo facilmente*, inquit ipſe, *trova queſto ſcrittore* l'evidenza *nelle coſe, e notizie, che a lui danno al genio. Chiunque mirerà con altri occhi, cioè ſenza impegno d'affetto quella conceſſione di Benedetto VIII. non vi troverà menomo ſegno di ſovranità. Altro non concede quel Papa, che beni ſtabili, maſſe, corti, poderi, e ſimili: il che potea, e può fare qualunque privato. E l'imporre l'annuo cenſo di tre ſoldi d'argento è uno de' triviali coſtumi di chi dà a livello ſomiglianti beni. Sapendo noi poſcia, che la chieſa Romana aveva i ſuoi beni ſtabili cum iuſtitiis ſuis, e gli avea per varie contrade d'Italia, e che li concedeva, e potea concedere ad altri in livello, come mai ſi può quindi inferire, che ella aveſſe dominio, e quel che è più, l'indipendente ſovranità di Comacchio, e della Pompoſa? Ne giudichi il ſaggio lettore*. Iam vero in provinciam haud noſtram hic adducti videmur, quam & ſuſcipere liceret, niſi longius a coepto propoſito deerraret oratio. Illud adnotare nobis ſatis ſit, non unas *maſſas, curtes, agros*, ac ſimilia a Benedicto VIII. donata Pompoſiano monaſterio, ſed & ripas fluminum Padi, Gaurique, & littus maris, & integram *lacus ſancti plebem*, hoc eſt vicum, ſive etiam oppidum, & eccleſias, & denique piſcoſa vada *tidini, falce, atque volanae*. Haecne privatam omnino poſſeſſionem, an ſummum potius praeſeferunt ius, atque imperium? Muratorio certe hic eſt actio, ratioque negativa.

XXVII. In diplomate pro monogrammate eſt *bene valete* Romanis ſolemne Pontificibus, exſpreſſumque ſignis, quae reſpondent prorſus alteri, quod diplomati ineſt ab eodem Benedicto conceſſo anno MXIII. menſe decembri mo-

naſterio

nasterio sancti Severi, *in loco Noceati* penes scriptores Camaldulensium rerum (*a*). Nostrum vero *datum* fuit *prid. non. iulii per manus Dei gratia Benedicti Episcopi Silve Cardinalis ecclesiae, & bibliothecarii sanctae apostolicae sedis ss. s. VIII. PP. anno secundo indictione praedicta* XI. *mense iulio die sexto*; *scriptum vero per manum Benedicti Regii* (*b*) *notarii*, *& scriniarii sanctae Romanae ecclesiae*, quem alium censeas a Benedicto Episcopo Silvae Candidae apostolicae sedis bibliothecario. Annum MXIII. clamat undecima indictio. Plumbum olim appensum membranae deperditum est, quo Benedicti VIII. sigillum conspiceretur; sericus tamen adhuc albus, rubeusque funiculus, cui adfigebatur, nostris temporibus superest.

XXVIII. Sed in superius allatas chronologicas notas animadvertere liceat, eo magis infirmari sententiam eorum, qui ad annum MXIII. Benedicti VIII. electionem consignatam voluere, coriphaeo Baronio, quem iure propterea castigavit Pagius definiens, illam mense novembri anni MXII. praefigendam, quo revera anno ipsam etiam stabilivit Bacchinius (*c*). Duo quidem in Farfensi chronico a Muratorio edito (*d*) documenta occurrunt nobis anno eodem MXII. mense augusto conscripta, quae pontificatus eius annum primum praeseferunt, ex quo ipsi Muratorio licuit colligere (*e*), ante mensem augustum fuisse Benedictum ad cathedram Petri evectum. Tertium deinde diploma Benedicti eiusdem laudatus auctor profert (*f*), Monasterio Farfensi concessum anno MXIII. IV. nonas iunias, quod primum adhuc pontificatus eius annum exhibet. A Pomposiano ergo Benedicti diplomate, quod pridie nonas iulias, ac sequenti die anni eiusdem datum est, quo annus censetur Pontificis, nonne arguere exquisite potuisset Muratorius, Benedicti VIII. electionem inter IV. nonas iunias, ac pridie nonas iulias omnino contigisse?

Gg 2 Certe

(*a*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 212.

(*b*) Lege *Regionarii*.

(*c*) Storia di S. Benedetto di Mantova pagin. 22.

(*d*) Script. rer. Italic. tom. II. pag. 2.

(*e*) Antiq. medii aevi to. IV. col. 796.

(*f*) Ibidem col. 800.

Certe in Pomposiano tabulario concessio emphyteutica quaedam exstat facta a Guidone Abbate Iohanni filio Martini de Magno, eiusque filiis, ac nepotibus, in qua anno MXII. X. kalendas novembris primus indicatur annus Benedicti Pontificis: data est enim *anno pontificatus Domini nostri Benedicti summi Pontificis primo*, regni vero Henrici II. nono, *die vigesimo secundo mensis novembris indictione undecima*, hoc est anno laudato MXII. Sed annum nonum Henrici scripsit notarius pro duodecimo. Verum nobis sese obiicit Ravennatis synodi iudicatum in caussa, quae Abbatem inter Pomposiae erat, & Abbatem alterum sancti Adalberti de Pereo, de quo mox dicemus, quodque pridie kalendas maias datum fuit anno MXVI. quum annum Henrici almi Imperatoris tertium exhibeat, qui imperatoriam coronam receperat anno MXIV. XVI. kalendas martias. In eo autem iudicato pridie kalendas maii quintus supputatur annus pontificatus Benedicti VIII., ex quo maior adhuc in hac re exoritur confusio. Quare dicendum videtur omnino, ad annum MXVII. iudicatum illud pertinere, erroremque proinde irrepsisse in annos imperii Henrici, cuius quartus quidem, minime vero tertius esset recensendus, ne, servatis religiose singulis illis notis chronologicis, Pontificatus Benedicti initium ante pridie kalendas maias anni MXII. anticipare cogamur, atque in Farfensi charta anni praecedentis data IV. nonas iunias annum primum pontificatus ipsius coercere, & alterum reponere. En quas in tenebras, atque ambages nos saepe proiiciat veterum monumentorum contentio!

XXIX. Iam vero inter reliqua a Benedicto VIII. Romano Pontifice monasterio Pomposiano bona concessa *lacum sanctum* enumeravimus supra, & *piscaram*, *quae vocatur tidini*, *& locum*, *qui dicitur monticello lacisico*. Haec ipsamet loca iudicato Nannonis comitis, atque camerarii Henrici Imperatoris monasterio confirmata non multo post fuere. Nam *dum resideret ipse in iudicio*, *& in generali placito accedens domnus Guido Abbas sancte Pomposianae ecclesiae*, *& ostendit ibi praeceptum unum* (hoc est, uti nos quidem opinamur, Bene-

dicti

dicti VIII. diploma) *ubi continetur locum unum, qui dicitur Laco, & Piscaria una, qui dicitur Montone Lassisico & omnibus rebus bus quanta ab ipso Lacu supradicto pertinet, & dixit, quod si aliqua persona esset, quae adversum illum praeceptum aliquid est tranctatum dividere vellet, paratum esset cum eo litem legalier finire, & neminem invenit qui adversus eumdem praeceptum contrarius exsisteret.* Quibus auditis iudices cum Nannone adstantes *dixerunt rectum esse praefatus domnus Comes eumdem Abbatem cum vocatore suo nomine Petro Tabellione . . . praedictum praeceptum investiret, & in centum mancosos aureos eos bandiret. Tunc ipse domnus Nanno comes per fustem qui suis tenebat manibus supradictum Abbatem cum praenominato advocatore suo de supradictis omnibus iuxta praedictum praeceptum eos investivit, & bannum domini Imperatoris super eos misit, ut si aliqua persona esset, que praenominato Pomposiano monasterio vel eidem domno Abbati, aut suis successoribus sine legali iudicio contraria exsisterent centum mancosos aureos componere medietatem camerae praedicti domni Imperatoris, & medietatem praedicto monasterio.* Investitorem denique Nanno concessit Guidoni Guarinum publicum cancellarium, qui eum in praedictarum rerum possessionem, ac proprietatem mitteret.

XXX. Quaenam olim comitum munia fuerint, & quanta eorum auctoritas, erudite disseruit Muratorius (*a*). Sed in primis illorum erat profecto audire, perpendere, & decreto suo componere lites, & caussas, quae de rebus, earumque dominio, atque possessione oriri possent in populo; unde etiam *iudices* dicti fuere, qui nimirum publica instituerent iudicia in *placitis*, queis ipsi statis diebus praeerant una cum minoribus iudicibus non paucis, ac iurisperitis, quos *scabinos* etiam appellabant, quorum consilio tutius decernerentur controversiae, atque in publica redigerentur acta ab adstante notario, seu tabellione. Mensibus maio, ac novembri in Ferrariensi ditione saeculo XII. habebantur huiusmodi *placita*, quod clare colligitur ex antiquo

(*a*) Antiq. med. aevi tom. I. dissert. 8.

tiquo Albini codice, ex quo census exscripsit Cennius (a), quos a Ferrariensi ducatu eodem Romana exigebat ecclesia. *Et omni anno bis, scilicet in madio, & in S. Martino generale placitamentum*. Praesse autem, & imperare uni urbi, eiusque territorio (cui propterea nomen etiam inditum fuit *districtus*, quasi *comitis districtioni*, sive politico regimini, ac punitioni subditum) illustre comitum decus erat. Cuinam urbi praeesset Nanno noster, certe ignoramus. An Comaclo, ubi & scriptum est iudicatum, & *in mansione de Vitali de Gaudiosa* ipse resedit? Si res ita se habuerit, inter Comaclenses comites erit recensendus Nanno. Qui assiderunt iudices plures fuere, Alfredus iudex sacri palatii, Martinus de Papia, qui sese subscripsit: *Martinus apostolicae sedis, & sancti palatii interfuit*: deinde Martinus Ferrariensis, Sichelmus, Garialdus de Ficarolo iudices vel ipsi sacri palatii, Verardus de Copario, Petrus de Comaclo una cum Guarino cancellario, Aunesto praeconario, Lopicino tabellione, qui tabulas confecit, & aliis pluribus, de quibus dicitur: *fulti nobilitatis pollentibus & bone opinionis & laudabilis fama viri qui longum esset ad scribendum*. Pomposiani monasterii aderat etiam advocatus Petrus tabellio. Advocatorum, quos Episcopi, Abbates, ecclesiae, ac monasteria sibi ad rerum suarum tutelam adsciscerent, frequens est mentio in chartis illorum temporum. De iis lege Muratorii dissertationem LXIII. (b) Deligebantur autem ad hoc munus unus, vel plures ab ipsis primum quidem Imperatoribus, deinde vero ab Episcopis iisdemmet, Abbatibus, ac clero ex privilegio, inconsultis Augustis. Itaque Pomposia iam suo utebatur advocato in iudicio; ac litibus, electusne ab Henrico Rege, an potius ab ipso Abbate, definire non possumus.

XXXI. Cum advocato itaque Nanno comes Abbatem investivit per *fustem*, *qui suis tenebat manibus*, ut temporibus illis, quo rei omnis significaretur translata possessio, atque perfectum dominium, adeout nemo in eam manus inii-

(a) Codic. Carolin. tom. II. pag. 235. (b) Antiq. med. aevi tom. V. p. 276.

iniicere auderet ſub *banno*, quod ſanciret iudex, quodque in placito noſtro *centum mancoſos aureos* ſanxit Nanno. *Mancoſos*, ſive *mancuſos* auri, argentive olim uſurpatos invenimus. Si Du-Cangio fides (*a*), atque Hickeſio (*b*) Anglis *mancuſa* idem fuit ac *marcha*. Id vero an Italis etiam, incertum, de qua re iure Muratorius dubitat (*c*), quum in Italicis, quas profert, chartis ingentem compererit copiam *mancuſorum* pro poena ſanciri, quod fieri non facile ſolebat, ubi ſermo eſſet de auro. Anaſtaſius bibliothecarius (*d*) memorat *in auro ſolidos mancuſos numero ducentos*, tum etiam (*e*) de Leone IV. Rom. Pont. ait: *multos ei in argento mancoſos praebuit*. Iſoni magiſtro *philippei* ſunt *mancuſi*; *philippeum* vero *ſolidum* fuiſſe teſtantur Papias grammaticus, & alii. In vetuſtiſſima Ravennate papyro penes Maffeium (*f*) legimus *ſcripto pretio ſolidos mancoſos trecentos*. Muratorius laudatus (*g*) diploma edidit Henrici II. Imperatoris anno MXIV., in quo *mancuſos viginti* cum *ſolidis quinquaginta* comparatos ſuſpicari licet; ſed *mancuſos* illos aureos aequiparari ſolidis argenteis ipſe coniectat Muratorius.

XXXII. Noſtrae demum tabulae datae ſunt anno tertio Benedicti VIII., atque Henrici Imperatoris ſecundo nonis decembris, indictione XIII. in urbe Comaclo, hoc eſt anno MXIV. modo notarii error in annis ſupputandis imperii Henrici animadvertatur, & annus primus numeretur.

XXXIII. Scribebat aliquando Muratorius (*h*), anno eodem MXIV. confirmata Pompoſiae ab Henrico almo fuiſſe omnia bona imperiali fiſco addicta, quae pertinuerant ad Petrum Sororicidam. Nos primo hiſtoriae huius libro diplomatis Henriciani meminimus, atque animadvertimus etiam

(*a*) Gloſſar. med. latinit. ad voc. *Mancoſus*.

(*b*) Ling. veter. ſeptetrion. tom. II. diſſertat. epiſtol.

(*c*) Antiq. med. aevi tom. II. diſſert. 28. pag. 792.

(*d*) In vita Hadriani I.

(*e*) In vita Leonis IV.

(*f*) Stor. diplomat. pag. 175.

(*g*) Antiq. med. aevi tom. II. diſſert. 28. pag. 798.

(*h*) Piena eſpoſizione de' diritti Imper. ed Eſten. ſopra Comacch. cap. 17. lib. 12. pag. 140.

etiam Petri Sororicidae bona, aut eorum partem, quae in Faventino territorio posita erant, obvenisse deinceps Pomposiano monasterio, non tamen ea monasterio donasse Henricum, cuius decreto Petro tabellioni eadem fuerunt adscita. Verum observatum quoque a nobis est, diploma aliquod Pomposiae concessum fuisse ab ipsomet Henrico Imperatore, quo Ottonianum confirmaretur anni MI., ut aperte declarant tum acta Ravennatis synodi MXVI., tum Henrici Germaniae Regis diplomata, quae ad annos pertinent MXLV. MXLVII. & sequentem. Haud tamen exstat temporibus nostris privilegium illud Henrici almi, adeout & desideretur in nostro diplomatico codice.

XXXIV. Bona illa Petri Sororicidae monasterio obvenisse Pomposiano diximus. Et re quidem vera anno ipso MXIV. amplam Pomposia donationem recepit a Petro tabellione eomet, cui collata ab Henrico Augusto Sororicidae fuerant bona, quique non alius profecto erat ab eo, quem Pomposiani monasterii advocatum superius diximus. Is igitur *pro oblatione & remedium anime mee*, ut ipse ait, *& pro salute anime Inrici invictissimi Regis* donat eidem monasterio, *in quo nunc domnus Guido venerabilis presbiter, & monachus, atque Abbas* praeest, plura bona, quae ei obvenerant ex Henrici ipsius munificentia: *quas mihi ovenit*, inquit, *per precepti paginam ab Inrico invictissimo Regi idest medietatem integram de domo una in quo manere viso fuit Sigizo, qui vocabatur de Agatheo* (hic autem pater Petri Sororicidae fuerat, uti constat ex superiori Henriciano diplomate) *una cum Maria hanteriora cognum* * *sua cum omni medietate de mansionibus salariatis seo de vinea & ortis, seo vacuamentis, seo omni pertinentia de capella, que vocabulum est sancti Paterniani sitas in territorio Ravenne in regione sancti Iohannis & Pauli* cum medietate omnium rerum, quas ipse donator habebat in loco, *qui vocatur albarito, qui vocatur de cancellari infra tota plebe sancti Iohannis, qui vocatur in Erziata* *, *& fra tota*

* *Coniuge*.

* *Axiata*.

tota plebe sancti Stephani, *qui vocatur in Colorita*, *& fra tota plebe sancti Martini in Basioni*, *vel infra comitatum Liviense*, *& plebe Loviense infra tota plebe sancti Victoris*, *qui vocatur in Valle*, *& in fundum*, *qui vocatur Corizolo vel quantascumque mihi pertinet tam in ac urbe Ravennate*, *quam & extra* *& omnia medietatem de fundum*, *qui vocatur Cultula* *cum omnibus pertinentibus suis territorio Faventino*, *ac Corneliense plebe sancti Petri*, *qui vocatur in Brusita*. Ad Sororicidam Petrum spectarant ex bonis huiusmodi non pauca, quorum nonnulla indicantur in diplomate Henrici Imperatoris. Donationem suam ratam habere, nec umquam revocare promittit Petrus tabellio sub poena auri obrizi unciarum sex monasterio solvendarum. Chartam conscripsit *Romanus tabellio de urbe Ravenne*, quem & *suum missum* Petrus tabellio appellat, ipsique charte hic subscribit una cum notario eodemmet, & testibus sex, quos inter *Petrus* alter *tabellio*, & *Renatus* itidem *tabellio* Ravennates. Nil haesimus nos, cuinam tabulas istas anno consignaremus: scriptae enim dicuntur *anno pontificatus Benedicti summi Pontificis secundo*, & regnantis Henrici in Italia *decimo die vigesimo sexto mensis ianuarii indictione duodecima sub urbe Ravenne*, anno scilicet MXIV., quo tamen VII. kalendas februarias annus erat XIII. regni Henrici, qui post dies XX. coronam imperatoriam acceperit, & paucos nonnisi ante dies diploma Petro tabellioni de Sororicidae bonis concesserat.

XXXV. Post haec Pomposianum inter Abbatem, & alterum sancti Adalberti de Pereo controvesia exorta fuit de Volanae portus, littorumque adiacentium piscatione. Ottonis III. Imperat. diploma quoddam Adalbertinus Abbas Vitalis protulit anni MI., quod exstasse etiam Rubei tempore, asserunt Camaldulenses scriptores (*a*), *quodque tamen fluminum irruptione irreparabiliter fuit ammissum*. Guido vero noster Pomposianus diploma tum Henrici Regis, tum Benedicti VIII. Rom. Pontificis. De hoc superius diximus. Primum vero, nisi iudicatum sit, quod retulimus, Nannonis comitis, atque came-

(*a*) Tom. I. annal. Camald. pag. 379.

rarii Henrici ipsius, nobis deest omnino, atque deperditum condolescimus. Profecto diploma Pomposiae aliquod concessum ab Henrico almo, manifeste exprimi ab Henrico III. diplomatibus suis supra diximus, in quibus haec ait: *Abbaciam sante Marie in Pomposia ab Heinrico dive memorie Imperatore Augusto nostro scilicet altero antecessore corroboratam*. Haud vero, eiusmodi ad nos usque pervenerunt Henricianae tabulae. Igitur ad Arnaldum Ravennatem Archiepiscopum uterque litigantium confugit, sive ad synodum, quam ipse habuit Ravennae anno MXVI. in qua ab Honesto Ravennate diacono, ab Henrico *capellano* Arnaldi Archiepiscopi, iterumque a Lazaro consule, petente Arnaldo eodem, perlecta illorum privilegia fuere: quae quum in ecclesiae Ravennatis damnum obtenta visa fuissent, atque antiquo diplomati, quod a Benedicto Pontifice Iohannes Ravennas Archiepiscopus impetraverat, contraria, ab Arnaldo, universaque synodo fuere reiecta, atque litigantibus dimissis facta fuit sanctio, ne ullum sibi in piscationes illas ius adsciscere praesumerent, irritis declaratis, & cassis, quae obtenderent ipsi privilegia, quum Ravennati ecclesiae factas donationes infringerent. Benedictus Pontifex, de quo synodus loquitur, vel Benedictus I. fuit Iohaanis III. Archiepiscopi Ravennae tempore, vel Benedictus III. tempore Iohannis VIII., vel Benedictus IV. tempore Iohannis IX., vel denique Benedictus VII. Iohannis Vincentii aetate; etenim hisce sub Benedictis Romanis Pontificibus ii vixere Iohannes Archiepiscopi Ravennates. Sed praeter Benedictinum diploma altero Ottonis III. Imperatoris Ravennas fruebatur ecclesia dato anno DCCCCLXXXXIX. V. kalendas octobris Leoni Archiepiscopo, quod edidere nostris temporibus rerum Camaldulensium scriptores (*a*), in quo nimirum Augustus inter plura Ravennati ecclesiae bona concedit *portum Volanae cum piscariis suis usque ad portum Cervie*. Huiusmodi repetitas pluribus vel eodem saepissime tempore ab ipsomet donatore rerum

(*a*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 155.

rerum earumdem conceſſiones multarum fuiſſe controverſiarum cauſſas, alibi animadvertimus.

XXXVI. Synodum hanc Ravennatem iidem edidere auctores (*a*) hiſce cum chronologicis notis: *Anno Deo propitio pontificatus domni Benedicti ſummi Pontificis & univerſalis Pape quinto*, Henrici Imperatoris *anno tertio die trigeſimo menſis aprilis indictione quartadecima Ravenne*. Si falſus non ſit pontificatus Benedicti annus, electus ipſe fuerat Pontifex ante pridie kalendas maias anni MXII., quemadmodum ſuperius adnotavimus. Synodo interfuere Epiſcopi Ravennatis eccleſiae *ſuffraganei* (uſurpata in re nova novo verbo, quod veteres quoque probarunt, ut olim obſervavit etiam Paullus Manutius (*b*)) Petrus Hadrienſis, Rodulphus Livienſis, Marnacius Caeſenas, Leo Ficoclenſis, Theopertus Populienſis, ... ndus Faventinus, ... Placentinus, Paullus Cornelienſis, & Iohannes Comaclenſis. Petrum Hadrienſem omiſerat Ughellius, ſed addidit in ſupplementis Coletius, memoratque Silveſtrius (*c*). Rodulphum Livienſem ignoravit omnino Ughellius ipſe, tum recentiores. Marnacius, ſive Manaccius, aut Marinacius Caeſenas Epiſcopus Ughellio notus, & aliis anno dumtaxat MXXVI. non ſecus atque Iohannes Comaclenſis, de quo alibi dicemus. Leonem Ficoclenſem nonniſi ex Rubeo detexere anno DCCCCLXXXXVII. & ex Romana ſynodo annis MXVII. ac MXXVIIII. qui certe quidem ad annum MXXXV. vixit. Theopertum vero Popilienſem haud agnovere poſt annum DCCCCLXXXXVII. Placentinus Epiſcopus, qui omnium primus ſubſcribit, cuius & nomen in lacuna omiſſum fuit a Camaldulenſibus ſcriptoribus, Sigefredus eſt, qui etiam alteri interfuerat Ravennati ſynodo anno MXIV. convocatae. Paullum denique Cornelienſem retulerunt Ughellius, & alii ad annum MXXVII. Poſt Epiſcopos clerus Ravennas ſynodo ſubſcribit, Sergius nempe archidiaconus, Iohannes archipresbyter, Theobaldus presbyter cardinalis, Honeſtus levita, Azo diaconus, Vitalis presbyter, & praepoſitus Ravennatis eccleſiae.

 Sub-

(*a*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 217.

(*b*) Act. II. lib. II. in Verrem.

(*c*) Delle paludi Adriane pag. 156.

Subsequuntur Abbates Deotmarus Abbas sancti Apollinaris in Classe, Laetus s. Severi, Petrus s. Mariae in Uriano, Andreas s. Vitalis, Wido Pomposiae, Andreas s. Laurentii in Caesarea, & Vitalis s. Adalberti. Laici demum subscribunt, quorum synodo adstiterant plures una cum aliis clericis, presbyteris, & monachis. Sed de hac synodo satis. Quid vero de portu Volanae ab Archiepiscopis Ravennatibus pro Pomposiano monasterio factum deinceps fuerit, videbimus infra.

XXXVII. Anno etiam eodem MXVI. fundum Bauriae in comitatu Ferrariensi idem possedisse monasterium constat ex membrana scripta, uti quidem videtur, circa annum MCLXXX. in qua directum ius monasterio ipsi asseritur fundi illius, quibusdam exceptis partibus; dicitur enim ibi Guidonem nostrum multa locasse: *quam locationem ipse fecit* (Guido) *sup* MXVI. *indictione* XIIII. *de medietate fundi Baurie cum confinibus suis infra quos nunc possidemus. Postea vero eodem anno idem Abbas locavit octavam partem eiusdem fundi cum eiusdem finibus.*

XXXVIII. Interea bonis undique in dies aucta Pomposia, & opibus, mirifica etiam nominis celebritate florebat, quum religio, pudor, verumque, fidesque, ac virtutes reliquae eo in monasterio propriam sibi sedem statuisse viderentur ex eo potissimum, quod Guido Abbas *in divinis rebus super omnia strenuus*, ut biographus alter loquitur, exemplum omnibus curaret ut esset ad imitandum propositum. Sed biographorum verbis uti non pigeat: *Dum praefatum monasterium*, eorum alter ait, *sanctis studiis, & exercitiis praenominati patris succrescens floreret, omnique copia, & divitiarum largitate abundaret, monebat ille sanctissimus subiectos dulcibus verbis, & informabat illos virtutum suarum exemplis, divinisque eos hortabatur praeceptis dicens cum Psalmographo* (*a*), *ne divitiis cor apponerent, cum Apostolo* (*b*) *ne curam carnis in desiderio facerent, & cum Ieremia* (*c*) *ne diem hominis concupiscerent. Ille quippe diem hominis concupiscit, cuius animus ad sola carnis oblectamenta inardescit: ille diem hominis concupiscere probatur, qui cibi potusque ingluviem assidue sectatur: ille diem hominis concupiscit, cuius renes, cuius-*

(*a*) Psal. 61. v. 10. (*b*) Ad Titum 3. v. 3. (*c*) Hierem. cap. 17. v. 16.

cuiusque cor ad libidinis, ac luxuriae voluptatem per crapulam, & ebrietatem ignoscit. Pomposianus vero anonymus haec de Guidonis virtutibus ad rem scribit: *Habebat vir sanctus hoc divinitus providentiae donum, ut si provenirent in monasterio adversa, non fortuito casui, sed alicuius delicti caussae, & ob hoc Dei iudicio deputaret, unde imminens saepe, futurum nonnumquam periculum evadebat. Animi vero fortitudo, mentisque robur in eo quoniam maximum fuerit ex eo dignoscitur, quod nullis umquam fractus incommodis, nullisque carnis cessit illecebris. Temperantia quoque tanta in eo erat, atque modestia, ut aliquibus non insolesceret successibus; ab omnibus vero, quantum est homini possibile, excessibus temperaret. Frugalitatem vero in eo laudare, vel continentiam quis digne posset? cum tanta fuerit, quantam de veteribus sanctis plus nullus habuerit, si de cibo, vel potu dicitur, cum comedens semper esuriret, ac bibens sitiret, &, ut aliter dicatur, comedens non comederet, bibens non biberet. Si de parvo peccato agitur, id semper cavebat, ne de se diceretur: maledicti qui declinant a mandatis Domini* (a). *Supponens denique carnem spiritui spiritum vero divinae subiiciens virtuti, ex quo Christi militiam professus est, non se terrenae subdidit voluptati. Quam castus, & integer corpore, & ab his etiam vitiis, quibus minor aetas implicari solet, immunis fuerit, manifestum est. Iustitiam vero, quae omnium mater virtutum, & caussa est, sic in omnibus assecutus est, ut cunctis prodesse, nulli umquam voluerit obesse. Prudentia autem in tantum praeditus fuit, ut quandoque nequiverit ab alio decipi, nolueritque decipere quemquam. Vir Deo plenus sic vallatus fuit bonarum virtutum studiis, ut veniens princeps mundi huius suae perfidiae in eo non inveniret vestigium*. Quid igitur mirum, si qui in Pomposia degerent inspicientes tamquam in speculum vitam Guidonis, fugientesque convictum humanum & societatem in solitudine carentes omnium colloquio, tam longe nihilominus lateque collucerent gravitate morum, abstinentia, haud interrupto silentio, assiduisque ad Deum precibus, quas sponte exquisita flagella comitarentur, adeout verbo Pomposia exemplar antiquae

(a) Psalm. 118. v. 21.

quae religionis evaserit, qua olim floruerant Thebaidis, Nitriae, sive Palaestinae desertissimae solitudines? Semper in eorum animis placidissima pax erat, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio, & unum cor, quum unus esset cordium singulorum gubernator, & arbiter Guido. Divina lex, institutaque Benedicti legislatoris sanctissimis viris tutissima erant norma, ad quam actus componerent suos, gressus dirigerent, & ipsa sapientes moderarentur cogitata.

XXXIX. Quo vero perfectioris vitae apicem attingerent Pomposiani, sensuumque facilius appetitus coërcerent, quum a vini, & carnium esu, non secus atque consuetudo ferebat, & lex celebriorum, sanctiorumque monasteriorum, perpetuum abstinerent, eos hortatus est Guido, praescripsitque, ut lunae, mercurii, ac veneris diebus numquam usus piscium foret, sed rigidius servaretur ieiunium, uno vix pane, & aqua adhibitis, vel paucis ad summum insuavibus herbis. *His itaque*, ait biographus, *aliisque eius mirabilibus hortamentis se unusquisque submittebat; ut enim cuncti monstrarent, quod admonitionibus pii patris de non apponendo cor divitiis gratanter obtemperarent, cum maxima diversorum piscium copia abundarent, iussu eius, atque communi sponte decreverunt tribus tantum diebus manducare pisces*. Quod Pomposianus anonymus repetit his verbis: *Abbas igitur Guido, cuius omnis vita a cibis, & vitiis simul continentia continua erat, in altero homines supergradiens, angelis in altero se comparans, statuerat aliquando, ut in monasterio secunda, quarta, & sexta feria fratres non comederent pisces*. Quippe solliciti magis in caelestibus assidue meditandis, quam in corporeis inquirendis commodis, atque deliciis erant Pomposiani, quo vetus illud per eos proverbium staret: *Pallor, & macies decus est monachorum*, illud adamussim exsequentes, quod scripsit olim Iohannes Chrysostomus (*a*): *Iam hic illi, quae ad regnum caelorum pertinent, meditantur.... sed quasi angeli in caelo degunt*.

XL. Ne autem subdubitet quis, isthaec nos quasi laudato-

dato-

(*a*) Homil. 78. alias 79.

datores temporis acti amplificare, atque ex propensiore in maiores voluntate nimios nosmet prodere in decernendis honoribus, & tamquam prodigos. Ut res enim quammaxime clara, atque testata esse possit in ius Gebehardum Ravennatem Archiepiscopum, atque Petrum Damianum voco, biographorum Guidonis testimonia in forum defero, qui ipsi coaevi, & certe alter illius discipulus; Guidonem Aretinum perhibeo, litteris datis ad Michaëlem Pomposianum monachum, ex quibus etiam Mabillonio arguere licuit (*a*), quam austerioris vitae studium in Pomposia vigeret. Haec inferius clariora fient. Sed quid plura? Praesentissimum argumentum sint adiecta miracula, quae divina patrata sunt virtute in Pomposia a Guidone, quorum nonnulla memoriae prodidere laudati biographi, quaeque hic recensere verbis eorum ipsissimis grave non sit: *Quodam tempore quidam idiota frater nomine Martinus defunctus est apud quamdam ecclesiam infra ipsius insulae silvam constitutam, quae a praefato coenobio plus minus octo milliaribus distat. Adductus autem ad monasterium post peracta, ut moris est, defuncti obsequia, post missarum completa solemnia, defunctus revixit, & voce continua sanctum Patrem adesse deposcit, qui adveniens diligenter exquirit, humiliterque, ac trepide rogat, ut enarret, quae vidit. Qui dixit: loca tormentorum terribilia vidi, & multos ibi meos propinquos, & notos cognovi, cumque ea tremens inspicerem, apparuit mihi quidam pulcherrimus vir stola candida indutus, ac mirabiliter tiaratus, in una manu virgam, in altera quasi favum mellis gestans, quem mihi porrexit, atque comedere iussit; quem ego territus dum renui, iterum iubet, ut comedam, admonetque ne timeam. Cui ego: Quis es, Domine? Scias, inquit, me esse Michaelem Archangelum, atque ad tuum modo directum solatium. Quod audiens mox pavorem mutavi in securitatem; quam cum comedissem, iussit me ad corpus redire, triduoque in eo tantum manere. Per triduum ergo, quo supervixit, se illius favi saporem in ore habere dixit: post triduum vero, accepta patris sanctissimi benedictione, iterum obdor-*

(*a*) Act. ss. ord. s. Bened. tom. VIII. pag. 448.

dormivit in pace. Martinum hunc, qui certe e monasterio eremum petierat, *idiotam* appellat biographus. Non infrequens est iis temporibus monachorum, qui *idiotae* dicerentur, mentio, ex eo vero satis similiter *quod essent illitterati*, ut Mabillonius ait (*a*). Videntur etiam propterea laici fuisse, minime autem clerici, nec fortasse longe ab iis diversi, qui nostra aetate monasteriorum designati servitiis, ac veste iis propria contecti *conversi*, *commissive* assolent appellari, quorum ignota origo; de qua tamen re peculiarem contexuere dissertationem prae reliquis rerum Camaldulensium saepius laudati scriptores (*b*).

XLI. *Per idem tempus*, subsequitur biographus, *alter frater nomine Bertholdus cum propinquus morti magnam in exeundo ex corpore moram faceret, & angustia suae conscientiae torqueretur, benignitate Dei, & beatissimi patris Guidonis oratione ad se reversus, & a fratribus, quid in tanto agone vidisset, interrogatus respondit: vidi daemones adversum me saevientes, & unius delicti mihi caussam apponentes. Et fratres inquirunt, quam? Tunc ille: Unam solummodo, inquit, incantationem in saeculo didiceram, quam non operatus sum, & etiam memoria exciderat: hanc solam mihi terribiliter opposuerunt, sed virtute Christi, atque oratione sanctissimi patris Guidonis, ac vestra superati tristes recesserunt: moxque ut benedictionem accepit in pace continuo perpetua quievit*. Haec vero singula repetit Pomposianus anonymus, qui & alia addit, quorum mentio inferius fiet a nobis, testatus tamen etiam, multa esse, quae ipsius notitiam, & memoriam fugere, exque paucis, quae scripsit, plura coniicere posse lectorem.

XLII. Quum itaque in Pomposiano monasterio certatim virtutes succrescerent, & vita ageretur in eo, quae omni turbido motu semper vacaret, opportunum tandem visum fuit Guidoni, illud exsequi, quod iamdiu animo revolverat suo, imo ipso provinciae suae exordio fuerat meditatus, scilicet ut Martini, & Guilelmi vestigia prosequens, quo-

(*a*) Annal. Bened. tom. IV. lib. 50. §. 12. pag. 54.

(*b*) Annal. Camald. tom. I. in append. pag. 337.

quorum ille in eremitica, hic in coenobitica vivendi forma eum instituerant, posset ipse per temporum intervalla, coenobii dimisso regimine, alterique concredito, in eremum aliquantisper confugere, ubi, negotiis valedicens omnibus, & curis reliquis, Deo destineretur omnino, divinisque rebus, atque aeternae vitae commentatione, ac meditatione: *Regebat vir providus*, ait laudatus anonymus, *monasterium suum*, *subrogatis per temporum vices*, *quos e subditis elegerat*, *Abbatibus aliis* *Porro ille*, *qui optimam partem elegerat*, *inseparabiliter Christi pedibus adhaerebat*, *nunc orando colloquens cum Deo*, *quae sua erant*, *Domino referebat*, *nunc psallendo verbum ex illius ore audiebat*. *Habitabat in silva longe a monasterio milliariis tribus*, *ut vere de eo dici posset*: & erat cum bestiis silvarum habitatio eius (*a*). *Et cum omni tempore ab his quae necessaria sunt corpori abstineret*, *in diebus tamen duarum quadragesimarum tanta cibi*, *&* *potus abstinentia*, *tanta virgarum caede*, *ac vigiliarum instantia corpus debile macerabat*, *ut*, *excepta morte*, *nihil tormenti amplius posset inferre nolenti persecutor crudelis*, *quam volenti sibimet inferebat ipse vere felix*, *vereque Christi fidelis*.

XLIII. Ecce Guidonem sponte flagellis in se saevientem, quae virgarum fascibus, scopisque, sive loris, ferreisque exercerentur radiis, quaeque vulgari, ac metaphorica voce *disciplinam* dixit Damianus. Semel pervolvatur Romualdi, Riccardi Vertunensis, Isemberti Rothomagensis, Theobaldi eremitae, Rodulphi Eugubini, aliorumque sane plurium acta, qui saeculo XI. sanctitate, ac vitae austeritate quammaxime coruscarunt, & noverimus profecto, quam late consuetudo vigeret adhibendi flagella huiusmodi, aut aliquando etiam non longe ante obitum ea sibi ab aliis ut infligerentur, deposcendi: quod non solum a sanctissimis monachis factum, sed a mulieribus quoque, testis est Damianus(*b*), qui ipse, & eo cum Dominicus Loricatus habiti quidem a nonnullis sunt rei istius primi auctores. At ipsos praei-

Tom. I. Ii vere,

(*a*) Daniel. 4. (*b*) Lib. I. epist. 19.

vere & Romualdus in Camaldulensi eremo, & Guido noster in Pomposia, & Poppo Stabulensis in Germania Abbas: quinimo Regino Abbas Prumiensis in culparum animadversionem, & castigationem saepissime *plagas*, sive *percussiones* iubet adhiberi. Et Guidonis eiusdem biographus testatur, absente aliquando Abbate, monachis praeter Pomposiae usum indultum, ut piscibus die uterentur interdicta, quo redeunte, culpa fuit virgarum ictibus vindicata. *Hoc statutum*, ait, *cum absente Abbate prioris permissu die quadam transissent, illico factum culpabile poena secuta est: porcorum quippe monasterii grex per silvam diffugiens per dies quindecim inveniri non potuit, donec Abbatis adventu transgressio correcta est, ac culpa correpta, etenim interdictorum usus abstinentia licitorum deletur; & appetitus carnalis correptione castigatur virgarum. Sicque peccatum poenitentia condonatur, poenitentia indulgentia muneratur, quod porci satis demonstrarunt, cum de silva mox, qua fugerant, remearunt.* Flagellorum itaque usum multis in monasteriis iamdiu invaluisse non tamen satis frequenter & verosimile est, & prodidit etiam Damianus his verbis (*a*): *Ante nos omnibus fere sanctis monasteriis haec disciplinae regula nequaquam fuit incognita, etsi non adeo frequentata; unde & singulos annos millenis scopis redimere consueverunt.* Quapropter, ipso fatente Damiano, non is primus *disciplinae* auctor, & parens, sed una cum Dominico Loricato propagator potius, & vindex (*b*). Quum enim iam tunc impugnatores haberet, & hostes neque paucos, neque indoctos hic poenitentiae modus, qui tamquam inauditus, & novus sanctis legibus adversaretur, obstitit Damianus quamsaepe, & vehementes rei ipsius, atque suimet apologias contexuit (*c*). *Hoc disciplinae genus*, scribebat aliquando ad Petrum Cerebrosum monachum, qui institutum damnabat (*d*), *nequaquam modernis est studiis noviter adinventum, sed ex sacrae scripturae potius auctoritate prolatum*: adductisque ad rem multis ex verbo Dei

(*a*) Lib. VI. epist. 27.

(*b*) Vid. Annal. Camald. tom. I. lib. 10. §. I. ad ann. 1018. pag. 387.

(*c*) Lib. VI. epist. 30.

(*d*) Ibid. epist. 27.

Dei testimoniis, addit: *Porro & sancti canones nonnullos, qui delinquunt, vapulare praecipiunt sed dic, obsecro, frater, ut cum pace tua loquar, detestaris illas, quae ex more fiunt in capitulo, disciplinas? damnas fortassis & hoc, quod saepe fratri de levi qualibet offensione confesso vicenas fortasse, vel, ut multum, quinquagenas verberum plagas subire praecipimus? Sed quia disciplinae istae ad tolerandum leves sunt, & exiguae, atque inter fratres reguraliter assuetae, praecipuum est, quia non derogas, non reprehendis, ne contra communem sancti ordinis consuetudinem venire videaris.*

XLIV. Institutionem hanc & nos veneramur, atque amplectimur antiquitate innixam, pioque, & constanti ecclesiae usu comprobatam. Unum in hac re illaudatum nobis est, si quis nimio abreptus zelo perpetuis ictibus excarnificatus, atque confectus abeat fere ad internicionem usque, vel ad ce[illegible]s morborum caussas procreandas, concitandasque: id e[illegible]im & ipsa ecclesia factum vituperat, damnavitque iure aliquando phanaticum errorem in quadam sic dicta *flagellantium* secta, quae saeculo XIV. plurium Italiae urbium pernicies communis erat, peritura, pestis. Quinimo & Damianus idem, qui singulari sibi, [illegible]liisque nonnullis virtute, quam admirari possumus, tam immaniter quotidie in semet saeviebat, non semel tamen suam hac de re sententiam aperuit. Nam scribens ad eremitas congregationis suae (a): *non ignoret sancta vestra dilectio*, ait, *dilectissimi, quoniam disciplina ista scoparum, cui tam ferventer insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere. Propterea scilicet corpora vestra viribus effoeta deficiunt, & aliquando, sicut a quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt, nimirum cum nonnulli vestrum unum continuum, vel etiam duo psalteria quotidie cum disciplina decurrat. Huc accedit, quia plerique fratres venire volentes ad eremum, cum haec audiunt, perculsi formidine deterrentur. Et quia disciplina durior creditur, quam sentitur, & austerioris est formidinis, quam doloris, cum eam apud vos tam longam fieri fratres quique debiles audiunt,* medul-

(a) Lib. VI. epist. 34.

medullitus expavescunt, & ab accessu protinus eremi revocantur. Quamobrem adhibito discretionis moderamine, constituimus, ut ad disciplinam sibimet ingerendam nullus in eremo compellatur; quem vero sanctus ad hanc fervor impellit, per quinquaginta psalmos in unoquoque die disciplinam sibi facere liceat, ita dumtaxat ut quadragenarium hunc psalmorum numerum non excedat. In duabus autem quadragesimis, quae videlicet natalem Domini, vel sacrosanctum pascha praecedunt, usque ad sexaginta psalmos cum disciplina procedere liceat, neque hanc mensurae, quam praefigimus, regulam temeraria, quod absit, quisque praesumptione transcendat. Hoc itaque modo non, quod bonum est, tollimus, sed, quod est superfluum, coërcemus, nec salutem suam fratribus invidemus, sed mensuram discretionis indicimus, circa quam licet utique, si velit, affligi, ultra vero non erit licitum progredi. Et hoc facientes non quasi nostrae usurpamus auctoritatis arbitrium, sed divinae legis imitamur exemplum. Divina deinde auctoritate ex deuteronomii capite vigesimo quinto prolata, epistolam hisce verbis concludit. *Hanc igitur, dilectissimi, faciendae disciplinae tenete mensuram, spiritum potius scopite, ceteris bonis operibus vigilanter insistite, ut remunerator ille summus transitorio labori vestro sine fine manentia dignetur praemia compensare.*

XLV. Quandonam vero in eremum Guido secesserit, incertum nobis est. Illud unum ab eius biographo novimus, ubi id factum ab eo, alteri demandasse provinciam administrandam, in quem & ipsam Abbatis dignitatem, & nomen, omnemque iurisdictionem, quamdiu ad monasterium reverteretur, transtulerit. Ad hoc munus primus, quem elegit Guido, fuit Vitalis, teste eodem biographo, qui ait: *Subrogatis per temporum vices, quos e subditis elegerat, Abbatibus aliis, quorum primus fuit Vitalis*, cuius scilicet vix nomen ad nos pervenit, sed eius hoc elogium unicum, & maximum, neminem unum Guidonis iudicio tunc exstasse virum, quo magis innixa res Pomposiana staret. Certe in illius locum suffectum Vitalem nonnisi post pridie kalendas maias anni MXVI. argumento nobis esset Ravennae

tunc

tunc habita ſynodus, cui cauſſam acturus ſuam in Adalbertinum monaſterium de Pereo adfuit Guido Abbas Pompoſiae; qua de re diximus ſuperius. Nobis vero prae manibus eſt membrana lacera omnino, atque evanida, media ſui dextera parte deficiens, ex qua aliter coniectare liceat. In ea Pontificis Benedicti nominis duae poſtremae tantum leguntur ſyllabae. Annus pontificatus clare non apparet, ſed tertius indicatus videtur. Henrici Imperatoris epocha non legi poteſt. Data eſt autem vel VII. idus ianuarias, vel XVI. vel VI. denique kalendas februarias, quam *ſeptimo genuarii* clare innoteſcat. Denique indictio quarta apparet; verum non membranae initio, tum eius fine vocis continuationem in abſciſſa charta ſuſpicamur, ſcriptamque cenſemus indictionem quartamdecimam. Ea certe quidem Vitalis Abbatis tempore ſcripta eſt, cuius & nomen, prima detruncata ſyllaba, legitur, integrum tamen in poſtica membranae parte, in qua notarius ex eorum temporum more contractum brevioribus terminis tranſumpſit. Continet quippe conceſſionem quamdam in emphyteuſim factam ab ipſo Vitale, qui *per divinam miſericordiam presbyter monachus, & Abbas monaſterii ſancte Dei genitricis Marie, que vocatur in Pompoſia* dicitur, cuiuſdam agri, *qui vocatur de Anlega in territorio Ravennate plebe ſancti Stephani in Teguria* ad annos ſexaginta *Atiae relictae*, hoc eſt viduae quondam *Farualdi*, & Paullo iudici eius filio, adſtantibus, atque ſubſcribentibus tribus teſtibus, & Petro tabellione Ravennae, qui contractum complevit, atque abſolvit. Igitur, niſi nos alucinemur, menſi ianuarii anni MXVI. iſthaec conſignanda eſt membrana, quo re quidem vera & quartadecima computabatur indictio, & annus tertius pontificatus Benedicti VIII.

XLVI. Si ita ſit, Pompoſiae Abbatem creatum Vitalem dicendum ſupereſt ad anni MXV. finem, etiamſi non ſtatim ſolitudinem petiiſſe Guidonem facile coniiciamus, ſed nonniſi menſe maio anni MXVI., abſoluta nimirum Ravennate ſynodo, in qua nil mirum eſt, ſi Pompoſiani monaſterii Abbas Guido ſit appellatus. Nam erat profecto. Non unicum

quippe

quippe saeculi X. atque XI. exemplum est in monastica historia duorum in monasterio uno Abbatum. Chartam Mittarellius, & Costadonius referunt (a), quae Iohannem, ac Gregorium una simul Abbates praesefert monasterii sanctorum Andreae, & Gregorii ad Clivium Scauri, quaeque ad annum pertinet MIII. Pomposianum etiam monasterium Martinum gubernasse, eodemque tempore illi praefuisse Guilielmum Martini ipsius consilio, testes attulimus alibi Guidonis biographos. Quapropter anno MXVI. Abbates Pomposiae erant tum Guido, tum Vitalis, Guido quidem absens, & Ravennati adstans synodo, deinde se in eremum recipiens, Vitalis vero, qui monasterio coram praeesset.

XLVII. Sed eo *decedente*, ait Pomposianus anonymus, Guido *elegit Petrum*. Excesserit vero Vitalis oportet anno eodem MXVI. Tertio enim kalendas maias anni consequentis antequam fortasse eligeretur Petrus, Guido Abbas Pomposiae occurrit concedens ad emphyteusin Iohanni de Walterio, & Bunutiae uxori suae, ac filiis, eorumque nepotibus bona quaedam in urbe Ravenna sita in regione basilicae sanctorum martyrum Iohannis & Paulli inter fines suos, a duobus nempe lateribus monasterii Pomposiani iura, a tertio *heredes quondam Sigizo qui vocatur de Acateo*, *a quarto latere platea publica*, cum annuae pensionis onere denariorum duodecim, praestitoque *calciario*, *idest libro uno pro denariorum libros sex*, *& per unaquamque libram dinarios duo quadraginta*. Accipe *calciarium*, quod aliter *laudemium* dictum est, sive *capsoldum*. Solvenda etiam sancitur poena ab infractoribus auri optimi unciarum duarum. Chartam hanc scripsit *Petrus tabellio Ravennas*, eique subscripsere tum libelli traditores, tum testes cum ipso notario.

XLVIII. Quarto quidem nonas februarias anni eiusdem MXVII. Petri nomen primo sese obiicit in Pomposianis tabulis, in donatione nimirum quadam, cuius charta pene evanescit, facta a *Bellafemina relicta Iohannis Baldrigi una cum Petro Baldrigo*, *filio suo*, quae *aprehendit* coram Rainutio publico

(a) Annal.Camald. tom.I.lib.7.§.1003. pag.267. in append. col.176.

blico tabellione, & teſtibus *baculum unum in manibus ſuis, & miſit in manibus domni Petri monachi ſancte Marie qui vocatur in Pompoſia, & dixit.... damus, atque donamus tibi, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum pro redencione anime ſupradicti Iohannis Baldrici unam peciam terre in fundo, qui vocatur Siſantula*. Eratne vero tunc Petrus Abbas Pompoſiae? Haud facile divinare licebit.

XLIX. Verum quarto idus ianuarias anni conſequentis MXVIII. ipſe certo Abbas erat, quod conceſſio quaedam ad emphyteuſim ab eo facta demonſtrat Siſilico, & Albizae coniugibus, filiiſque, atque eorum nepotibus bonorum plurium, quae monaſterii Pompoſiani iuris erant *in fundo qui vocatur Luſirago ſeu in ſorte de Mauro in loco, qui dicitur Porto de Vetraria....in plebe ſancte Marie, que vocatur in Porto* cum finibus ſuis *a primo latere Lolba, a ſecundo latere Sandalo, a tertio latere Maurixini*, a quarto vero in membrana legi non poteſt, annua penſione adiecta denariorum duorum argenti. datoque *Calciarii nomine ideſt libro uno pro denariorum ſollidos viginti, & per unoquemque ſollidos una denarios duodecim*. In violatores poena ſancita eſt auri optimi unciarum quatuor, ſcriptaeque tabulae fuere Ravennae coram teſtibus, quorum nihilominus deſiderantur ſubſcriptiones, ab Iohanne Ravennate tabellione. Datae autem ſunt *temporibus domini Benedicti Pape ſede quinto, ſitque imperante Henrico Imperatore in Italia vero anno quarto die decimo menſe ianuario indictione prima*, hoc eſt anno MXVIII., qui tamen annus erat pontificatus Benedicti ſextus. Eo igitur anno Pompoſiae Abbas fuit Petrus; nam in membrana dicitur: *Petimus a vobis domno Petrus presbyter, & Abbas monaſterii ſancte Marie, que vocatur in Pompoſia*.

L. Non multo poſt, ſcilicet X. kalendas martias anni ipſius itidem Petrus Abbas apparet. Quid anno MXVI. in Ravennate ſynodo factum de portu Volanae, & piſcationibus ceteris, meminerint lectores tum in Pompoſianum, tum in Percenſem ſancti Adalberti Abbates. Iam vero Arnaldus illemet Ravennas Archiepiſcopus Petro Pompoſiae Abbati Vo-

lanae

lanae ipſum portum concedit anno MXVI. Rem patefacit charta donationis eiuſdem, quae omnium prima eſt inter Ravennatum Archiepiſcoporum ſolemniter factas monaſterio Pompoſiano donationes. In ea ſe ille ſubſcribit: *Harnaldus ſervus ſervorum Dei divina gratia Archiepiſcopus Petro venerabili Abbati ſancte Dei genitricis virginis Marie, que vocatur in Pomposia, & per te, tuiſque ſucceſſoribus in eodem venerabili monaſterio in perpetuum*. Quia igitur, ait, *portum Volanae cum piſcationibus ſuis integris, ſicut vos ante os dies abuiſtis, & nunc a noſtra iure item tenere videmini enſiteuticario modo poſtulaſtis largiri, ſicut iuſte & rationabiliter a nobis petiſtis vos qui ſupra Petrus venerabilis Abbas ut participes mereamur fieri orationibus fratrum ibidem ſervientium*. Portum Volanae Pompoſiano monaſterio concedit *cum omnibus ſuis pertinentiis*, atque piſcationibus, ea conditione adiecta, ut *pro noſtris ſolvendis criminibus miſſas duodecim per ſingulos ſacerdotes cantare* iubeat, *ſacerdotes vero qui fuerint decantent tria pſalteria. Die vero noſtre deceſſionis omnes fratres generaliter annuam miſſam celebrent*; deinde vero ut ſingulis annis menſe martio Pompoſianum monaſterium ſolveret *ſtoriones duos penſi... actoribus ſancte Ravennati eccleſie*: demum ut monaſterium debeat *ſupradicta piſcaria propriis expenſis, ſeu laboribus piſcare, laborare, defenſare, nihilque de omni expenſa quam inibi feceritis ab actoribus ſancte noſtre Ravennatis eccleſie in ſuperius affixo penſu quoquomodo reputari debeatis nec cuiquam preſens preceptum, aut has piſcaria alicui homini dare, vel vendere, ſeu transferre, aut in alio venerabili loco relinquere audeatis*, adeout ſi contra factum fuerit, *non ſolum de hoc precepto recadeatis*, ſed etiam infractor *trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum anathematis vinculo vulneretur*, perſolutis auri optimi libris centum. Charta Honeſtus notarius Ravennatis eccleſiae ſcribere iuſſus fuit, atque ad calces additur ✠ *legimus*, quo nempe ab Arnaldo Archiepiſcopo ex more cuncta confirmata declarentur. Annuam duorum ſturionum penſionem eccleſiae Ravennati deinde ſolviſſe Pompoſianum monaſterium, clarum alibi erit.

LI. Ta-

LI. Tabulae vero hisce insigniuntur chronicis notis: *Anno Deo propicio pontificatus domni Benedicti summi Pontificis, & huniversalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quinto, sitque imperante domno Henrico magno Imperatore in Italia anno quarto die vigesimo mensis februarii indictione prima Ravenne*. Muratorius edidit chartam hanc (a), *quam ex pergamenis Ferrariensibus*, inquit ipse, *descripsit amantissimus mei Ioseph Antenor Scalabrinius* alibi a nobis laudatus. *Si recte*, subsequitur idem Muratorius, *descriptae fuissent notae chronologicae chartae huius, & cum februario mense anni* MXVIII. *revera concurrisset annus quintus Benedicti VIII. Papae, deserenda foret sententia Pagii statuentis Pontificis illius electionem saltem novembri mense anni* MXII., *& resurgeret Cardinalis Baronii opinio consignantis eamdem electionem anno* MXIII. *Verum minime certum sum, an pergamena autographa exhibeat notas omnes, quales ego descripsi, quum praesertim mihimet significaverit praelaudatus Scalabrinius, exordium huius chartae in autographo temporis iniuria mutilum, & corrosum, suppletum, ac restitutum a se fuisse ex apographo pervetusto. Et sane contra video apud Rubeum in historia Ravennate lib.* V. *chartam scriptam* anno Benedicti Pape quinto, Heinrici Imperatoris anno tertio, die XV. februarii, indictione XV. *Video pariter in chronico Farfensi a me edito part.* II. *tom.* II. *rer. Italicar. monumenta duo scripta* augusto mense anno primo Benedicti octavi, indictione X., *quae evincunt, Benedictum eumdem ante augustum anni* MXII. *cathedram Petri conscendisse*. De pontificatus Benedicti epocha nonnulla adnotavimus supra. Quod hic adiiciendum necessarium ducimus, est, non aliter revera in Pomposiano autographo notas illas legi, in quod tamen errorem irrepsisse notarii censemus, qui quum sextum Benedicti annum signare debuerit, quintum scripserit; proindeque Muratorii dubium e medio tollendum, qui anceps fuit, utrum ad annum MXVII., an potius ad MXVIII. pertineret membrana, sed ad postremum hunc omnino revocandam. Praeterea cogimur certiores facere eruditos, char-

(a) Antiq. med. aevi tom. IV. col. 793.

tae Arnaldianae ipsius autographum integrum esse, neque exordium eius mutilum, aut corrosum, sed ad medium dumtaxat duo, triave vocabula haud legi, facile tamen supplenda ab intelligente lectore. Denique in Pomposiano tabulario nullum vetustum membranae huius apographum reperitur, ex quo suppletum a se, & restitutum autographum Muratorio significavit Scalabrinius, qui a nobis, adhuc dum in vivis esset (vixit autem ad extremam usque senectam), interrogatus, unde gentium pervetustum illud apographum ipse propinaverit Muratorio, ingenue professus fuit homo, qui antiquum obtineret, chartam descriptam ab eo ex indigestis quibusdam Friderici Narantii miscellanis voluminibus, quae in ipso sunt Pomposiano archivo, initio huius saeculi scriptis monachi eiusdem manu, qui non labori pepercerit, in quo tamen iudicium omne desideres: cuius etiam defectu factum est, ut mancam, falsamque compererimus nos Muratorianam recensionem, quam castigatam propterea, atque sui autographi fidei restitutam in nostrum codicem diplomaticum amandavimus.

LII. Iam vero Petrus Abbas Pomposiae erat adhuc XII. kalendas maias anni ipsius MXVIII., in cuius rei testimonium charta nobis est anno pontificatus Benedicti sexto scripta, Henrici autem Imperatoris quarto, *die vigesimo mensis baprilis indictione prima*, nempe anno eodemmet MXVIII. quum suo bene stent talo chronicae notae. In ea sane *Petrus presbyter*, *& monachus*, *atque Habbate regule monasterii sancte Marie*, *que vocatur in Pomposia* Dominico Fabri, eiusque filiis, atque heredibus ad emphyteusim concedit bona quaedam posita *in loco qui vocatur Gauro* suis circumdata finibus, quas inter fluvius ipse Gaurus in territorio Comaclensi *plebis sancti Martini*, *qui vocatur laco sancto*, sub annua pensione denariorum triginta & sex, partisque fructuum deducendorum *usque ad ripa domnicata in Pomposia*, dato calciario, ac promissa poenae solutione, duarum videlicet unciarum auri. Libellus a Lupicino tabellione conscriptus est *in loco*, *qui vocatur Caput de Gauro*, cui & ipse

sub-

ſubſcripſit, & Dominicus Faber, & teſtes quinque, qui interfuere contractui.

LIII. Nil poſt haec amplius nobis de Petri geſtis ſupereſt, adeout nos lateat, an exceſſerit, an potius & ipſe ſeceſſerit in eremum, quod tutius aſſerendum foret, ſi quem iubet Guido Aretinus ſalvere in ſuis ad Michaelem Pompoſianum litteris, non alium ab eo dicamus: *Saluto*, ait Guido, *fratrem quoque Petrum, qui noſtro lacte nutritus non ſine labore maximo agreſti veſcitur hordeo, & poſt aurea pocula vini confuſum bibit acetum*. Nihilominus diverſum hunc a Petro Abbate iure poſſumus ſuſpicari, tum quia incertum profecto eſt, qui fieri potuerit, ut Guidonis lacte nutritus Petrus Abbas fuerit, quod iuniorem potius Petrum alium indicare videtur, quem Aretinus Guido in Pompoſiano monaſterio erudierit, tum quia aperte Pompoſianus anonymus ſcribit, poſt Petri obitum Pompoſiae Abbatem electum Theobaldum fuiſſe, & poſt Theobaldum Leonem, & poſt eum Guidonem alterum: *Poſt cuius* (Petri) *obitum*, ait, *Theobaldus fuit, poſt Theobaldum conſtituitur Leo, poſt omnes, qui admirabilis eiuſdem etiam nominis, eligitur Guido*. An hic fuerit ipſe Guido Aretinus, necne, dicemus, ubi de Aretino eodem. Interea vix horum Abbatum nomina nepotum memoriae tradidit laudatus anonymus, & ſingula eorum geſta reticuit: *Hi ſuo quoque tempore*, ſcribit, *praefuerunt fratribus, & monaſterium gubernarunt habentes Marthae officium, ſolliciti circa frequens miniſterium*; quos tamen ferri ad ſidera, vel una eorummet a Guidone ſanctiſſimo viro, qui optimam partem elegerat, in Abbates facta electio & exigit, & cogit omnino.

LIV. Vicarios autem Abbates huiuſmodi ante menſem martium anni MXXI. deſiiſſe dicendum eſt, quo ſolum tempore rurſus Guidonis Abbatis nomen redit in Pompoſianis monumentis. Quum enim iis temporibus quorumdam bonorum uſumfructum poſſideret monaſterium Pompoſiae iacentium *in territorio Ferrarienſi plebis ſancti Donati* in locis, *quorum vocabula ſunt Fabricianellus, & Bethuli, & Sablune, &*

Finciatiquo; quae quidem bona monasterium ipsum *per paginam pacti* habuerat a monasterio sancti Theodori martyris Ravennae urbis sub annua pensione denariorum Veneticorum triginta sex, *Andreas reverentissimus clericus*, *& notarius sancte Ravennatis ecclesie*, *& Abbas monasterii* ipsius sancti Theodori pensionem illam a Guidone *prudentissimo Abbate* monasterii Pomposiani accepisse fatetur pro indictione tertia, & quarta, hoc est pro annis MXX., & MXXI. mense martio, ante quod tempus proinde iterum Guido Abbas inceperat Pomposianum administrare monasterium, numquam eo ad obitum usque amplius dimisso. Monasterii illius sancti Theodori, quod vocabatur Graecum, mentionem etiam faciunt Ravennatis ecclesiae tabulae apud Camaldulenses historicos (*a*), & ante eos Agnellus (*b*). Sed & in bulla Alexandri III. Pontificis, quae in tabulario Ravennatis capituli exstat, dicitur: *Monasterium sancti Theodori a loco, qui vocatur Calchi*, in quo vide Zirardinium (*c*). Exstat deinde concessio in emphyteusim terrarum quarumdam Martino Fabri, & aliis facta ab eodem Guidone anno pontificatus Benedicti decimo, Henrici autem Imperatoris nono, *die vigesimo mensis marcius indictione quinta*, nimirum anno MXXII. Iacebant vero ea bona *infra terra massa Fiscalia plebe sancti Vitalis*; exscripsitque chartam *in Pomposia* Lopicinus tabellio.

LV. Benedicti VIII. Romani Pontificis anni MXIII. diploma retulimus superius, quo Pomposiano monasterio quamplurima confirmaverit bona. Ast vero anno MXXII. novum eiusdem, & quidem maximi faciendum privilegium accessit. Quum enim Otto III. Augustus in suo diplomate anni MI. ita sanciverit: *Abbatiam sancte Marie in Pomposia ab omni subiectione Archiepiscoporum, sive aliorum excutimus ut regalis sit nulli dominatui persone subiecta, sintque monachi eius ab omni secularis infestatione securi*, quumque adnotaverimus alibi, idipsum nonnisi accedente Romani Pontificis Silvestri

(*a*) Tom. 2. annal. Camald. pag. 21., & 98.

(*b*) Part. II. pag. 314.

(*c*) Antichi edifizi di Ravenna cap. 8. pag. 105. & seqq.

ſtri II. opera, conſenſu, atque auctoritate factum ab Imperatore, album rei calculum Benedictus addidit, inſcribens diploma *Widoni venerabili Abbati monaſterii ſancte Dei genitricis Marie domine noſtre, qui ponitur in inſula, que dicitur Pomposia ſucceſſoribuſque tuis in perpetuum*, in quo omnimodam monaſterio Pompoſiano concedit a qualibet iuriſdictione exemptionem, una imperiali, ſive regia excepta, quod vel de ſummo iure accipies, vel de imperatoria potius tuitione. Ait igitur Pontifex: *Quia poſtulavit ſanctitas tua curvatis genibus noſtram piam voluntatem quatenus prefatum monaſterium privilegio apoſtolico roboraretur ne id videlicet alicui hominum preter Deo, & Regi ſubiugatum per illam itaque auctoritatem quam Chriſtus dominus noſter beato Petro Apoſtolorum principem, & ſancte eccleſie rectoribus conceſſit, conſtituimus & ordinamus, ut numquam locus ipſe, aut res ad ipſum pertinentes preter Deo, & Regi alicui ſubmitti poſſit, nulluſque mortalium preter regie poteſtatis culmen in prefato monaſterio, aut in cortibus vel in caſtellis, ſive in plebibus, aut in cellis, ſeu in villis, aquarumque decurſibus, ripis, paſcuis, ſilvis, piſcationibus, paludibus, omnibuſque rebus ad ipſum pertinentibus, necnon in ſervis Dei, aut in famulis utriuſque ſexus, ſive etiam in liberis ſuper terras eiuſdem monaſterii reſidentibus aliquam ordinationem, vel auctoritatem, ſive poteſtatem, aut iuriſdictionem tenere, ſeu moleſtiam inferre preſumat, aut in aliquibus locis ipſius monaſterii diſtrictum habere, vel iudicare, ſeu aliquod placitum abſque licentia Abbatis tenere, vel res monaſterii invadere, aut quovis modo alienare, aut fodrum, vel paratas, ſeu aliquas publicas functiones exigere, vel requirere audeat, & tam a poteſtate Archiepiſcoporum, quam ab omnium ſubtraeremus regali tantummodo, vel imperiali ſubmiſſum ditioni vel definitioni*. Perbelle rem hanc exprimit Pontifex; diximus enim tertio noſtrae hiſtoriae libro, quomodo ea ſit imperialis tuitio accipienda, quam perpetuo comitaretur etiam Pontificia, adeout eſſet utrimque monaſterio Pompoſiano tutamentum. Quid *diſtrictum habere*, ac *placitum* fuerit, ibidem a nobis dictum fuit. *Fodrum*, ſeu *fodorum* vero

nemo

nemo unus ignorat inter publica onera adnumeratum, quo nempe non laici modo, sed ecclesiastici etiam homines militibus, aut Imperatori, Regive, sive aulicis deberent vectigalia subministrare, ac pendere, quo contingeret, eos viaticatos abire, quinimo & eorum iugales vectarios. Sic Ludovicus Pius Imperator, ut in eius vita legitur, *inhibuit a plebeis ulterius annonas militares*, *quas vulgo Fodorum vocant*, *dari*. Et in Fridericum I. Imperatorem litem intentavit Hadrianus IV. Romanus Pontifex ex eo, quod *de dominicalibus*, hoc est de bonis patrimonialibus, & propriis *apostolici*, ipsius nimirum Pontificis Romani, *fodrum non esset colligendum nisi tempore suscipiendae coronae* Imperialis, uti Radevicus enarrat (*a*). Attamen monasteria erant, & ecclesiae plures, quae omni gauderent ab hoc tributo exemptione, quemadmodum Casinense (*b*), Veronense sanctae Mariae in Organo, Ravennas sanctae Mariae in Portu, aliaque multa, de quibus Muratorium consule (*c*), & alios. Hoc ipsum ergo exemptionis privilegium Pomposiano etiam confirmatur a Benedicto VIII. non secus atque alterius tributi exemptio, quod *paratae* dicebatur. *Paratas* autem Goldastus explicat *expensas fuisse ad hospitum susceptiones*, Du-Cangius vero (*d*) *expensas ad hospitum susceptiones maxime missorum*, *seu legatorum publicorum missaticos*. Vocem purissimae latinitatis esse defendit, & explicat omnigenae eruditionis homo Christianus Lupus (*e*). Hoc quidem privilegio una cum bene multis Benedictini instituti monasteriis fruebatur etiam Pomposia, nihilominus in ea maxime, uti in monasteriis ceteris curae erat in primis, atque exculta hospitalitas a monachorum parente Benedicto veluti iure hereditario relicta, quod & alibi innuimus, & inferius fiet clarius.

LVI. Sed


(*a*) De gestis Friderici I. lib. II. capit. 30.

(*b*) Vid. Gattulam accession. ad histor. Casinen. tom. I.

(*c*) Antiq. med. aevi tom. II. col. 64. & seqq.

(*d*) Glossar. med. latinit. ad voc. *Paratae*.

(*e*) Synod. gen. & provinc. tom. V. edit. Venet. anni 1725. in notis ad Conc. Tolosan. pag. 57.



D. Jul: Caesar a'Pelegrina
Ciu: Ferr: delineauit.

Siluester Neri Sculp:
Ferr: 1761

LVI. Sed quod potiſſimum in hoc Benedicti diplomate eſt eccleſiaſtica confirmata iuriſdictio, quam quaſi epiſcopalem appellant iuris canonici periti, in omnia ſibi ſubiecta loca a Pompoſiano Abbate exercenda, itaut uni Romane eccleſiae omni ſubducto medio iure Epiſcoporum, aut etiam Archiepiſcoporum, *in ſpiritualibus*, ut inquiunt, ſubiiceretur monaſterium, & Abbas pontificalibus uteretur inſignibus, quae deinde a Gregorio IX. confirmata anno MCCXXXVII. quum retroactis temporibus *mitra* revera, & *annulo* uſi Pompoſiani Abbates fuerint, eius oſtendet diploma, quod referemus alibi: oſtendunt etiam duo eburnei vetuſti litui, qui clariſſimum ſunt inſigne pontificatus, inter ſacra cimelia ſervati monaſterii ſancti Benedicti maioris Ferrariae urbis, quod Pompoſianorum eſt ruderum haeres. Ii quippe antiquitatem redolent certe ſaeculi XIV., aut praecedentis etiam, & alterius meminit aliquando Mabillonius (*a*), qui & illum antiquum agnovit, non eum tamen, qui a Guidone Abbate fuerit adhibitus ſaeculo XI. quod nullo innixus fundamento aſſeruit Marcus Antonius Guarinius (*b*), & eocum alii. In circuitu vero alterius haec ſcripta leguntur, quae notavit ipſe Guarinius: *Maria mater gratiae, mater miſericordiae tu nos ab hoſte protege, & ora*, in adverſa autem parte ſequitur: *mortis ſuſcipe. Gloria tibi Domine, qui natus es de virgine cun Patre & ſancto Spiritu in ſempiterna ſecula*: quae exarata ſunt characteribus Latino-Longobardicis. Exhibent caelamina litui virginem Mariam cum puero Ieſu in ulnis ſuis, qui lituum ipſummet Guidoni, ſeu alteri fortaſſe, neſcio quem, genibus flexo offert, angelo interim ſuper eius caput mitram ſuſtinente, a tergo autem ſuper humeros ipſius duobus, quorum alter ſenis, iuvenis alter ſpeciem praeſefert, manus imponentibus, in ſuperiori etiam litui parte monachi effigies eſt, propriis ſibi aures obturantis manibus, ac demum draconis caput ad Guidonis pedes. Alter vero lituus agnum tan-

(*a*) Act. ss. ord. s. Bened. tom. VIII. in obſerv. praeviis ad vit. s. Guidon.

(*b*) Compendio iſtorico delle chieſe di Ferrara lib. II. pag. 64.

tantummodo ſtantem, dextero pede erecto, atque excipiente vexillum praeſefert ſimili cum draconis effigie retro poſita. Ditiores, nobiliorisve metalli litui temporibus iis haud fuerunt in uſu, quemadmodum fieri deinceps coeptum eſt, ut Petrus Damianus de Cardinali quodam loquens legendis muneribus intento haec ait (*a*): *numquam certe vidiſſe ſe pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos: ſicut erant* ii, qui ab Eſculano, atque Tranenſi *geſtabantur Epiſcopis*, quos *Pontifices ligneos* appellat, quia *auratis uſi ſunt baculis*. Duplicis illius Pomposiani litui mentio eſt etiam in rerum mobilium ſynopſi anno MCCCCLVI. confecta his verbis: *Item una capſeta cum duobus paſtoralibus de avolio, quorum unum habet in macia unum agnus Dei. Et aliud habet virginem Mariam cum Filio, ac Abbatem cum uno angelo habente duos vultus, & angelo deſuper capite Abbatis deſnodatis*. Nos utrumque adamuſſim delineari curavimus.

LVII. Hinc factum eſt, ut non amplius a Comaclenſi Epiſcopo, ſive ab Archiepiſcopo Ravennati benedictionem, ſeu (ut vocant) confirmationem petere tenerentur electi Pomposiani Abbates, ſed limina Apoſtolorum inviſere ab ipſis benedicendi Romanis Pontificibus; de qua tamen re alibi nobis erit dicendi locus.

LVIII. Sed & piſcationem Volanae Pomposiano monaſterio eodem privilegio confirmavit Benedictus VIII. *Necnon & confirmamus piſcariam, que vocatur Bolana cum ſuis pertinentiis*, quam nimirum conceſſerat Pomposiae Arnaldus Ravennas Archiepiſcopus, *quoniam ſemper ſunt concedenda*, ait Pontifex, *que rationabilibus congruunt deſideriis*.

LIX. Scriptum fuit Benedictinum hocce diploma *per manus Stephani primi ſcriniari ſancte apoſtolice ſedis in menſe iulio & indictione quinta*, ideſt anno MXXII. Legitur ad calcem *bene valete*, pendebatque olim plumbeum Benedicti VIII. ſigillum, quod iamdiu deperditum eſt.

LX. Edidit Muratorius has litteras (*b*), *quas*, inquit, *mona-*

(*a*) Opuſc. 31. cap. 5. (*b*) Antiq. med. aevi tom. V. diſſert. 70. col. 1051.

monachi Benedictini Ferrarienses sancti Benedicti adservant; edidit vero ea ratione, & mente, ut Romanos ipsos Pontifices agnovisse ostenderet, *celebrem Pomposianam abbatiam inter Ferrariensem, & Comaclensem agros sitam ad Imperatores pertinuisse*. Verum quo sensu Pontificis verba intelligenda sint, superius animadvertimus, neque rem hic recoquere vacat.

LXI. Illud potius adnotare liceat, datum a Pontifice diploma istud fuisse non longe ab eius reditu e Casinensi monasterio, quo cum Henrico almo Imperatore sacras Benedicti, sororisque Scholasticae cineres veneraturus ad novum eligendum Abbatem Theobaldum se contulerat. Episcoporum, Abbatum, & Procerum tunc concurrere innumerae undique catervae, adeout nulla umquam solemnior fuerit facta electio, teste Leone Ostiensi (*a*); de qua re vide etiam Gattulam (*b*). Iam vero coniectandi nobis est opportunus locus, eos inter invitatum Guidonem Pomposianum Abbatem, cuius per ea tempora nomen celeberrimum, quemque Benedictum Pontificem coram convenisse demonstrare videntur ea Pontificis de Guidone in diplomate verba: *Quia postulavit tua sanctitas curvatis genibus nostram piam voluntatem*. Et quidem satis verosimile est, in eo illustrium virorum numero, qui Casinum convenerat, non defuisse Guidonem quam celebratissimum eo vel magis quod vel nomen ipsius recensuerint deinde suis in necrologiis Casinates, ut alibi dicemus, argumentum certum initae inter ipsos, atque Guidonem spiritualis societatis, quam fortasse ea occasione oblata invicem petierant, non secus atque de Petro Damiano factum, notum erit inferius.

LXII. Piscatione autem Volanae monasterio confirmata a Benedicto VIII. quo suis bonis, atque iuribus possessione undecumque pacifica frueretur, ea de re placitum habitum fuit *ante facie monasterii sancte Marie, que vocatur in Pomposia subtus muro volta ante regia ipsius monasterii* a Guidone Abbate. Adstitere cum eo monachi Pomposiani nonnulli, videlicet *Andreas presbyter & monachus, qui vocatur*

 de Guan-

(*a*) Chron. Casinen. lib. II. cap. 42. (*b*) Histor. Casinen. tom. I.

de Guandilo, *Iohannes presbyter & monachus*, *Bonizo monachus*, *Lambertus monachus*, atque *Ubertus presbyter & monachus*, quibuscum & laici sedebant omnes plures, quos inter *Gualfredus comes*, ac *Petrus tabellio & dativus*. Iis coram *haccedens Dominicus presbyter Mainfredus iudes Malasus* sive *Maiulfus Iulianus de Genuaria Besanius*, & alii, *& apprehenderunt manibus illorum virgam*, *& miserunt in manum de supradicto domno Guido Abbas*, *& dixerunt ecce pospondimus* (*a*) *una cum nostris filiis*, *& nepotibus quod si unquam in tempore aliquam molestia vel requisitione facere voluerimus de piscaria*, *que vocatur Volana cum aliis omnibus asociare voluerimus incontra vos domnus Guido gratia Dei Abbas aut incontra vestris successoribus per nullam occansionem*, *atque ingenium neque per nos*, *neque per nostris filiis & heredibus*, *neque per nostrarum summissarum personarum cum si aliqua contra vos de supradicta piscaria insurserit*, *promittimus vobis scunstare & defensare in omnibus*, *etsi hec facere voluerimus* (*b*), *compostituri nos repromittimus una cum nostris filiis & heredibus per unaquaque persona auri libra una*. Quibus auditis Guido Abbas *recepit ipsa sponsionis in manum sua*, *& alta voce dixit*, *& eam sic recipio*, *& deprecor vos omnes*, *qui ibi estis pro futurum testimonium*. Chartae igitur, quam *Petrus* laudatus *tabellio & dativus* scripsit, subscripsere Dominicus presbyter, Mainfredus tabellio, Walfredus comes, & alii testes. Data autem fuit pontificatus Benedicti VIII. undecimo, Imperatoris Henrici decimo idus martii, indictione sexta, scilicet anno MXXIII., quum chronologicae notae belle cohaereant, scriptumque etiam sit ad membranae ipsius finem: *hec carta facta est anno Domini millesimo* XXIII.

LXIII. Anno eodem *Ingelrada relicta quondam Ugonis*, *qui de Aquabelli filia & gener quondam Pauli*, *qui vocabatur de Traversaria* *pro oblatione & illuminatione*, *seu eterna remuneratione anime mee*, *& quondam Faunie genitricis mee*, *& quondam Ildebrando filio meo*, *& meorum filiorum* spatium terre ad podismum designatum Ravennae iuxta Turrim Umbra-

(*a*) Hoc est *spopondimus*. (*b*) Hoc est *noluerimus*.

braticam Guidoni Abbati dono dedit *more Salaria in perpetuum*; hoc eſt ad legum Salicarum normam, atque conſuetudines, interminata auri optimi unciarum trium poena inſemet, filios, ſuoſve heredes, ſi quid umquam ab iis contra factum fuerit. Donationi ſubſcribit ipſa Ingelrada, Teudaldus ex genere Ducum, Petrus Scholaſticus, Guido Rainerii filius, ac *Petrus conſul, & tabellio Ravennas*, qui chartam complevit, abſolvitque. Paulli de Traverſaria mentio fit in placito Ravennate anni MI. in monaſterio ſancti Apollinaris in Claſſe a Silveſtro II. Romano Pontifice, atque ab Ottone III. Auguſto habito, de quo in altero huius hiſtoriae libro nos diximus. Ducum de Traverſaria, & ſaepius etiam nude Ducum familia Ravennae per ea tempora celeberrima. Teudaldus noſter non alter fortaſſe ab eo, qui in eodem placito dicitur *Tervaldus, qui vocatur Paulus iudex, & ex genere Ducum*.

LXIV. Quid *ſcholaſtici* eſſent ſaeculis X. & conſequenti, Muratorius diſſeruit (*a*): licet enim aliquando *ſcholaſtici* dicti fuerint diſcipuli, quos *ſcolari* nos in Italia appellare conſuevimus, tamen etiam *ſcholarum magiſtros* ſignificatos ipſe oſtendit. Et re quidem vera Gerbertus, qui deinde Silveſter II. homo ingenio, eloquentia, doctrinaque ſupra ſui temporis conditionem admirabilis, *ſcholaſticus* fuit dictus in eius epiſtola edita a Mabillonio (*b*), quinimmo in aliis etiam epiſtolis ſemet *quondam ſcholaſticum* inſcribit, defenſoremque habuit Rhemenſi in conciliabulo *Iohannem ſcholaſticum Antiſſiodorenſem*. Sigeberto praeterea (*c*) *Franco ſcholaſticus Leodicenſium* memoratur, & apud Mabillonium laudatum (*d*) *verſus* leguntur *ad Iordanem Epiſcopum Honorii ſcholaſtici*, quem non VI. floruiſſe ſaeculo cum Mabillonio ipſo opinatus eſt Muratorius, bene vero decimo potius, ſive undecimo. Denique Gerbertus ipſe ad Ottonem III. ſcribens philoſophos, ac magiſtros iam provectos fuiſſe tunc vocatos *ſcholaſticos*, aperte innuit his verbis:

(*a*) Antiq. med. aevi tom. III. diſſert. 48. col. 813. & 872.
(*b*) Inter vetera analecta tom. II.
(*c*) In chron. ad ann. 1047.
(*d*) Veter. analect. tom. II.

bis (*a*): *Meministis, adfuisse tam multos nobiles scholasticos & eruditos, inter quos nonnulli aderant Episcopi, sapientia praeclari, & eloquentia insignes*. Itaque Petrus scholasticus donationis Ingelradianae testis is erat, qui publice fortasse disciplinam aliquam Ravennae traderet, quae octo inter regni Italici urbes numerabatur, in quibus ex Lotharii I. Imperatoris statuto anni DCCCXXXIII. publica deberent esse lycaea, ad quae finitimarum regionum iuventus confugebat, eo vel magis quod ad saeculi X. finem Gerbertus supralaudatus tunc Ravennas Archiepiscopus rem Italiae litterariam instaurare, ac potissimum in Ravenna urbe curaverat, e Galliis accitis, convocatisque viris doctissimis, qui regendis studiis essent idonei (*b*).

LXV. Scriptam diximus chartam a Petro consule, ac Ravennate notario. Consulum genus Ravennae fuisse, declarat Ravennas placitum anni MI. in quo Andreas ex genere consulum tabellio memoratur, quibus profecto & nomen erat, & sua auctoritas. Muratorius (*c*) fidem praestandam negat Campio (*d*), atque tabulis, quas ipse profert, in quibus consulum in Italia mentio fit anno MLXIII. eos opinatus non ante annum MCXLII. aut summum ad undecimi saeculi finem primo esse revocandos. Verum Ughellius chartam edidit (*e*) ad monesterium sanctorum Theodori & Martini Caietae urbis pertinentem, cui subscribit *Iohannes consul & dux*, quamque ipse Ottonis I. Augusti aetatis dixit, & eocum Muratorius idem (*f*), addens, primas in urbis regimine obtinuisse Episcopum, quod monumento ostendit ex s. Petri Mutinensis archivo deprompto, in quo Ribaldus Episcopus omnium subscribit primus. Iam vero ex Casinensi tabulario chartam eamdem protulit Gattula (*g*), demonstravitque ad tempora Ottonis III.

(*a*) Thesaur. anecdot. Pezii tom.I. in opusc. de rationali pag.149.

(*b*) Mabillon. analect. epist.13. ad Gebertum Treviren. Archiepisc.

(*c*) Antiq. med. aevii tom. IV. pag.58.

(*d*) Istor. di Piacenza tom.I. n.95.

(*e*) Ital. sacr. in Episc. Caietan. in append. tom. V.

(*f*) Antiq. med. aevii tom. I. pag. 218.

(*g*) Accession. ad histor. Casinen. tom. I. pag.116.

nis III. illam omnino spectare, conscriptamque anno circiter DCCCCLXXXXVI. in qua etiam non solum post Iohannem consulem & ducem, sed vel post triumviros Stephanus Episcopus subscribit. Igitur Petri consulis & notarii nomen iam anno MXXIII. tabulae pariter Pomposianae praeseferunt, ex quo colligere liceat pro Campio, nomen, auctoritatemque consulum non undecimo desinente saeculo, sed ante decimi finem auspicandam.

LXVI. Anno demum MXXVII. monasterio Pomposiano multa accessere bona donationis titulo factae a Petro presbytero Benedicti filio, *qui vocabatur Bonizo*. Nam *pro oblatione & inluminatione seu pro eterna remuneratione anime mee*, inquit, *& de quondam parentibus meis* donat *more salario* ecclesiam integram, quam suam dicit, *cui vocabulum est sancte Marie & sancti Archangeli Michaeli & sancti Petri que est posita in fluvio qui vocatur Folia in fundum qui vocatur ronco de Martinus de bona infra territorio Pesaurensis* cum bonis singulis ad ecclesiam eamdem pertinentibus, simulque partes tres *de alia heclesia cui vocabulum est sancti Michaelis qui est posita in monte qui vocatur de pallarito sitas dicto territorio Pesarense plebis sancti Laurentii*, bona etiam alia posita in loco *qui vocatur martianas sitas dicto territorio plebis sancti Petri qui vocatur in manteule* cum ceteris ad ipsum spectantibus *infra toto predicto comitato Pesarense, & infra dictis plevibus*, adeout revocari numquam posset deinceps donatio isthaec, poenae auri optimi librarum duarum apposita interminatione. Litteris chartam consignavit Ravennae Petrus Ravennas tabellio. Fluvius *Folia* is est, quem *Isaurum* veteres dixerunt, Pisaurum urbem alluens, de quo erudite ex more disseruit eques Hannibal de Abbatibus Oliverius Iordanius suis in commentariis de Pisauriensi portu editis Pisauri anno MDCCLXXIV. Facta est autem donatio monasterio sanctae Mariae, *que vocatur in Pomposia in qua nunc ibi Deo ibi protegente domnus Vitalis presbiter & monachus ipsius monasterii sancte Marie pro ex persona domni Wido gratia Dei presbiter & monachus atque Abbas regule venerabilis ipsius monasterii sancte Marie que vocatur in Pomposia preesse vide-*

videtur. Alter Vitalis hic hercule eſt a Vitali Abbate, de quo ſuperius diximus. Verum an ipſe etiam Abbas, ex tabulis allatis non conſtat, in quibus Abbatis titulus deſideratur, licet aperte monaſterio praefuiſſe ſignificetur. Illud nihilominus coniectamus, Pompoſiae quidem factae donationis tempore praefuiſſe Vitalem, Guidone abſente, non tamen Abbatis dignitate inſignitum, aut nomine, niſi una cum Guidone ipſo Pompoſiae tunc Abbatem fuiſſe Vitalem dicamus. Nec enim officit omnino tituli in charta defectus, quum monumenta haud deſint illius aetatis, in quibus ſolo presbyteri nomine appellantur Abbates, quod vel adnotavimus alibi. Charta vero noſtra exarata eſt anno pontificatus Iohannis XIX. quarto, Conradi Imperatoris primo, qui imperatoriam coronam receperat VIII. kalendas ianuarias anno MXXVI. *undecimo* die menſis decembris, indictione undecima, nimirum anno MXXVII.

LXVII. Quum vero tot tantaque compararet bona, atque iura Pompoſianum monaſterium, eorum adminiſtrationi, & conſervationi ſollicitis incumbens curis homo gnavus & induſtrius Guido, experientiſſimus ſane, ac diligentiſſimus Abbas, convocatis colonis, fundos iis plures locare excogitavit: intelligebat enim probe, nihil eſſe agricultura melius, nihil uberius, ex qua multum monaſterio ſuo emolumenti, atque territorio commodi poſſet quam facile provenire. Itaque quum Pompoſiana potiſſimum inſula vallibus obſita, ſilvis, atque paludibus inculta ut plurimum eſſet, quemadmodum Italiae fere reliquae pars maxima erat, colonis pluribus territorii ſpatia, ac fundos locavit, ea conditione, ut ipſos percolerent, atque omnimode meliores facerent, annuam monaſterio penſionem ſolverent, ab eoque etiam *inveſtituram*, quam dicimus, acciperent annis ſingulis unde trigeſimis, aut ſexageſimis, *laudemium* pendentes, ſive *capſoldum*. Ad huius rei argumentum plurimae habentur ex Pompoſiano tabulario in noſtrum diplomaticum codicem translatae conceſſiones ad emphyteuſin factae a Guidone Abbate, quarum omnium prima eſt anni MXII. Iohanni filio *quondam Martinus qui vocabatur*

batur de magno, eiusque filiis, atque nepotibus sub urbe Ravennae iuxta Turrim, quae vocatur Umbratica: altera vero est anni consequentis facta *Iohanni qui vocatur Callicaria & Boniza iugale seu filiis & heredibus*; reliquae etiam subsecuntur non infrequentes ad annum usque MXXVII. quarum nonnullos superius nos memoravimus, & quibus in tabulis multa eruditis, rerumque medii aevi studiosis delectabilia, utiliaque occurrent. Pauca nobis, quasi ad corollarium huius libri, delibare sat erit.

LXVIII. Profecto apparet ab iis, quam bene eo tempore cura, atque vigilantia Guidonis universa Pomposiae insula percoleretur, quosve progigneret territorium fructus. Nam conceduntur ab eo inculta terrae spatia ad pastinandum, & repastinandum, ad vites propagandas in sulcos, arbores plantandas, seminandas segetes, leguminaque, ac demum saginandos sues, quorum & greges habuisse monasterium ipsum sibi proprios, nobis Guidonis biographus Pomposianus patefacit. Operae etiam distinguuntur in maiores, atque minores, sive minutas, e quarum primis triennio quolibet quinta frugum pars, e posterioribus vero sexta monasterio penderetur. In illis triticum censebatur, siligo, seu *sicala*, ac fabae; in istis autem *trisicum*, far, hordeum, mileum, panicum, legumen, & *mesturia granata*. Sed & lini, vinique, & glandium fructus mentio est. Ex quibus constat tum de territorii illius natura, tum de agriculturae conditione, ac statu eo loci, eoque tempore. *Terraticum*, *brachiaticum*, *lignarium*, *glandaticum*, & *calciarium*, atque annua pensio perpetuo indicitur monasterio solvenda. Hinc *denarii in argento*, & *solidi*, *denarii venetici*, *librae denariorum*, *solidi denariorum duodecim*, aliaeque monetae huiusmodi. Hinc ligna, porci, gallinae, *spallae*, hoc est pernae, agni, *focaciae*, pulli, ac similia alia pro annuo *canone*, sive pensione indicta, & data. Hinc mensuras colliges, ac pondera, modium, quartarium, sextarium, *mannam*, sive manipulum, *capam*, seu *cappam*, amphoram, starium, *madiram*, *quarantinam*, cistum, corbam, *vegiam* vini, pedem, semissumque pedis, perticam decim-

decimpedam, *manſum*, *tornaturiam*, iugerum. Hinc nomina locorum plurium obſcuriorum, eccleſiarum, finium, teſtium, ac notariorum. Hinc cognomina iis temporibus non multum quidem frequentia, ſed iam invecta, Italicae linguae vocabula plura, & balbutientis initia, alia exotica, quae vel in Du Cangii Gloſſario fruſtra requires, contractuum formas, ubi ad emphyteuſim fundi traderentur, ſemper adhibitis teſtibus, atque iuris ſolemnitatibus reliquis, quae iis temporibus eſſent in uſu, ac neceſſariae. Hinc demum, ut cetera ſileam, chronotaxin Pontificum Romanorum, Imperatorum, ac Regum cum indictionum ſerie, frequentiſſimos tabellionum lapſus omnigenos, adeout paucae admodum tabulae ſint, in quibus non peccaverint illi.

LXIX. Sed quod potiſſimum advertas velim, annua eſt penſio illa, atque *terraticum* ipſum a colonis propriis pervehendum expenſis ad monaſterium uſque Pompoſianum, vel quo *domnica* oneraria navis poſſet pervenire. Prata, paſcua, ſilvae, ſalinae, paludes, piſcationes, venationes, earumque genera indicantur varia, omnia, ac ſingula perpetuum *de iure*, *& pertinentia* Pompoſiani monaſterii aſſeruntur, quae pluribus in locis, atque territoris poſita erant. Verum potiſſimum in Pompoſianum ipſum territorium emergit ex iis membranis omnibus univerſale dominium diplomatibus tum pontificiis, tum imperialibus donatum, confirmatumque, quod cum recentioribus iuris peritis *territoriale* dicimus, ſive *fundiarium*, atque *directum*; de quo dubitare nullo pacto ſinunt tum diplomata eadem, Ottonis III. in primis, & Benedicti VIII., tum exercita undecumque in territorium ipſum, & incolas iuriſdictio, omneque ius: tum denique conceſſiones eaedem numero plures, quarum meminimus, iis ſane conditionibus appoſitis, quae mirandum in modum dominium illud demonſtrant. Verum quum hac de re nemo ambegerit uſquedum, aut umquam dubitari poſſit, operae non eſt, ut diutius in ea immoremur. Liceat dumtaxat hic membranam e Pompoſiano tabulario exſcribere, quae ad rem hanc facit omnino: *Si vis noſſe quod dominus Abbas Pompoſie habuerit merum imperium*

rium & universale dominium ac omnimodam iurisdictionem in spiritualibus & in temporalibus in tota insula Pomposiana, ac in lacu sancto, & vacolino. Vide primo omnia privilegia tam apostolica quam imperialia. Deinde lege fasciculum processuum instrumentorum & sententiarum habitarum contra communitatem Ferrarie, contra dominos Estenses, ac contra communitatem Masse Fiscalie. Postea require in fasciculis instrumentorum processuum & sententiarum ac condemnationum Capitisgauri, Mediigauri, Massenzatice, & lacus sancti: necnon in fasciculis communibus: qui fasciculi omnes & etiam privilegia extant in capsis monasterii. Aderant quoque statuta auctentica confecta per Abbates Pomposie que servabantur in predicta tota insula, lacu sancto, & in vaculino, quorum originale erat in predicto monasterio Pomposie: aliud auctenticum in libello caprino tenebant Pretor & homines Codegauri: Sed dominus Alfonsus Estensis dux Ferrarie de anno Domini 1520. post mortem domini Hypoliti Estensis Cardinalis fratris sui commendatarii prepositure Pomposiane voluit ipsa statuta, ac privilegia quecumque invenire potuit, & fuit circa finem mensis octobris, seu in principio novembris, & fecit alia statuta nomine sue dominationis.

LIBER QUINTUS.

I. QUAE ſuperiori nos diſſeruimus libro, oſtendunt profecto, quam brevi ſub Guidone Abbate & celebritate, & opibus, atque iuribus Pompoſianum creverit, excellueritque monaſterium, adeout non ſolum cum Italiae nobilioribus iure poſſet meritoque comparari, ſed etiam omnium facile princeps dictum aliquando, & habitum fuerit, quod alibi etiam animadvertimus. Verum quum tantam non poſſet amplius virtutem, gloriam, atque dignitatem aequo animo ferre ille invidentiae parens cacodaemon, ac malignitatis auctor, qui, uti in naturam phyſicam rerum electrica materies, ita in moralem hominum vitam exſcandeſcens ira, ac perpetuo odio agit, excitatque mala, dolis inſtructus & arte coepit in monachos infeſte facere, concitavitque quorumdam acerbitatem, & rabiem, qui calumniis illos adorirentur coram Heriberto Ravennate Archiepiſcopo. Improvidus ipſe, & credulus faciles praebens accuſationibus aures, ſtipata tectus turba militum ad monaſterium venit ea mente, ut, monachis inde expulſis, illud non ſolum aliqua ex parte exturbaret, ſed funditus everteret, ac deleret. Ad tam immane facinus Guido, una convocatis, congregatiſque monachis, preces nonniſi, ſupplicationeſque ad Deum innocentiae vindicem fundere decrevit. Quo factum eſt mirandum in modum, ut converſo ex templo Heriberti animo, eccleſiam ingreſſus pacificus, atque Abbatem ſanctiſſimum ei obviam factum benigne, ac liberaliter ſalutans, & alloquens ipſum deinde ſummo officio, & ſumma obſervantia ſibi in perpetuum devinxerit, illique magna cum eo deinceps uſque ad exceſſum e vita ſemper fuerit familiaritas. Rem omnem enarrat biographus alter Guidonis his verbis: *Contigit aliquando huic viro venerabili ſimile quoddam Iuliani, & Baſilii*. Refert porro Gregorius Nazianzenus (*a*), Iulianum, ſi victor e Perſide rediiſſet, animo conſtituiſſe ſuo, s. Baſilium magnum interimere. *Heri-*

(*a*) Oration. II. in Iulianum apoſtatam.

Heribertus enim, prosequitur biographus, *Ravennas Archiepiscopus tam grave contra eum exaggerabat odium, ut decretum haberet armatus venire, & Pomposianum destruere coenobium. Quod ut ad aures viri Dei pervenit, se cum omnibus monachis devotissime, contritoque corde in orationem dedit. Nam a parvo usque ad maximum, exutis solitis stamineis, induti sunt asperrimis vestibus, & ciliciis, cantantes cum psalmographo*: Dum mihi molesti essent, induebar cilicio (*a*). *Per tres autem continuos dies & noctes ita induti, discalciati, hordeaceo pane solummodo, & aqua contenti acriter quotidie in capitulo, sed sponte verberati sunt: nulla sede nec in ecclesia, nec in refectorio, nec alicubi nisi terra usi sunt, ut veraciter cum Propheta dicere possent*: Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster (*b*). *Non immemor autem Dominus suae dulcissimae promissionis, qua ait per Prophetam*: Invoca me in die tribulationis, eripiam te, ut magnifices me (*c*), *dum in tali essent constituti tribulatione, tali eos dignatus est consolari visione. Apparens cuidam ex eis beatissima virgo Maria candidarum virginum circumstipata chorea blando vultu, ne timeat, hortatur, taliterque ei congratulando illum affatur: In coepta intentione permanete, filioli, scientes vos in praesentiarum exaudiri. Insuper ex hoc certi estote, quia quamdiu hoc triduanum ieiunium sic a vobis celebrabitur, a nullo visibili, vel invisibili hoste locus iste superabitur. Evigilans autem dum loquendi sibi tempus rediit, ea cuncta per ordinem patri Guidoni, fratribusque retulit; quae vera esse probavit pacis redditae tempus, adhuc vero variarum rerum similis eventus. Sed o antiqua prodigia! o virtutum insignia! o miracula priorum patrum gestis per omnia similia! Oratio Basilii Iulianum apostatam perpetualiter interfecit. Oratio Guidonis Heribertum in superbiae cornibus male stantem bene quandoque surrecturum cadere fecit. Oratio Basilii peremit Iulianum apostatam. Oratio Guidonis Heribertum humiliat elatum. Ille a Mercurio* (hic est s. Mercurius miles, ac martyr Caesaraeae in Cappadocia sub Decio, qui IX. kalendas decembris colitur) *peremptus est corpore; iste a Christo consternatus est mente. Illum stra-*

(*a*) Psalm. 34. v. 13. (*b*) Psalm. 43. v. 25. (*c*) Psalm. 49. v. 15.

straverunt arma Mercurii; istum humiliarunt arma ieiunii. Illam deitatem blasphemantem materialis gladius perdidit; istum contra virum Dei superbe agentem lacrymarum profusio humilem reddidit. Re. etenim vera dum ad monasterium malignitatis animo, ut diximus, venisset, fratresque ei omnes, licet eius malitiae non ignari, obviam cum timore exissent, & eum honorificentissime, ut mos illorum est, in ecclesiam perduxissent, dum humo oraret prostratus, Spiritus sancti gladio repente mactatur. Elevatus enim ab oratione, perfusus ora lacrymis, corde autem, & vultu affabilis sui livoris evomuit malitiam, & perpetuam firmavit amicitiam. Qua de re omnes non modicum laetati gratias Deo egerunt.

II. Ab anno MXIX. ad MXXVIIII. Ravennas Archiepiscopus Heribertus fuit, contigeruntque haec fortasse ante annum MXXVI. quo Pomposiana ecclesia, pace iam monasterio restituta, dedicata fuit, uti inferius dicemus. Quid deinceps factum exponit Pomposianus anonymus, quum in alterius manuscripto codice, quo usus est Bollandus, reliqua desint, nec potis fuit nobis uberius aliud reperire exemplar, ex quo vitam Guidonis suppleremus. Superest itaque, ut uno iam tandem anonymo Pomposiano innixi eiusdem acta prosequamur.

III. Quum igitur Heriberti opera malevolis nec profecerit hilum in Pomposiae monasterium, quo se verterent meditantes, ad Romanum Pontificem Iohannem XIX. confugere, novis in monachos contumeliis recusis, atque calumniis inventis, quibus malam de ipsis animo imbiberet opinionem Pontifex, ubi ad eius manus pervenisset libellus famosus. Falsis hisce delationibus Iohannes restitit, cui Pomposianorum ratio vivendi quam maxime cognita esse deberet. Quo tamen veritati certius, clariusque testimonium daret, Gebehardo Ravennatum Archiepiscopo, qui in mortui Heriberti locum suffectus fuerat, iussit anno circiter MXXX., ut quamcitius Pomposianum petens monasterium clam monachos studiose in ipsos inquireret, remque totam ei nuntiaret. Erat profecto Gebehardus homo ecclesiasticus, prisca religione, virtute praeditus, atque sollertia in rebus

san-

ſancte gerundis maxime refulgens, qui cum auctoritate verum conſilium coniungere optime ſciret, dignus propterea, cui & rem magnam, difficilemque committeret Pontifex, & qui eius nae reſponderet optatis. Inopinato igitur uno vix famulo comitatus Gebehardus in Pompoſiam ſe contulit, incognitus omnibus, Pontificis iuſſa exſecuturus. Eo ſane modo, quo ad Benedicti legislatoris praeſcriptionem excipi conſueverant in Pompoſia hoſpites, exceptus benigne Gebehardus fuit in monaſterio a Guidone, ac monachis Pompoſianis, qui ſemper hoſpitaliſſimi exiſtimati ſunt. Verum ignotus, ac prudens Archiepiſcopus omnem renuens maxime prandiorum apparatum, atque eminentiora loca, enixe rogavit, ut intra monaſterii ſepta ipſe hoſpitaretur, & communi admiſſus monachorum menſae alter quaſi monachus haberetur. Nobilium virorum, imo & Regum, atque Imperatorum etiam aliquando ea fuit conſuetudo, ut, ad monachorum domicilia ubi diverterent, ad monaſticam ducendam vitam ſe apprime accommodarent; quod ſaeculo noſtro a Benedicto XIII. Pontifice maximo praecipue factum in Caſinate monaſterio novimus, & ab aliis quoque conſpicuis tum dignitate, tum pietate hominibus oculati nos teſtes fuimus, dum in eodem per annos ſexdecim coenobio verſati fuerimus.

IV. In monaſterio itaque Gebehardus longiores pertrahens moras quaſi caeli ſalubritatem experturus, atque temperiem, coepit ſecreto, & perquam diligenter cum communem vitae inſtitutionem, tum ſingulorum mores, atque rationem, quae haberetur a monachis, exquirere, & inveſtigare. Inter haec autem ſtatim intellexit ille, quam vere in Pompoſiano monaſterio, inque monachorum animis inſideret ſancta religio, & ea cum virtutes reliquae una certatim colerentur, perfectiſſima in primis in Deum, hominesque caritas, ac omnigenum ad illum, qui primus eſt auctor omnium, & finis verus unus, ſtudium, atque cura ſingulos dirigendi actus non ſolum, ſed etiam dicta, & cogitata ipſamet. Sed rem omnem inſigne miraculum comprobavit.

Deus

Deus enim, qui humiles corde respicit, eique uni fidentes saepius suevit evehere, hoc pacto indubium Gebehardo dedit argumentum tum monachorum, tum Guidonis maxime sanctitatis, eximiaeque virtutis. Accumbens itaque ipse aliquando mensae cum Guidone, quem aquam bibentem admirans, sed haerens adhuc inspiceret, quo ea de re certior fieret, poculum ipsum, quod biberat Guido, sibi propinari famulo iubet, renitentique Guidoni specie officii obstitit Gebehardus, & poculum bibit Guidonis. Ast mirum dictu! Quum aquam glutisse putaret, vinum deprehendit, licet haustam aquam ex puteo eodem famulus porrexerit, quem quum e mensa surgens arguisset Archiepiscopus suspicans, longe aliud ab eo Guidonis, atque deterius vinum sibi exhibitum, agnovit, solam Abbati aquam paratam fuisse, quae a Gebehardo degustata in vinum fuerit prodigialiter versa. Huiusmodi sane miraculum saeculo maxime XI. non infrequens exhibent acta plura sanctorum, verbi gratia Bononii Abbatis (*a*), & Gaudentii Episcopi Absarensis, de quo Petrus Damianus (*b*). Sed & Guidoni potissimum illud fuisse solemne, aperte docet Pomposianus anonymus his verbis: *Quoties eius meritis aqua transierit in vinum*, *testes sunt monachi ministrantes ei*, *sed & laicorum quamplurimi*. Referentes deinde quod coram Gebehardo contigerat, haec continuo subdit: *Gebehardus quoque Archiepiscopus Ravennae quum ad mensam una cum Abbate Guidone sederet*, *cuppam*, *qua bibebat Abbas*, *ab eo sibi petiit porrigi*; *quo renitente importunitate quadam*, *quod petebat*, *obtinuit*, *& bibens*, *quam esse putabat*, *aquam*, *invenit haustum vinum esse*, *quam ex puteo solito infuderat minister*. *Post mensam vero arguens ministrum Archiepiscopus*, *cur non sibi de eodem*, *quod Abbati dederit vino optimo*, *cognovit a ministro vinum optimum sibi*, *Abbati vero aquam infusam*, *sed eius precibus in vinum versam*. *Obstupuit Archiepiscopus*, *& quod a multis audierat*, *experimento probavit*, *& credidit*. Sequitur deinde idem auctor: *Huic simile quid*, *quum esset Ravennae*, *ali-*

(*a*) Apud Mabillon. act.ss.ord.s.Bened.tom.8. (*b*) Opuscul. 29.

aliquando accidit: sedenti equidem illi ad mensam miles quidam Faventinus advenit. Audierat a multis ille, quia vinum Abbas Guido non biberat. Superveniens itaque mensae cuppam Abbatis non sine quadam temeritate praeripuit: hausit vinum, sed aquam minister miscuerat (hoc est *infuderat*, ut Mabillonius interpretatur). *Sic iam, ut dictum est, non tantum bis, sed saepius hoc faciebat miraculum.*

V. Hisce igitur factis Gebehardus convictus conscientia, & animo inducens suo, summam Guidoni sanctitatem inesse, atque Pomposianum monasterium quoquo versum praefulgere virtutibus, Abbati iam tamdem, quis ipse esset, aperuit, & caussam sui in Pomposiam adventus, congregatisque monachis, eos sedulo & monuit, & hortatus est, ut bene coeptam rem, institutamque vitae rationem perseveranter tuerentur, & custodirent. Facto deinde iis coram promisso, se eorum innocentiae vindicem futurum fore, ipsorum etiam atque etiam ad Deum imploratis pro semet precationibus, & votis, osculo demum singulis dato, certissimum in illos sui amoris, ac pacis testimonium, e Pomposia decessit, atque Romanum Pontificem continuo adiit, cui narravit omnem rem ordine, ut factum fuerat. Inter Pomposianarum parietum ruinas usque adhuc superstites rei gestae mirabilis memoria exstat, in conclave nimirum, ubi quondam epulabantur monachi cum sodalibus omnino modicis. Ibidem enim ipso in pariete pictura conspicitur, quae factum exhibet, perantiqua quidem, quaeque saeculum XIV. olet, adeout iure & merito Iotti celeberrimi opus habitus fuerit, habeaturque hodie, qui primos inter picturae restauratores in Italia ante annum MCCCXIV. Ferrariae commoratus obiit anno MCCCXXXVI. Nos quidem in tabulis Pomposianis anno MCCCXVII. v. idus iulias magistrum quemdam Cheyum pictorem Florentinum testem comperimus ipso in Pomposiae monasterio, quam fortasse Iotti discipulum suspicari possumus, cui etiam adscribi facile picturas Pomposianas nonnullas ecclesiae maxime poterimus. Ignotus adhuc pictor iste pictorum biographis. Iam vero in medio pariete triclinii ipsius

Sal-

Salvator Iesus est, & ad latera, dexterum quidem beata virgo Maria cum s. Benedicto, laevum autem s. Iohannes Baptista cum s. Guidone. Eodem etiam in prospectu ultima coena Christi Domini cum Apostolis suis facta visenda conspicitur. Quae singula nos delineari curavimus a diligenti Iosephi Vecchionii Ferrariensis pictoris manu. Testis nobis aliquando fuit Ioseph Antenor Scalabrinius rerum huiusmodi studiosissimus investigator, ibi ipso in muro olim hanc epigraphem lectam:

MANSIONES ISTAE OLIM FVNDATAE
PER GVIDONEM EGREGIAE SANCTITATIS VIRVM
RESTAVRATAE FVERVNT
PRO AMORE DNI NRI IESV XPI
ET EIVS SANCTISSIMAE GENITRICIS SANCTAE MARIAE
ANNO A NATIVITATE EIVSDEM MCCCIIII
TEMPORE IOANNIS PAPAE XXII
ET MARCI HVIVS MONASTERII ABBATIS


Verum anno MCCCIV. neque Iohannes XXII. Romanus Pontifex erat, qui pontificia dignitate insignitus est nonis septembris anno MCCCXVI., neque Marcus Abbas omnino ignotus. Qua de re errorem propinasse aliquem doctum Scalabrinium, quod illi ceteroquin infrequens haud fuerit, suspicari iure nos possumus, ac facile persuademus, *Marci* nomen ipsum legisse (si tamen ipsemet legit) pro nomine *Henrici*, quem iis temporibus, quibus Iohannes XXII. Romanus Pontifex, Abbatem Pomposiae comperimus, & annum MCCCIIII. accepisse pro MCCCXVII., aut altero ex subsequentibus usque ad MCCCXX. Utut res sit (neque enim Aethiopem dealbare nos posse confidimus) inscriptio illa nostra aetate non legitur, pro qua duas conspicere licet, quarum altera in ipso triclinii pariete, altera vero in tabulae epistylio depicto, eaque elaborato architectura, quam vulgo Gothicam dicimus, quas hic referre non pigeat maxime quum aliquando perituras etiam ipsas temporum iniuria, locique conditione pertimescamus. Itaque ecce primam:

SAN-


Ioctus pinx. Pomposiæ
Silvester Neri Incid. Ferraiæ


Ioctus pinx. Pomposie,
Siluester Neri Incid. Ferrarie.

Tab. III. Tom. I. pag. 280.



Monachi legentis imago depicta in pariete triclinii Pompo..ani .

SANCTVARIVM NON TRICLINIVM
VENERARE ADVENA DEVOTE
AEDES HAS S. GVIDO POMPOSIANVS AB
SVA CONVERSATIONE SANCTAS EFFECIT
ADMIRANDO PRODIGIO VENERABILES REDDIDIT
AQVA IN VINVM CONVERSA
DVM GEBEARDVS RAVENNAT. ARCHIEP. HIC DISCVMBERET
ABBATIS ET MONACHORVM SANCTITATI ET INNOCENTIAE
TESTIMONIVM DEO REDDENTE

Ecce vero alteram :

OPVS HOC CELEBERRIMI IOCTI PRIMI PICTVRAE RESTITVTORIS
SITV ET PVLVERE SQVALIDVM INSTAVRAVIT ORNAVIT ATQVE
IN FORMAM ELEGANTIOREM REDEGIT SERISQVE POSTERIS OMNI
CVRA SERVANDVM IN POMPOSIANAE PIETATIS VETVS ARGV
MENTVM COMENDAVIT D. FOELIX ROMANVS ABBAS POMPO
SIANVS ANNO VLTIMO LABENTIS SECVLI DECIMI SEPTIMI .


Ex quodam manuſcripto volumine inter multa Pompoſiano in tabulario Friderici Narantii Caſinatis monachi , qui coaevus fuit , didicimus , inſcriptionem utramque compoſitam a Ludovico Morinio Mutinenſi monacho , vel ipſo Caſinate tunc commorante Ferrariae , cui reſtaurationem illam perficiendam commiſerat anno MDCLXXXXIX. Felix Roma cognomine , Romanus origine , Abbas eo tempore monaſterii ſancti Benedicti Ferrarienſis , qui litteratorum hominum amantiſſimus fuit , maxime vero Benedicti Bacchinii , & Abbas deinde ſancti Paulli extra portam Oſtienſem Romae anno MDCCVII., dum ſimul univerſae Caſinatis reipublicae , Proſpero Tinti Cremonenſi defuncto , cui data provincia fuerat , in Romana Curia negotia procuraret .

VI. A Guidone Abbate monaſterii aedificia reſtituta , ampliata , atque ornata fuiſſe ad publica , ac privata monachorum , hoſpitumque commoda , ſuperiori nos libro aſſeruimus . Iam vero Dei , rerumque divinarum cultum ipſum non neglexiſſe , ſatis veroſimile eſt , & propterea manum

admovisse novo construendo, atque magnifico templo, cui ad nostra usque tempora antiquus beatae virginis Mariae in caelum assumptae titulus esset. Illud certe quidem noverimus, absolutum, perfectumque fuisse templum anno MXXVI. nonis maiis. Inscriptio enim exstat, qua docemur, eo die, eoque anno solemnia sacra dedicationis eius peracta fuisse, ut nos opinari possumus, ab Heriberto Ravennate Archiepiscopo, ubi loci sanctitatem, monachorumque vitam innoxiam, & innocentem probe intellexerint. Certe adhuc usque legitur in ecclesiae pavimento sculpta inscriptio, hisceque simplicibus vocibus expressa:

M. XXVI.
VII. MAII
DEDICATA.

Vetustum etiam Pomposiani monasterii insigne marmore incisum, caelatumque adiicitur, quod in aliis quoque ecclesiae partibus pictura, lapideve se conspiciendum exhibet, quodque stella aurea constat areola superposita coerulea, & hocce pacto a voce aureis, & litteris exarata *Pomposia* undique cincta:



VII. De

VII. De origine, & cauſſis inſignium, atque ſigillorum, quae olim, uti in praeſentia, maximo etiam in uſu fuere, locus non eſt plura diſſerendi, quum potiſſimum ſaepius de hac re ſcripſerint docti homines, quorum nihilominus non una ſententia eſt in primaeva inſignium eorumdem, atque ſigillorum inſtitutione ſtabilienda. Ad rem noſtram dubitare non licet, Pompoſianam ſtellam ſaeculi ſaltem XI. initio adhibitam; nec iniuria coniectabimus, non primum illam tunc inventam fuiſſe, quinimo a maioribus derivatam, atque a Pompoſianis cuſtoditam, repoſitamque etiam reliquis in locis, & eccleſiis, quae deinde fuerunt monaſterii iuribus adſcitae. Hoc factum maxime conſtat anno MCCCXXXVIII. X. kalendas auguſti ex publicis actis, in quibus *proceſſus viſitationis* continetur eccleſiae ſancti Petri in Collice Cenetenſis dioeceſis: *Monemus etiam*, inquiunt viſitatores, *ſub dictis penis quatenus uſque ad unum annum proxime venturum pingi faciat ante portas dicte eccleſie armaturam monaſterii Pompoſiani, videlicet ſtellam zallam in campo azuro cum literis prout moris eſt dicti monaſterii*. Idem quoque ſtatuitur anno eodem ſequenti die pro eccleſia ſancti Martini de Fana Concordienſis dioeceſis, & pridie idus menſis pro eccleſiis ſancti Syri Bononiae urbis, & ſanctae Mariae, quae de Pompoſia adhuc dicitur in urbe Mutinenſi. Demum anno MCCCLXXXXVI. Bonacurſii Pompoſiani Abbatis temporibus in Pompoſianae curiae palatiis tum prope Pompoſianum monaſterium, tum in oppido Capitiſgauri poſitis, ubi *a Poteſtate*, uti vocabatur, hoc eſt ab oppidi ipſius, totiuſque Pompoſianae inſulae rectore, quem elegit Abbas, ius dicebatur publice, de qua re alibi dicemus, non ſecus atque occaſio nobis erit ediſſerendi de antiquo Abbatum Pompoſianorum ſigillo, quo paſſim ſuis in publicis litteris uterentur, ſtella eadem Pompoſiana noſtris etiam temporibus apparet.

VIII. Supereſt itaque adhuc antiqua eccleſia tribus diſtincta navibus, & arcubus duodeviginti marmoreiſque columnis variis triginta ſex. Tres arae ſunt, ſed recentius adiectae. Retro maiorem vero fragmentum lapidis legitur:

D I E

VIIII. KAL. . . .

M E R C V R I O

C O N S. INDIC

In cornu evangelii pictura in pariete est Mariam virginem exhibens, quae in ulnis suis Iesum infantem habet, ad latera vero aliae imagines, & in tabularum corona sub pictura ex parte altera:

ANNO DÑI MDLXX

III

Ex altera quaedam inscriptio est, quae non satis amplius apparet: subtus autem hi versiculi sic:

Virgo tua Filium prece serenum
Nobis iam effice benigna Iesum.

In hoc cornu altare Mariae virgini *de Rosario* nuncupata dicatum est, & fornicem depictum habet cum sanctorum Dominici, atque Catharinae Senensis imaginibus. Alterum in cornu epistolae altare in tabulis exhibet sanctos Benedictum, Maurum, atque Guidonem Abbates. Super maiorem ianuam templi interiori ex parte haec inscriptio legitur:

A. P. R. M

TEMPLVM POMPOSIANI ASCETERII CLARISSIMI
VENERANDAE ANTIQVITATIS MONVMENTVM
A CLEMENTE VIII. P. M. INVISENTE APPELLATVM
VETVSTATE FATISCENS AC PROPE COLLABENS
INSTAVRARI ORNARIQVE CVRARVNT ABBAS ET MONACHI
E POMPOSIANO FERRARIENSI COENOBIO DIVI BENEDICTI
MDCCXLII

Pavi-

Pavimentum antiquum pulcherrimum est, tessellato, quod appellant musivum, opere elaboratum, esto multis in partibus temporum ingluvie, atque viatorum pietate deficiens, cuius & nos graphicam descriptionem a Caietano Melonio Ferrariensi cive rerum harum studioso factam hic delineari studuimus. Eo autem in pavimento prope ecclesiae ianuam haec inscriptio est recentius posita, qua Clementis VIII. Romani Pontificis in Pomposiam adventus, & sententia memoratur:

AÑO MDXCVIII

DIE XXVI. SEPTĒB

CLEMENS VIII. P. M

HOC TĒPLV̄ INGREDIĒS

ADMIRATVS AIT

PVLCRA VETVSTAS

Loco paullulum superiori hoc sepulcrum recens etiam cum epigraphe est:

D. IO. DE COL. P I R

F. F


Media autem ecclesia Gebehardi Ravennatis Archiepiscopi epitaphium inest, quod referemus inferius.


IX. In ceteris ecclesiae parietibus aliae exstant adhuc picturae antiquae, quae veteris testamenti historiam praeseferunt a primo homine condito, & una Iesu Christi vitam, sub quibus tabulis singulis dicta opportuna ex Dei verbo deprompta leguntur characteribus latino-gothicis expressa. Effigies Salvatoris est super absidem inter caelites picta haec verba exhibens: *Pacem meam do vobis*, & symbola apocalipseos per gyrum. In ecclesiae arcubus aliae sequuntur symbolicae apo-

apocalypſeos figurae, & ad latus maioris ianuae s. Benedicti Abbatis, ut quidem opinamur, imago, cui ſuper caput cucullus, iuveni tironi benedicens genibus flexo, indutoque tunica leucophera cum capillorum corona, quam Minores Obſervantes s. Franciſci, qui vocitantur, ſolent deferre. Tabulam vel hanc delineatam voluimus. Chori quidem picturae auctorem eumdem clamant, qui triclinium pinxit: reliquae vero eccleſiae ea profecto tempora ſapiunt, haud tamen manum eamdemmet, eſto non ambigerimus, e ſchola ipſa exiiſſe pictorem, ac fortaſſe aliquem ex Iotti diſcipulis. Tabulas Pompoſianis ſimillimas optime cuſtoditas vidimus in eccleſiola Patavinae Arenae. In ipſo eccleſiae aditu pro luſtrali aqua duo marmorea vaſcula ſunt, quorum alterum quadratum cum caelaturis florum, rotundum alterum, quod parvi ſuſtinent Atlantes duo. Et tabulae demum in ſacrario exſtant, videlicet ſuper parietem Chriſtus affixus cruci medius inter Marias, & ſuper lignum ſancti Blaſius, ac Vitalis, qui medium habent ſanctum Apollinarem Ravennatem Epiſcopum, tum altera in tabula ſanctus Iohannes Baptiſta medius inter ſanctas Mariam Magdalenam, & Catharinam martyrem. Antiquum Pompoſianae eccleſiae ſacrarium, ſive *ſacriſtiam*, recenſet charta anni MCCXXXV. pridie kalendas ianuarias. Prope eccleſiam antiquum *capitulum* adhuc ſupereſt, cuius mentio in chartis Pompoſianis perpetua eſt, in quo picturae apparent Iotto vetuſtiores, videlicet Chriſtus ipſe cruci confixus, ad cuius latera Angeli ſunt, & figurae ſub cruce trium Mariarum: in parietibus vero reliquis integrae effigies ſanctorum Benedicti, & Guidonis Abbatum, ac Apoſtolorum duodecim. Non mirum, ſervari hacterius Pompoſiano in monaſterio tabulas Iotto antiquiores. Baſſanum etiam urbs picturas exhibet ante Iotti ipſius, ac Cimabuis tempora, quae licet recens barbare deletae, epigraphen tamen, uti notum eſt, habebant: *Anno Domini* MCLVII. *Guidus Bononienſis pinxit.* De pictis tabulis Pompoſiani triclinii adhuc ſuperſtitibus alibi diximus. Cetera vero loci monumenta dabimus ſequenti volumine, inſcriptiones nimirum quaſdam, quae in parietibus mona-

Tab. I. Tom. I. pag. 286.


TURRIS CAMPANARIA POMPOSIAE Altitud. ped. Ferrarien. 130.
In circumdario vero ped. 72.
ATRIUM PROPE PROSPECTUM ECCLESIAE POMPOSIAE



PARS LATERALIS EXTERIOR ECCLESIAE POMPOSIAE

VETUSTISSIMI TEMPLI POMPOSIAE INSIGNE PAVIMENTUM




SEPULCRU GIBEARDI RAVENNÆ ANTISTI
LAPIS INGRESSUM INDICANS IN HOC TEMPLUM CLEM PP. VIII

monasterii leguntur, quaeque ad posteriora tempora pertinent. De turri Pomposiana dicemus in altero historiae nostrae volumine.

X. Quotidie itaque quum afflueret Pomposia opibus, atque honoribus, maxime vero monasterium floruit pietate hominum insignium, copia, & praestantia. Quid enim? Sub tanto magistro Guidone, qui se vivum singulis exemplar praebebat, quam maxime necessarium erat, ut vel ipsi religione in dies, dignitateque proficerent monachi. Qui enim fieri umquam potuerit, ut ducis exemplum non imitaretur quis, nec eius obtemperaret voci, quum adamussim res praeclare gestae responderent omnino praeceptis? Facile vero sibi quilibet persuaserit, deficientibus nobis historicis monumentis, plurium etiam intercidisse eorum memoriam, qui sanctitatis fama percelebres eodem in monasterio floruere, Guidonis in primis aetate. Paucorum nomina, & acta quorumdam bono omine nobis communicavit saepius laudatus anonymus Pomposianus Guidonis ipsius, ut cum Mabillonio sentimus, discipulus: quorum nonnulla nos commemoravimus supra, reliqua statim referemus. Sed & multa anonymum eumdem aufugerant, ipso teste his verbis: *Multa sunt, quae nostram notitiam, & memoriam fugiunt; ex paucis, quae scribimus, plura coniicere lectorem supra in praefatione monuimus.* Et paullo inferius: *Quoniam de vivente nobiscum adhuc loquimur, quae vivens egerit, prius est ut dicamus: parva dicturi sumus, & pro meritis tanti viri, vel laude infirma satis.*

XI. Ut igitur & nos cum anonymo dicamus, haec de quodam homine, cui nomen Gerardus, refert: *Gerhardus quidam genere Longobardus quartanis diu febribus fatigatus Pomposiam venit, revelatum sibi divinitus asserens, quod si biberet de aqua, qua manus suas Abbas Guido lavisset, illico sanus fieret. Hoc audiens homo mitis, & humilis, & dictum exhorruit, & factum inhibuit. Sed industria ministri eius, Petri nomine, quod petebat aeger, bibit, & sanatus est.* Sed etiam saepius per Guidonem hoc perpatratum a Deo miraculum, testis est anonymus,

mus, qui haec deinde ſubdit: *Illud quoque quod de aqua, qua laverat manus proprias, aegritudines depulerit alienas, ſicut ſupra retulimus, non ſemel & iterum, ſed multoties factum novimus.*

XII. *Alio quoque tempore vas ligneum vino plenum ſuper murum miniſter caute depoſuit, quod lapſum in terram ne frangeretur vas, vel vinum effunderetur, viri ſancti obtinuit meritum.*

XIII. *Vir quidam Iohannes Venetiae ortus, domum, patriamque relinquens Pompoſiam venit. Suſceptus vero ab Abbate Guidone, ac monachus factus, adeo ſe probabilem exhibuit vita, & moribus, ut quanta eſſet doctrina magiſtri in geſtis clareret diſcipuli. Etenim iſte, de quo loquimur, cum litteras omnino neſciret, Deum pluſquam ſe, proximum vero tamquam ſeipſum diligens, hoc totum implevit, quod lex continent, & prophetae* (a). *Abnegans denique ſemetipſum nihil umquam praepoſuit Chriſto: proximum vero (ſi fas eſt fieri, vel credi poſſibile) pluſquam ſe convincitur dilexiſſe, cum nulli umquam intulerit iniuriam, ſaepius vero illatam pertulerit, nec alicuius ſe permiſerit gravari obſequio, cum cuilibet ipſe foret ſemper ſubſidio, ac his ſolummodo ſubveniendo deeſſet, quibus adeſſe non poſſet. Cuius autem ſanctitatis, vel meriti fuerit, finis eius probavit. Die quippe una dum reſideret in clauſtro in ordine fratrum, una quoque cum Abbate Guidone Angelus nive candidior in ſpecie viri ſe monſtrans dixit ei: Euge ſerve bone, veni, & intra in gaudium Domini tui* (b). *Qui cum a conſidentibus cunctis idem quod a ſe viſum, & auditum putaret, paullulum ſubſtitit: deinde illis tacentibus patri Guidoni quid viderit, quidve audierit retulit dicens: Quid eſt, inquit, pater, quod vir iſte, quem mecum omnes vidiſtis, locutus eſt mihi: Euge ſerve bone, & fidelis, veni, intra in gaudium Domini tui? Cui pater: Relinquere nos, ait, fili, vis? Et iſte non poſt multum tempus carne ſolutus migravit ad Dominum, ſumpturus in premio quod accepit in merito.*

XIV. *Frater nomine Sergius cuſtos eccleſiae aſcenderat tripodam, ut lampades luminibus accendendis aptaret, ex quibus elapſa manibus una in lapide pavimenti minutatim confracta eſt. Colle-*

(a) Matth. 22. v. 40. (b) Ibid. cap. 21.

Collegit custos fragmenta , & ante altare deposuit . Pergens ad Abbatem poenitentiam acturus pro damno , venia mox ab Abbate donata , in ecclesiam rediit , ac lampadem redintegratam reperit : cuius facti damnum patenter deputatum discipulo , prodigium adscribendum videtur magistro . Quo in miraculo Episcopi , & martyris Donati virtutem imitatum Guidonem , animadvertisset Gregorius magnus (*a*) , *Donati* , inquam , *qui fractum calicem pristinae incolumitati restituit* ; & nos addere possumus , imitatum etiam fuisse virtutem Abbatis sancti Nonnosi in Soracte monte , de quo idem Gregorius (*b*) , cui scilicet quum factum ipsum aliquando contigisset , *seque cum gravi gemitu* , ut sanctus Pontifex scribit , *in orationem dedisset* , *cum ab oratione caput levasset* , *sanam lampadem reperit* , *quam timens vehementissimum patris monasterii furorem per fragmenta collegerat* .

XV. *De trabibus ecclesiae* , persequitur anonymus noster , *ceciderat oleo plena lampas alia* , *quae nec laesionem pertulit* , *nec oleum effudit . Eiusmodi casum iam tertio perpessa* , *incolumis tamen in eadem hucusque pendet ecclesia . Verum* , concludit auctor , *minima sunt haec ad comparationem eorum* , *quae tantum auditu comperimus* , *quoniam extra monasterium operatus est viro tam magno condigna* .

XVI. Sed & Petrus Damianus luculentissimus , & bene oculatus est testis vitae sanctissimae , virtutumque illustrium , quibus Pomposianum eo tempore monasterium eniteret . Abbati enim , Pomposiaeque monachis datis litteris post Guidonis mortem , rem domi , & ipso in monasterio olim gestam enarrat in divinae iustitiae , & una misericordiae testimonium , de Raimbaldo agens Pomposiano monacho , quo cum versatus ipse Damianus fuerat quo tempore vitam in Pomposia duxerat , qua de re inferius dicemus : *Dicam* , ait ipse (*c*) , *non quod aliena relatione cognovi* , *sed quod oculis vidi* , adeoque non longe ab anno MXL. Quae sane Damiani verba lubenter nos retulimus , quo ostendamus , saepius Damianum virum & probatissimum , & doctissimum facile sibi persuasisse ,

 quam

(*a*) Lib. I. dialog. cap. 7.
(*b*) Ibid.
(*c*) Opusc. 13. de perfectione monachor. cap. 21.

quam longe à vero quaedam abhorrerent facta, quae nihilominus ex una aliorum narratione adoptaret ipse, suisque insereret operibus non tam arte sua, quam sui saeculi indulgens genio, vitioque. Rem vero hoc pacto recenset: *Pomposiae quidam frater erat Raimbaldus nomine, frater videlicet Petri reverentissimi viri, qui nunc apud Vincentiam Abbatis officio fungitur. Hic itaque adolescentiam suam crebris consueverat edomare ieiuniis, & sicut in primis auspiciis famosae indolis, in plerisque specimen dabat. Huic iniunctum erat officium, ut cuidam Teutonico ministraret incluso; qui nimirum effossis oculis, & abscissa dextera, iuxta ecclesiam positus arduam duceret vitam. Erat autem regula monasterii, ut nemo claustrensium egrediens loqueretur. Aliquando autem quum Raimbaldus in capitulo constitutus graviter quereretur, se nequaquam posse pueris imperitis per signa praecipere, ut servo Dei vestes abluerent, & praesertim quae sibi edulia praepararent, postremo asserens, atque denuncians, quia, nisi silentium frangeret, mandata penitus servare non posset. E contra vir sanctus, Abbas scilicet Guido, ne silentium solveretur, vehementer obsisteret, constanterque in auctoritatis suae sententia permaneret, demum ad hoc post multa perventum est, ut ille praeciperetur ab administratione cessare, sibique quiescere. Sed o divinae ultionis accelerata severitas! vix dum dimidiae horae cursus elabitur, & ecce Raimbaldus superposito dolori digito in gutture se esse percussum lacrymabiliter protestatur. Quid plura? Post diem, si rite teneo, tertium satisfactione facta, & accepta sancti patris benedictione, defunctus est. Hoc autem, charissimi, domesticum vobis idcirco retulimus, ut memineritis, sanctam obedientiam pro confidentia nullius pii operis, sive religionis aliquando negligendam.*

XVII. Teutonicus ille, de quo Damianus, qui scilicet, ut olim de aliquo quodam Iohannes Climacus scripsit (*a*), *ante monumentum mortuus est, sepulcrum enim cellulam suam fecerat*, testimonium est nobis, monachos in Pomposia etiam fuisse, qui *inclusi*, sive *reclusi* dicti sunt, de quibus monasticae passim pertractant historiae. Erant autem ii solitarii, qui coeno-

(*a*) Scala paradisi grad. 27.

coenobiticam iamdiu vitam professi, non finerentur eam rationem inire sine licentia Episcopi, sive Abbatis, atque omnium etiam monachorum coenobii, in quo recludendus excultus fuerat, ac educatus. Facta vero ea facultate, adhuc in monasterio annum commoratus extra illud egredi prohibebatur, atque nonnisi adire ecclesiam. Post annuum periculum coram Episcopo, & clero, sive coram Abbate, & monachis stabilitatem suam, morumque conversionem Deo pollicebatur, ac cellulam tandem ingrediebatur, cuius ianuam Episcopus ipse, aut Abbas suo consignabat sigillo. Ea autem maxime erat angusta, & firmissimis undique munitionibus circumdata, nec cuiquam in eam aditus patebat, nisi infirmae valetudinis tempore. Comam, & barbam illi nutrire illicitum ut plurimum. Cetera praeterea, quae multa erant, esto non ubique, neque a singulis semper *reclusis* servata. Testimonium est etiam Teutonicus ipse, aegros, & caecos omnino in monasterio Pomposiano receptos, ubi monasticam amplecti vitam optassent. Cuius rei exemplum aliud sui temporis refert Damianus (*a*) de iuvene quodam Faventino: *Inter duos sibimet convicaneos*, ait, *obortis invicem simultatibus*; *alterius oculos alter effodit*; *caecus itaque postquam se mundo nimium inutilem vidit*, *monasterium petiit*. Apparet demum, quanta fuerit in Pomposia silentii custodia, atque religio, & signa pro lingua adhibita extra claustra, ut Cluniacensium maxime consuetudo ferebat.

XVIII. Alibi nos de Alberto parente (quem falso nonnulli Rupertum dixere) deque Gherardo fratre Guidonis locuti sumus, qui monasticum sub eo capessentes institutum, vixerunt ambo religiose, sanctеque obiere. Prodigium etiam commemoravimus, quod eremitae obvenit Martino idiotae, qui nimirum desiderio captus e vita non decedendi, nisi benedictione Abbatis sanctissimi accepta, ad vitam aliquandiu reverti promeruit, atque dulcedinum ineffabilium symbola praegustare, quibus statim perfrui deberet in caelis. Ab eo alium nos censemus cum Camaldulensium rerum scriptori-

Oo 2 bus

(*a*) Opusc. 51. cap. 13.

bus (a) Martinum, cuius Damianus meminit (b) ad Martinum fratruelem suum scribens, quem nescimus tamen, Classensis ne monachus, ut ipsi post Caietanum operum Damiani editorem asseruere, an Pomposianus fuerit. Pomposianos certe ipsos Damianus amandat aliquando (c) ad legendam epistolam, quam Martino fratrueli suo miserat: *Legite etiam*, inquit, *epistolam, quam Marino fratrueli nostro direximus*. Utut res isthaec sit, haec de Martino enarrat doctor eximius: *Porro autem vidi Pomposiae monachum apprime divinae legis, & disciplinis regularibus eruditum, qui, ut ferebatur, hoc cum assidente sibi fratre parili conventione pepigerat, ut apposita cuique vini, sicut mos est, personaliter obba uterque quotidie utriuslibet mensura contentus esset*. Erat autem *obba*, auctore Nonio, poculi genus sive ligneum, sive ex spartho a latina voce *obbibo*, qua Cicero etiam usus est (d) pro verbo *bibo*, vel, ut alii malunt, a graeco vocaqulo ὤβὴ, quod *tribum*, hoc est populi partem, sive turbam significat. Inter Latinos scriptores eam adhibuere Persius (e), & Varro (f). *Nimirum*, subsequitur Damianus, *ut ex eo quod uni competeret, duo se sub sobrietatis moderamine substentarent; cum vero socius ille deesset, in ipso aestatis ardore, qui nimirum eo loci ferventior incumbit, eo usque in propria obba vinum acescere permittebat, ut scaturescentes in ea vermes saepius reperiret. Martinus itaque decalvatus, hoc quippe ei vocabulum erat, ad extrema perveniens, cum eius totum corpus hydropis humore immaniter intumesceret, omnes nos, qui eius lectulo videbamur assistere, petiit, ut eum dignaremur scopis sigillatim quilibet verberare. Cumque sic in fide perfecta, & sancta fuisset confessione defunctus cuidam postmodum fratri in visione apparuit. Erat autem in cuiusdam splendidissimae regionis vernanti, & florido nemore, candida decoratus stola, & fulgido praeclarus aspectu. Recumbebat autem in lectulo tegumentis insignibus, & mirificis adornato; de quo videlicet hucusque sufficiat, ne dum historiam teximus, epistolaris compendii limites excedamus*. Haec Damianus. XIX. De

(a) Annal. Camal. tom. II. p.72.
(b) Lib. VI. epist.26.
(c) Opusc.13. de perfectione monachor. cap.20.
(d) Tusculan. lib.1.
(e) Satyr.5.
(f) Epist. ad Marullum.

XIX. De Iohanne etiam Comaclensi Episcopo: monacho deinde Pomposiano agit Damianus ipse epistola sua (*a*) ad Landulphum clericum Mediolanensem & generis nobilitate, & litterarum cognitione non vulgarem. Hic sane Episcopus avaritia tractus, suique ministerii munerum contemptor, divina saepius gratia affectus morum aliquando conversionem suam meditabatur. Verum supernae virtutis, quae fax erat intellectui ipsius, inspiratae suavitati perpetuum obsistens, in voluntate manebat adversa caelesti delectationi, qua & concupiscentiae in eo vehementiori, & victrici gradibus gratiae obtemperaret, quam ipsi adhuc impartiri placuisset Deo. Nihilo tamen minus factum est tandem, ineffabili, quae in Deo est, atque admirabili profecto misericordia, ut, immanis facinoris Episcopi opportunitate exspectata, ad salutis portum revocaretur, e quo egressus per immensas undique iactabatur naufragus undas. Haec itaque de eodem Damianus narrat: *Interea Iohannes quoque Comaclensis Episcopus ad memoriam redit, qui dum conversionem suam per longa temporum intervalla differret, aliquando contigit, ut in fundo suo, quem in saltus possidebat territoriis, moraretur. Illic itaque constitutus pauperculae cuidam viduae porcum, quem velut spem sui victus alebat, praecepit auferri, suisque ferculis profuturum non segnius praeparari. Emittit preces illa, fletus fundit, ac gemitus, sibique diligentiae suae reddi nutrimentum. Sed suo ventri magis, quam illi pius Episcopus dum propriis providet mensis, mandatum parvipendit auctoris, qui per Prophetam dicit* (*b*): *Subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Sed qui absens credebatur instituendo praeceptum, praesentem esse se docuit in ferendo iudicium. Nam Episcopus dum lacrimas viduae suae facit delicias gulae, mox percussus in gutture vulnus incurrit, quod nullis medicorum studiis, dum vixit, evasit. Hoc itaque praepeditus incommodo, quum iam iuxta scripturam* (*c*) *sola vexatio intellectum daret auditui, tandem sanis consiliis acquievit, & episcopales infulas monachica professione mutavit; atque in Pomposiano coenobio, quod in beatae Mariae semper virginis est honore con-*


(*a*) Lib. v. epist. 16. (*b*) Isaiae cap. 1. (*c*) Ibid. cap. 28.

constructum, longis post temporibus vixit. Usque tamen ad obitum tanta laesi gutturis laboravit molestia, ut nisi cum magna difficultate traiicere alimenta non posset; adeo ut ad geminam semper mensam succedentium sibi fratrum in refectione discumberet, vixque tantum cibi caperet, unde recreare stomachum potuisset.

XX. Huic simile factum idem Damianus recenset (*a*) ad Guillam comitissam Rainerii marchionis uxorem data epistola; ostendens quippe, & exempla prodens divinae ultionis in eos, qui pupillis, viduisque mala patrarent, haec ait: *Ut autem hanc Domini sententiam non ex longinquo, sed ex domestico potius astruamus exemplo, soceri tui, Uguzonis scilicet marchionis, uterinus frater olim fuit comes Ubertus, cuius uxor, dum in castro, quod Sciffena dicitur, habitaret, cuidam viduae porcum tulit, eoque per coquorum industrias ad edulium praeparato pransura discubuit. Vidua vero, quia victimam sibi reddi iam saepe rogaverat, sed ne hoc quidem, ut patienter audiretur, obtinere potuerat, mulieri solemniter conviventi, dolore transfixa se mulier obtulit; & ut tenue saltem frustulum de suo sibi nutrimento porrigeret, postulavit: quia non merueram, inquit, de nutricio spei meae consueto more gaudere, liceat saltem extremi gustum saporis attingere. Quam petitionem fluens, atque superbiens matrona despexit; eique, quia numquam ex illo manducaret, non sine contumeliae iurgio denuntiavit. Sed o divina iustitia ad plectendam impietatem, atque superbiam gladio semper ultionis accincta! eodem plane die post prandium, dum praefata comes in castrensis valli sederet secura crepidine, & saginatis ex aliena calamitate visceribus, nullius ruinae periculum formidaret, repentino mox subcisivio munitionis agger obruitur, & super infelicem mulierem immensa ruentis promontorii congeries cumulatur: perstrepentes undique phalanges hominum confluunt, fossores accedunt, terrae viscera perscrutantur, & dum diversis ferramentorum generibus collapsa terrae moles hinc inde perfoditur, vix tenue contriti cadaveris vestigium reperitur. Ossuum ergo, artuumque particulas, quas non sine magni laboris instantia, ut ita loquar, exsculpere potuerunt, sepulturae tradiderunt. Sic se dividi per frustra sui corporis meruit, qui frustum suinae carnis petenti viduae denegavit.*

(*a*) Lib. VII. epist. 18.

XXI. Ut vero ad Iohannem Comaclenfem Epifcopum redeamus, Georgio in epifcopatu ipfe fuffectus fuerat anno MIII. ad finem vergente, vel confequentis initio, quod ex antiqua Pompofiani tabularii membrana certum fit, in qua uterque receptos *canones*, feu penfiones cuiufdam manfionis ab Albino presbytero confitetur; indictione enim prima menfe augufto, hoc eft anno MIII. Georgius adhuc in vivis erat: *Conftat me*, legitur eadem in membrana, *Becio archidiaconum fancte Cumiaclenfis ecclefie iubente domno Georgio epifcopus dicte fancte Cumiaclenfis ecclefie accepiffe & accepi a vobis Albino presbytero penfionem de una manfione & cum curte iuxta fe habentem que eft pofita in Cumiaclo in regione fancte Marie que vocatur Fermofa*. Sed indictione fecunda menfe eodem, nimirum anno MIV legitur: *conftat me Petrus presbyter Pitulo fancte Cumiaclenfis ecclefie iubente domino meo Iohannes Epifcopus dicte fancte Cumiaclenfis ecclefie accepiffe & accepi &c.* quod iterum factum dicitur a laudato Becio archidiacono Iohannis ipfius Comaclenfis Epifcopi mandato fequentibus indictionibus ad fextam ufque, ideft ad annum MVIII. Sed anno MIII. ipfomet mortuo Georgio, Iohannes electus dicendus eft: nam ad eum infcriptio pertinet, quae anno MDCCXXII. in canalis cuiufdam excavatione prope fratrum, quos *Capuccinos* dicunt, coenobium Comacli urbis, reperta fuit, hifce confcripta characteribus:



Hoc eft: *A onore beati Iohanni Baptifta Iohannes Epifcopus fieri curavit per indictionem primam*. Ad vetuftum fanctae Mariae in aula regia monafterium eam pertinuiffe, creditum eft. Iam vero adhuc Comaclenfem ecclefiam gubernabat Iohannes anno MXVI. quo pridie kalendas maias fynodo Ravennati fubfcripfiffe ab Arnaldo Archiepifcopo habitae, fuo loco diximus in cauffa Guidonem inter Pompofiae Abbatem, & Vitalem Abbatem fancti Adalberti de Pereo vertente. Ab eo autem anno potuit Iohannis receffus con-

contingere, & fortasse circa annum MXX. Quare non leviter alucinatur Ughellius, ubi ad annum usque ML. Iohannis episcopatum protrahit (*a*), ad quem fortasse ne aetas quidem pervenit ipsius, licet eam valde senilem fuisse, illa suadeant Damiani verba: *longis post temporibus vixit*, posteaquam videlicet episcopatu se abdicarit. Plura sane in monastica historia exempla occurrunt abdicationis huiusmodi, de qua re Mabillonium praesertim adeas (*b*), si lubet; qua peracta, subiiciebantur Abbatibus Episcopi, disciplina monachorum propria uti debebant, & aliquando sacros ordines peragere permittebantur, aliquando prohibebantur.

XXII. Sed ab seminario, quo triumphabat Pomposia copia rerum mirabilium, & sanctorum hominum illustrium virtutibus omnigenis, gradus nobis sit ad famam celebrandam ipsius ex eo, quod plurimum etiam litteris daretur opera illo in monasterio, in quo proinde maxime sub Guidone Abbate insignes non solum pietate, sed doctrina etiam singulari floruerunt, quorum licet nomina interciderint plura, instar tamen omnium, ac primi sint Guido Aretinus dictus, & Petrus Damianus, omnium sui saeculi facile doctissimi, de quibus hic agere nobis propositum est.

XXIII. Guidonis Aretini & mentio, & laus passim in eorum temporum, & consequentium saeculorum historiis sese nobis obiicit, adeout nisi e Pomposiano coetu ipsum noverimus, plura de eo recoquere inutile prope videretur, & esset. Quum tamen adhuc res gestae ipsius densis obsitae tenebris sint, & plura de eo ignoremus, quam sciamus, quae saltem coniectura innixi de tanto viro compererimus, animadvertere praestabit, quum nonnisi lente ac paullatim procedere possimus.

XXIV. Initio quidem nobis certum est, sub Guidone Pomposiano Abbate Guidonem hunc alterum Aretinum appellatum ex Aretio urbe, in qua natus, monasticam amplexatum fuisse vitam in ipso Pomposiano monasterio post saeculi XI. initium,

(*a*) Ital. sacr. tom. II. in Episc. Comaclen. num. 6. pag. 483.

(*b*) Annal. Bened. tom. IV. p. 134. & alibi.

initium, de qua re vix, aut ne vix quidem ambigere sinunt ea, quae dicturi deinceps erimus. Quo autem revera anno id contigerit, ignotum nobis est, ignotusque natalis annus ipsius. Quamdiu etiam in Pomposia fuerit versatus, nec divinare licet, de qua tamen re inferius agemus.

XXV. Sed ipsum tota Italia, quinimo Europa clarum, & nobilem vixisse etiam post mortem, indubium est. De eo Sigebertus ait in chronicis suis ad annum MXXVIII: *Claruit hoc tempore in Italia Guido Aretinus multi inter musicos nominis.* Et chronicon Turonense apud Marteneium (*a*): *Anno I. Conradi florebat in Italia Guido Aretinus mirabilis musicus, qui gamma, & regulas cantus composuit, & sex vocibus, quas sola musica recipit, nomina imposuit: nam prius quasi per usum cantabant.* Sane si saeculum XI. christianae ecclesiae pro musica re temporum omnium felicissimum habitum est, & dictum, omnibus suae aetatis, iisque, qui praecesserant, & nomine, & peritia praecelluit Guido, brevis, facilisque regulae auctor, qua scientiam illam quilibet cognoscere posset, atque callere sex notarum ope, quae deinceps omnibus evasere communes; ex quo factum est, ut quod antea vix decennio percipi posset, anno uno, aut certe biennio perdisceretur. Noverint eruditi homines, anno circiter DCCCCLXXXVI. in Corbeiensi monasterio, teste chronographo ipsius, Abbatis Rataldi temporibus novam cantus methodum incoeptam, qui *flexus* fuit deinde dictus, notulis adhibitis lineis distinctis, atque spatiis, quae ad ea tempora usque haud fuerant in usu in monasterii ipsius *antiphonariis*, sive *gradualibus*, in quibus, non secus atque in reliquis antiquioribus pro notis musicis litterae adhibebantur usque ad saeculum IX., quas Notkerus Balbulus explicavit Lamberto sancti Galli monacho, qui illum de notis sciscitatus fuerat, ut videre licet penes Canisium (*a*). Sed ad saeculi eiusdem finem litteris inveniuntur suffectae notulae longiores, hoc est cum cauda, quae nostris etiam temporibus solemnes sunt: ad concentum vero significandum lineolae intermediae tunc desiderabantur. Rataldi *sa-*

(*a*) Tom. x. collect. col. 999. (*b*) Antiq. lection. tom. v. pag. 739.

cramentarius codex, quem Menardus laudat (*a*), hasce praesefert notulas, sive regulas, quibus & lineolae desunt. Illum Mabillonius edidit (*b*), & ante eum Menardus ipse, qui & simili Aeligiano codice usus est in sua recensione. Iam vero maxime in Italia cromatica, atque enarmonica musica religiosius fuerat custodita, quod pluribus Muratorius ostendit (*c*), cuius plures semper fuere peritissimi, atque magistri.

XXVI. Sed artem hancmet in primis Aretinus Guido illustrem fecit, atque faciliorem, adiectis clavibus, & lineis, notarumque nominibus per levae manus articulos depromptis pro ecclesiastico cantu ex initialibus syllabis *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la* prioris strophis hymni, quem inter alios multos Paullus diaconus celeberrimus Casinas monachus annis circiter biscentum quinquaginta ante vulgaverat Iohannis Baptistae laudes contexturus:

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatus,
Sancte Iohannes.

Quas notulas recentior auctor penes Vossium hoc altero contraxit versiculo:

Cur adhibes tristi numeros, cantumque labori?
Ut re*velet* mi*serum* fa*tum*, sol*itosque* la*bores*.

Profecto haec confecisse Guidonem ipso in monasterio Pomposiae, epistola eius ostendit ad Michaelem Pomposianum monachum, quam statim erimus allaturi. Verum ex quo nomen habere, & gloriam penes omnes debuisset Guido, ansam illudmet praegrandis invidentiae, ac simultatis occasionem praebuit, qua, ut humanarum rerum sors est, atque conditio, iniuste nimis, & acriter infestos habuit nonnullos, adeout e monasterio Pomposiano abire, quasi maiora pericula vitans, & mala, coactus omnino fuerit. Quae quum nos

(*a*) In sacrament. pag. 96.
(*b*) Annal. Bened. tom. IV. in append. pag. 96.
(*c*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 356.

nos enarranda suscipimus, non sugillatos voluerimus a quopiam Pompolianos illorum temporum monachos. Neque enim umquam inter spectatissimos etiam homines, atque probatae vitae deest ille discordiarum seminator, & parens, cuius arte, Deo utique iusto permittente, illorum tentatur, & una confirmatur virtus, atque perficitur, qui Deo ipsimet omnem servare fidem studiose sategerint: neque nos ex historia demere veritatem volumus, neque vel a reprehensione amicorum, vel ab aemulorum laudibus abstinendum censemus, neque demum turpe putandum, si eosdem aliquando reprehendamus, interim laudemus; siquidem eos neque semper recte facere, neque semper errare verosimile est. Hic menti occurrit, quod Nitriae loca deserta pervadens aliquando Hieronymus refert (*a*): *Lustravi monasteria Nitriae*, ait, *& inter sanctorum choros aspides perspexi*. Quod nemini mirum sit, qui vel paullisper attendat, ita placuisse Deo, ut frumentum, & paleae sua in ecclesia essent, agni, & lupi, homines scelesti, probique: *nec perversos*, scribebat antiquus auctor, & pius, *& exsecrabiles quosque sanctorum virorum numero insertos latitare miremur, quia dum in huius saeculi area conculcamur, atque conterimur, necesse est etiam, paleas igni perpetuo deputandas inter electissima frumenta misceri*.

XXVII. Hac autem de re facilius sibi quisque persuaserit, qui meminerit, antiquam alibi iampridem fuisse de ecclesiastico cantu controversiam, prout partium studium, quod maxime iis temporibus de eomet effervesceret. Anno enim DCCLXXXVII. quum Romae Carolus magnus versaretur, *orta est contentio*, teste monacho Engolismense eius biographo (*b*), *inter cantores Romanorum, & Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare, & pulchrius, quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas ecclesiasticas proferre.... Gallis Romanis exprobabant; hi contra appellabant eos stultos, rusticos, & indoctos; velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam sancti*

(*a*) Lib. III. contra Rufinum. (*b*) Apud Duchesne tom. II. vit. Caroli M.

Gregorii praeferebant rusticitati eorum. Addit deinde biographus ipse: *Omnes Franciae cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam, excepto quod tremulas*, (hoc est fortasse, ut Itali dicunt *trilli*), *vel tinnulas, sive collisibiles, vel secabiles voces* (nimirum, aut ego fallor, *dioesin*, atque *B molle*) *in cantu non poterant perfecte exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces potius quam exprimentes &c.*

XXVIII. Iam vero diu ante, & post Guidonis aevum in Italia, & alibi de eadem re certatum est. Noverimus enim, per ea tempora non semel in ecclesiis multis, atque monasteriis mutationes de cantu invectas, quae & offensionum saepius, & turbarum caussa fuerint, atque occasio, quum teneret tunc multos ars tractandi musicam, deque ea praecepta scribendi cacoethes. Quippe satis verosimile est, maioribus in monasteriis, aut ecclesiis unum, vel plures constitutos, quibus demandaretur in cantu iuvenes erudiendi cura, atque provincia; quod & res ipsa in Pomposia de Guidone gesta ostendit, & alias nosmet demonstravimus de Casinate monasterio in praefatione quadam ad codicem manuscriptum Casinensis bibliothecae signatum numero 318., in quo *de musica* opuscula sunt, primum quidem sub exsteriori Iohannis presbyteri, & monachi nomine, alterum Guidonis ipsius Aretini, quemque exscriptum, illustratumque a nobis ad celeberrimum aeque, & bene de re musica meritum Martinum Gerbertium amicum nostrum transmisimus sacri Romani Imperii principem, & monasterii sancti Blasii in Silva nigra Abbatem. Profecto anno circiter DCCCCLXXXXVII. Lethaldus monasterii maioris Turonensis monachus perquam doctus vitam sancti Iuliani Cenomanensium primi Episcopi descripturus hortatu Avesgodi Episcopi ecclesiae eiusdem, cui & opus suum dicatum voluit, sacras illius laudes contexuit in Cenomanensi ecclesia recitandas, in quibus a communis, & antiqui cantus consuetudine recedere ipsi religio fuit, ne barbarum concentum, atque inauditum adhuc effin-

effingeret: *non enim mihi placet*, ait ipse (*a*), *quorumdam musicorum novitas*, *qui tanta dissimilitudine utuntur*, *ut veteres sequi omnino dedignentur auctores*. Anno etiam MXXII. Berno floruit Augiensis Abbas, cuius multa inter opera singularis liber nobis adhuc superest, quem idem *in arte musica praepollens*, ut de eo verbis utar Sigeberti Gemblacensis (*b*), *de regulis symphoniarum*, *& tonorum scripsit*. Testis Mabillonius est (*c*), in bibliotheca monasterii sancti Georgii, quod olim in silva Ercinia positum erat, nunc in regione Villigensi insignem exstare codicem manuscriptum, quo nonnulla auctorum, qui de arte musica scripsere, commentariola continentur, ex quibus *musica Bernonis domno*, *Deoque dilecto Piligrino* dicata tunc temporis Coloniensi certe Archiepiscopo, deinde vero Bernonis ipsius epistola, post quam statim eius liber, quem ex Sigeberto laudavimus, *de regulis symphoniarum*, *& tenorum*. Eam epistolam primus edidit Mabillonius ipse (*d*), sed liber publicam adhuc lucem exspectat, quam ei dabit profecto laudatus a nobis superius Gerbertius sua in absolutissima de musica tum Graecorum, tum Latinorum a Christo nato auctorum collectione. Ad haec saeculo XI. medio Stephanus IX. dictus X. Romanus Pontifex, & quondam Casinas Abbas dictus Fridericus Lotharingus, in Casinensi monasterio cantui Ambrosiano Romanum, qui *firmus* appellatus est, & *Gregorianus*, suffecit, Leone Marsicano referente (*e*): *Tunc etiam & Ambrosianum cantum in ecclesia ista* (Casinensi) *cantari penitus interdixit*. Ambrosiano enim dulcior, constantiorque Romanus habebatur cantus, ille fortior, atque strepentior, quod Rodulphus etiam Tungrensis animadverterat (*f*). Demum ne, quam par est, longiores esse videamur, in Fiscamnensi monasterio saeculo eodem XI. permutatum cantum novimus, unde tumultus ibi non leves exorti sunt, & contradictiones excitatae.

XXIX. Nil

(*a*) Apud Mabillon. veter. analect. tom. III. pag. 299.

(*b*) De scriptorib. cap. 156.

(*c*) Annal. Bened. tom. IV. pag. 293.

(*d*) Ibid. pag. 294.

(*e*) Chron. Casinen. lib. II. cap. 97.

(*f*) De observant. canon. lib. X. prop. 12.

XXIX. Nil mirum igitur, si turbae de eadem re motae etiam in Pomposiano monasterio fuerint, haud resistente ipso Guidone sanctissimo Abbate, ut inferius dicemus, statim ac novam canendi methodum adinvenerit Guido. Verum inter difficultates omnes, commotionesque in eum invidentiae, non diu profecto fuit, quum palam omnibus scholae ipsius nomen innotesceret, atque celebraretur ubique, & ad Iohannis XIX. Romani Pontificis notitiam res isthaec pervenerit. Desiderio itaque ductus Pontifex intelligendi, quî posset Guido tanta facilitate, celeritateque iuvenes in cantu erudire, eum Romam semel, iterum, & tertio vocavit, iussitque adire, quo tandem, invitus licet, sese una cum Gregorio Mediolanensi Abbate, & Petro Aretino praeposito contulit homine per ea tempora litteratissimo. Guidone pervento in urbem, & perhumaniter, lubentissimeque excepto a Romano Pontifice, coepit iste diligenter inquirere de illius *antiphonario*, musicisque regulis, eas curiose & perlegens, & perpendens. Sed factum est, ut nondum absoluta lectione, atque examine, expertus in semet fuerit Pontifex, quod vix aut ne vix quidem aliis obtigisse crediderat, ut scilicet versiculum nescio quem adhuc ipsi inauditum, & novum memoriae perfecte teneret. Quapropter regulam Guidonis de cantu Pontifex & commendavit, & comprobavit. Quum vero maxime cuperet Guidonem Romae detinere ad ecclesiae suae opportunitatem, renuit Guido, qui suae valetudini non satis bene Romanum caelum convenire cognoverat, petiitque in natale solum remigrare Aretium: quod ipsi indulsit Pontifex, ea conditione, ut opus suum publicum faceret, Romanoque Pontifici, & clero inscriberet. Iam vero hisce temporibus Romae commorabatur etiam Guido Abbas sanctus, quo fortasse per mensem maium anni MXXVI., a dedicatione nempe Pomposianae ecclesiae, se contulerat. Aretini infestis ipse quoque faciles quondam praebuerat aures in Pomposia, neque illius adhuc *antiphonarium* prae oculis habuerat. Qua de re antequam Roma Aretinus discederet, Guidonem Abbatem convenire, &

eocum conferre ſtuduit, qui quum de *Antiphonario* illo perfecte cognoviſſet, & ipſum laudibus extulit, & perutile intellexit; quinimo Aretini aemulis aures praebuiſſe aliquando eum poenituit, & ſententiam, dictaque mutans veniam oravit, atque ut rediret ad Pompoſianum monaſterium, enixe illum admonuit, & hortatus eſt.

XXX. Refert ſingula Aretinus ipſe datis litteris ad Michaelem Pompoſiae monachum, qui eius ſocius aerumnarum in ipſo monaſterio fuerat. Eiuſmodi litteras primus Baronius edidit (*a*), quaſi anno MXXII. Benedicti VIII. Romani Pontificis aetate ſcriptas, quas a Conſtantino Caietano ipſe acceperat ex Aretino quodam codice erutas. Nec aliter opinati ſunt eruditi nonnulli in Baronii ſententiam abeuntes, quos inter recens Bettinellius (*b*) Romam vocatum Guidonem cenſentes a Benedicto VIII. Noſſe tamen debuerint, repertum a Mabillonio (*c*) iampridem in Villigenſe bibliotheca vetuſtum codicem, quem *optimae notae* ipſe iudicarat, in quo Guidonis epiſtola ad tempora refertur Iohannis XIX. Benedicti ſucceſſoris, adeout illam ad annum MXXVI. idem Mabillonius revocaverit, quo ſcriptam & nos reapſe cenſemus, mancam, corruptamque eam Baroniana recenſio dabat, quam autographo ſuo reſtituit Mabillonius. E Baronio autem, Mabillonio, ac Pezio (*d*) ipſam mutuatus eſt Mittarellius cum Coſtadonio ſuo (*e*), quam integram hic nobis etiam referre commodum eſt, quum monumentum Guidonis dignum eam habeamus, ex qua ingenium, pietas, doctrina, & caſus illius innoteſcant, atque non pauca ad rem Pompoſianam opportuna colligantur.

XXXI. *Beatiſſimo, atque dulciſſimo fratri M.* (*f*) *G.* (*g*) *per anfractus multos deiectus, & anctus. Aut dura ſunt tempora, aut divinae diſpoſitionis obſcura diſcrimina; dum & veritatem fallacia, & caritatem ſaepe conculcet invidia, quae noſtri ordinis*

(*a*) Annal. eccleſ. ad ann. 1022.
(*b*) Riſorgimento d'Italia negli ſtudi &c. Par. II. cap. 4. pag. 182.
(*c*) Annal. Bened. tom. IV. p. 324.
(*d*) Cod. diplomat. col. 223.
(*e*) Annal. Camald. tom. II. in append. pag. 4.
(*f*) *Michaeli*. Baron.
(*g*) *Guido*.

dinis vix deserit sanctitatem, quo Philistinorum concio Israeliticam puniat pravitatem, ne si mox fiat quicquid, ut volumus, adeo (a) *in se confidens periturus decidat animus. Tunc enim est vere bonum id, quod facimus, cum nostro factori adscribimus omne quod possumus. Inde est, quod me vides prolixis finibus exsulatum, ac te ipsum ne vel respirare quidem possis invidorum laqueis suffocatum. Qua in re simillimos nos cuidam dico artifici, qui cum Augusto Caesari incomparabile, & cunctis inauditum seclis thesaurum, flexibile videlicet vitrum, offerret, quia aliquid super omnes potuit, ideoque aliquid super omnes promereri se credidit, pessima sorte iussus est occidi, ne si, ut est mirabile vitrum, posset esse durabile, regium omne thesaurum* (b), *quod de diversis erat metallis, fieret exemplo vile* (c), *sicque ex illo tempore maledicta semper invidia, sicut quondam paradisum, & hoc quoque mortalibus abstulit commodum. Nam quia invidia artificis nullum voluit edocere, potuit Regis invidia artificem cum arte perimere. Unde ergo inspirante Domino caritatem non solum tibi, sed & aliis quibuscumque potui summa cum devotione, ac sollicitudine a Deo mihi indignissimo datam contuli gratiam, ut quia ego, & omnes ante me summa cum difficultate ecclesiasticos cantus didicimus, ipsos posteri summa cum facilitate discentes mihi, & tibi, ac reliquis adiutoribus meis aeternam optent* (d) *salutem, faciatque per misericordiam Dei peccatorum nostrorum remissionem, vel modica tantorum ex caritate oratio. Nam si illi pro suis apud Dominum devotissime intercedunt magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam scientiam consequi potuerunt; quid putas nobis pro nostris adiutoribus fiet, qui nonnulli spatio, aut, si multum, biennio perfectum cantorem efficimus. Aut si hominum consueta miseria beneficiis tantis ingrata exstiterit, numquid iustus Dominus laborem nostrum non remunerabitur* (e)? *An quia Dominus totum hoc fecit, & nos sine illo nihil possumus, nihil habebimus? Absit. Nam & Apostolus cum gratia Domini sit id, quod sit, cantat*

(a) *A Deo*. Camaldulen.
(b) *Regius omnis thesaurus*. Iid.
(c) *Vilis*. Iidem.
(d) *Apportent*. Iidem.
(e) *Remunerabit*. Iidem.

tat tamen (*a*): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae. Securi ergo de spe retributionis instamus* (*b*) *operi tantae utilitatis, & quia per* (*c*) *multas tempestates rediit diu optata serenitas, navigandum est feliciter. Si quid diffidit tua de libertate captivitas, rei ordinem pandam. Summae sedis Apostolus* (*d*) *Iohannes, qui modo Romanam gubernat ecclesiam, audiens formam nostrae scholae, & quomodo per nostra antiphonaria inauditos pueri cognoscerent cantus, valde miratus, tribus nuntiis me ad se invitavit. Adii ergo Romam cum D. GR. ML.* (*e*) *reverendissimo Abbate, & D. P.* (*f*) *Aretinae ecclesiae canonicorum praeposito, viro pro nostri temporis qualitate scientissimo. Multum itaque Pontifex meo gratulatus est adventu, multa colloquens, & diversa requirens, nostrumque, velut quoddam prodigium, saepe revolvens antiphonarium, praefixasque ruminans regulas, non prius destitit, aut de loco, in quo sedebat, abscessit, donec unum versiculum sibi voti compos edisceret, ut quod vix credebat in aliis, tam subito in se recognosceret. Quid plura? Infirmitate cogente Romae morari non poteram vel modicum, aestivo fervore in locis maritimis, & nobis alpestribus minante excidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte, me illac debere reverti, quatinus hic opus praelibato Pontifici, suoque clero debeam propalare. Post paucos dehinc dies patrem vestrum, atque meum domnum Guidonem PP.* (*g*) *Abbatem, virum Deo, & hominibus merito virtutis, & sapientiae carissimum, ut patrem animae, videre cupiens visitavi; qui & ipse vir perspicacis ingenii nostrum antiphonarium, ut vidit, extemplo probavit, & credidit, nostrisque aemulis se quondam consensisse poenituit, veniam postulavit* (*h*), *suadens mihi monacho esse praeferenda monasteria, episcopatibus Pomposiam, quod modo est per divinam gra-*

(*a*) I. ad Timoth. 4.
(*b*) *Insistamus*. Camaldulen.
(*c*) *Post*. Iidem.
(*d*) *Apostolicus*. Iidem.
(*e*) *Domno Gregorio Mediolanensi*. Penes Mabillonium in act.ss. ord.s.Bened.tom.VIII.p.447. intolerando sane typorum errore pro ML. legitur 150.
(*f*) *Domno Petro*.
(*g*) *Pomposianum*.
(*h*) *Et ut Pomposiam venit, veniam postulavit*. Camaldulen. Sed priora certe verba redundant, neque iis videtur locus.

gratiam, *& reverentissimi Guidonis industriam in Italia primum. Tanti itaque patris orationibus flexus*, *& praeceptis obediens*, *prius*, *auxiliante Domino*, *volo hoc opere tantum*, *& tale monasterium illustrare*, *meque monachum monachis praestare; cum praesertim simoniaca haeresi modo prope cunctis damnatis Episcopis timeam in aliquo communicare. Sed quia ad praesens venire non possum*, *interim tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumentum nuper nobis in Domino datum*, *& utilissimum comprobatum. De reliquo domnum Martinum priorem sacrae congregationis nostrum maximum adiutorem plurimum saluto*, *eiusque orationi me miserum peccatorem commendo. Fratrem quoque Petrum memorem memoris esse commoneo*, *qui nostro lacte nutritus non sine labore maximo agresti vescitur hordeo*, *& post aurea pocula confusum bibit acetum.* De hac epistola statim advertemus nonnulla.

XXXII. Interea praeter antiphonarium, cuius in suis litteris meminit Guido, librum etiam, cui titulum fecit *Micrologus*, edidit, Thodaldo Episcopo nuncupatum fratri Bonifacii magni marchionis, qui pater fuit comitissae Mathildis. Aretinam autem regebat ecclesiam Theodaldus ab anno circiter MXXIII. Nuncupationem hanc in codice manuscripto Casinatis monasterii, quem superius commemoravimus, in quo idem etiam *Micrologus* legitur, una cum aliis de musica commentariolis nos adinvenimus, quam in quodam Uticensi codice reperit Baronius (*a*). Montfauconius autem refert (*b*), in Mediceo-Laurentiana bibliotheca Florentiae codicem numero 48. signatum reperiri, in quo exstat musica *secundum dicta Guidonis*, *sive micrologus*, *hoc est brevis sermo editus a domino Widone peritissimo musico*, *praevio eiusdem hexasticho*, *& epistola ad reverendissimum D. Thebaldum* (hoc est *Theodaldum*) *sacerdotem*, *ac praesulem dignissimum*. Sed & leguntur in eodem codice tonorum formulae, quas Guidonis, sive Aureliani esse opus idem censuit Montfauconius, ac demum *dicta eiusdem*, scilicet Guidonis, *cum tetrasticho in principio*, atque ipsius allata ad Michaelem Pomposianum monachum epistola. Ve-

(*a*) Annal. eccles. ad ann. 1034. (*b*) Bibliot. biblioth. tom. 1. pag. 300.

Verum de hoc codice consulendus est celeberrimus Angelus Maria Bandinius bibliothecae eiusdem praefectus (*a*), qui auctores non paucos colligens, qui medio aevo de re musica conscripsere, horum tractatuum absolutam recensionem ad doctissimum Martinium multis abhinc annis Bononiam misisse, recens nobis, quibus eocum summa est necessitudo, fuit testis. Quae vero Theodaldo nuncupatur epistola incipit: *Divini muneris, totiusque prudentiae fulgore clarissimo, dulcissimo patri, & reverendissimo domino Theodaldo sacerdotum, ac praesulum dignissimo, Guido utinam servorum suorum minimus, quidquid servus, & filius salutem*. In ea fatetur Guido, solitariam se quammaxime vitam expetiisse, sed a Theodaldo *ad sacri verbi studium* invitatum ei obsequi quodammodo fuisse coactum, non quasi Episcopo docti alii deessent homines, quibus immo multum ipse abundabat, qui populo instituendo essent summopere idonei, sed ne eius, qualecumque tandem esset, studio, ac opera frustraretur ille. Ex quo manifesta colligitur ratio, cur sancti Guidonis Abbatis hortamentis non obtemperaverit Aretinus, ad Pomposianum videlicet redeundi monasterium, quod nihilominus eidem negotiis nonnullis solutus exsequi pollicitus fuerat.

XXXIII. Iam vero ad Aretinae ecclesiae commodum, atque utilitatem iussit Guidoni Theodaldus, ut in publicam ederet lucem, quod elucubraverat olim *exercitium musicae artis*, ut quae Guidonis ope exornata *mirabili schemate*, decorataque fuerat s. Donati, Aretina ipsa nimirum ecclesia, aptissimos haberet ministros, & singulari quodam privilegio *cunctis per orbem clericis spectabiles*. Obvenit deinde, ut mirifico modo illius etiam ecclesiae pueri *in modulandi studio perfectos aliorum usquequaque locorum superarent senes*. *Igitur nostri quoque meriti*, ait ipse Guido, *per haec plurimum cumulabitur celsitudo, cum post priores patres tantae, ac talis ecclesiae per vos provenerit studiorum claritudo. Itaque quia vestro tam commodo praecepto nec volui contraire, nec valui, offero solertissimae paternitati tuae musicae artis regulas, quanto dilucidius, & brevius potui*,

(*a*) Catalog. codic. Latinor. biblioth. Laurent. tom. II.

potui, *explicatas*, *philosophorum neque eadem via*, *neque eorum insistendo vestigiis*, *id solum procurans*, *quod ecclesiae opportunitati*, *nostrisque subveniat parvulis*. Ad haec opportunitatem illam referens, qua motus suam tradiderit musicae artis rationem, ac methodum, id fecisse fatetur, quo facilius artem illam ediscerent iuvenes, quos ipse erudiret in cantu: Res autem suo non caruit eventu: eorum enim nonnulli tuto, statimque canebant *ante unius mensis spatium*, ut ait Guido ipsemet, inauditos umquam versiculos. Hanc ad Theodaldum epistolam integram edidere Camaldulensium rerum scriptores (*a*). Ad calcem vero codicis, quo usus fuit Baronius, haec leguntur: *Explicit micrologus Guidonis suae aetatis anno* XXXIV. *Iohanne XX. Romanam gubernante ecclesiam*. Ecclesiam autem Romanam rexit Iohannes XX. alias XIX. ab anno MXXIV. ad annum MXXXIII. Quapropter si anno circiter MXXX. dicamus, Guidonem suum exarasse micrologum, eius aetatem colligere erit, natum videlicet ipsum anno circiter DCCCCLXXXXVI., & in Pomposiam ante annum MXX. adventasse Guidonis Abbatis tempore, quem propterea patrem suum, & *patrem animae* vocat in epistola ad Michaelem Pomposianum monachum, ad quem micrologum suum fortasse misit, deque eo intelligit, quum scribit: *Interim tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumentum nuper nobis a Domino datum*, *& utilissimum comprobatum*. Micrologi eiusdem mentio fit a Donizone hisce versibus (*b*):

> *Musica*, *seu cantus istum laudare Tedaldum*
> *Non cessat*, *semper renovantur eo faciente*
> *Micrologum librum sibi dictat Guido peritus*
> *Musicus & monachus*, *necnon eremita beandus*.

Ad haec notat Muratorius, in Ambrosiana bibliotheca percelebri saeculi XIV. codicem exstare, in quo praeter opera musica nonnulla micrologus etiam est hoc titulo: *Micrologus*, *idest brevis sermo de musica*, qui sane titulus Casinensi quoque in codice est memorato superius. Decastichon deinde additur, quo-

(*a*) Annal. Camald. tom. II. in append. pag. 6.

(*b*) In vita Mathildis lib. 1. c. 5. apud Murat. rer. Ital. scriptor. to. V. p. 351.

quorum quinque ſinguli verſus anacroſtichon ſemel & iterum Guidonis nomen initialibus hoc modo litteris exhibent:

Gliſcunt corda meis hominum mollita camoenis
Una mihi virtus numeratos contulit ictus;
In caeli ſummo gratiſſima carmina fundo,
Dans aulae Chriſti munus cum voce miniſtri.
Ordine me pinxi primo qui carmine finxi.
Gymnaſio muſas placuit revocare ſalutas,
Ut pateant parvis, habitae viis hactenus altis.
Invidiae telum perimat dilectio mecum.
Dira quaedam peſtis tulit omnia commoda terris.
Ordine me pinxi primo qui carmine finxi.

Falſo opinatus eſt Trithemius, Guidonem Aretinum librum in Berengarium ſcripſiſſe, quem inter monachos Crucis ſancti Liutfredi, ſive Odoëni recenſuit, Guidonem cum Guitmundo confundens, qui unus inter monachos monaſterii illius Berengarium eumdem ſcriptis impugnavit. Nec minus alucinatur ille, ea ſemel confuſione admiſſa, Guidonem Romanae eccleſiae Cardinalem aſſerens, in quem errorem quoſdam recentiores traxit, Voſſium doctiſſimum in primis (*a*), Eiſengremium, Dupinium, alioſque exteros ſcriptores fere reliquos, qui floruiſſe Guidonem anno MLXX. facile ſibi perſuaſerunt, dum contra alii non minus falſo ad ad annum MXXIV. conſignarunt eius deceſſum, quem tamen veroſimiliter anno circiter ML. contigiſſe, oſtendunt quae dicta ſunt, & inferius dicenda oſtendent planius. Falſus eſt demum auctor hiſtoriae univerſitatis Pariſienſis, Guidoni monacho, quod ipſe credidit, crucis s. Leutfredi adſcribens, quae de altero Guidone cecinit Baldericus Abbas (*b*):

Guido mihi vivit magnus, bonus, atque fidelis,
Magni momenti, nominis haud modici.

Neque enim hic animadvertere vacat, multos ſaeculo X. atque ſequenti floruiſſe Guidones etiam muſicos, quos paſſim ſcriptores referunt rerum maxime Germanicarum. Sed nemo corda-

(*a*) De natura artium lib. I. §. 10.
(*b*) Apud Du Cheſne tom. IV. ſcriptor. rer. Francicar. pag. 276.

cordatus homo eos cum Aretino noſtro confundet, quem Italia numquam exiiſſe noverimus.

XXXIV. Kircherius in *Muſurgia* (*a*) ſcribit, fuiſſe Guidonem Aretinum *inſtrumentorum poliplectorum* auctorem, *ubi ſunt clavicymbala*, *clavichordia*, *ſimiliaque*, quod ipſum cenſet indicaſſe Guidonem in ſua ad Theodaldum epiſtola, in qua adhibitum ab eo inquit in cantu *monochordum quoddam harmonice conſtructum*; addiditque proinde, inventam ab eo muſicam poliphonam, *quum ante eius tempora ex nullis veterum monumentis poſſit colligi*, *id genus muſicae apud veteres fuiſſe in uſu*; quam in ſententiam, cuius nos ſponſores eſſe noluerimus, etiam deſcendit Angelus Peruſinus.

XXXV. Sed hiſce, & pluribus ſane aliis eiuſmodi praetermiſſis, quae potius opinati de Guidone Aretino fuerint, coniectaverintve rerum Camaldulenſium ſcriptores Mittarellius, & Coſtadonius, nullo pacto a nobis poſſunt omitti, in quos tamen ſumma nobis ſemper obſervantia eſt, ac veneratio. Initio itaque maxime peroptarent ipſi (*b*), ut certiſſime, tutoque poſſet Guido Aretinus ille haberi fontis Avellanenſis Abbas, *cuius fama laudabilis ad Damiani notitiam venerat*, ut s. Iohannes Laudenſis ait (*c*), qui tamen praeterit ſilentio nomen ipſius, non ſecus atque in ſuis opuſculis ipſe Damianus. Vaga neſcio quam traditione nituntur viri doctiſſimi ad hoc aſſerendum, atque Fortunii, Iacobilliique teſtimoniis, qui tamen & ipſi ſolido indigent fulcimento, atque minus dubia auctoritate. Res deinde geſtas, vitamque Guidonis prae oculis habentes, quae *denſis omnino tenebris* eſt *reſperſa*, ut inquiunt ipſimet, fatentur ingenue, *quibus argumentis* quod peroptarant *poſſit demonſtrari*, eis *aquam haerere*. Sed coniectant mox, Aretinum eſſe Guidonem illum Camaldulenſis eremi non longe ab Aretio urbe poſitae, & Petri ipſius eremi prioris fratrem, qui anno MXXXIII. donationi ſubſcripſit a Theodaldo Aretino Epiſcopo factae eremo eidem. Porro ſi Are-

(*a*) Lib. 5. tom. I. pag. 215.

(*b*) Annal. Camald. to. II. pag. 42. & ſeqq.

(*c*) In vita s. Petri Damiani cap. 4. apud Mabillon. act. ss. ord. s. Bened. tom. IV. pag. 2., apud Bolland. ad 23. febr. & in fronte oper. eiuſdem s. Petri Dam.

ſi Aretii eo anno morabatur Guido, qui fieri potuit, ut ad monaſterium ſanctae crucis fontis Avellanae ex templo tranſiret, futurus ibi Abbas, quum anno ipſo ad finem vergente, aut conſequentis initio converſio Damiani contigerit, & eius in monaſterium illud ingreſſus? Ut ut res fuerit, non ſatis bene nos intelligimus, quo potuerint iure Annaliſtae Camaldulenſes primum quidem in dubium vocare, deinde vero aperte inficias ire, Guidonem Aretinum *in ſuo iuventutis flore* Pompoſiae umquam monachum fuiſſe, Pompoſianique monaſterii diſciplinae ſe ſubieciſſe.

XXXVI. Hoc quidem factum fatentur *ſuadere honorifica verba illa, quibus* in epiſtola ſua ad Michaëlem monachum *loquitur de Guidone Pompoſiano Abbate appellato ab ipſo* ſuo domno, viro Dei, & hominibus merito virtutis & ſapientiae cariſſimo, quem ut patrem animae videre *exoptabat*. *Videtur ſuadere*, addunt ipſi, *nexus etiam amicitiae inter Guidonem Aretinum, & Michaelem monachum itidem Pompoſianum; ad quem* laudatam *epiſtolam miſit*; *ſanctus quoque amor, quem Guido gerebat erga* domnum Martinum priorem ſacrae congregationis, *quem ſuum* maximum adiutorem *nominat, atque plurimum ſalvere iubet; dulcis demum memoria fratris Petri Pompoſiani* ſuo lacte, *ut ait*, nutriti non ſine labore maximo. *Accedit & ſcriptor vitae ſancti Guidonis Pompoſiani Abbatis, qui inter Abbates, quos beatus vir ſibi ſuffecerat, ultimo loco enumerat*, qui admirabilis eiuſdem etiam nominis eligitur Guido: *is an noſter fuerit, dubitari poteſt*. Quibus expenſis haec concludunt: *Haec tamen, ut ingenue fateamur, tanti non ſunt, ut evincant, Guidonem in Pompoſiano monaſterio monaſticum ſchema induiſſe, cum potuerit Pompoſianos diligere, ipſiſque multum deferre, quin conmonachus eiuſdem coenobii fuerit*. Perſequuntur etiam: *An vero poſt inventam muſicalem artem mirabilem, in Pompoſiano monaſterio Guido Aretinus ut monachus vitam traxerit, vel apud Pompoſiam retentus fuerit, ut credidit Mabillonius, non demonſtratur ex ſuaſoriis illis verbis Guidonis Pompoſiani, quae uſurpat Aretinus in epiſtola ad Michaelem*: Monacho eſſe praeferenda monaſteria, epiſcopatibus Pompoſiam, quod modo

eſt

eſt per divinam gratiam, & reverentiſſimi Guidonis induſtriam in Italia primum; *quae verba commode ita poterunt explicari, ut quandoquidem Guido monachus in epiſcopatibus vitam ſuam eatenus traxerat, pueros clericos inſtructurus in nova diſciplina, id quod praeſtiterat Romae, praeſtiterat etiam Aretii, in poſterum derelictis epiſcopatibus ſe converteret totum potius ad monaſteria, & utpote monachus monachos doceret muſicen, non vero ut monaſticam vitam arriperet in Pompoſiano coenobio, & leges Pompoſianas obſervaturus ad idem monaſterium convolaret. Proſequitur enim Guido Aretinus in eadem epiſtola ad Michaelem*: Tanti itaque patris, *Guidonis Abbatis*, orationibus flexus, & praeceptis obediens, prius auxiliante Domino volo hoc opere tantum & tale monaſterium illuſtrare, meque monachum monachis praeſtare, cum praeſertim ſimoniaca haereſi prope cunctis damnatis Epiſcopis timeam in aliquo communicari. Sed quia ad praeſens venire non poſſum, interim tibi de inveniendo ignoto cantu optimum dirigo argumentum. *Quinimmo ex his deduci poſſe videtur, Guidonem Aretinum in ſuo iuventutis flore Pompoſiani monaſterii diſciplinae ſe non ſubieciſſe; non enim ſuaſus, ſed iure ad ſuum monaſterium poſtulatus, & revocatus fuiſſet a Guidone Pompoſiano ſuo Abbate*. Quo demum oſtendant docti homines, Guidonem Aretinum monaſterii ſanctae crucis fontis Avellanae monachum exſtitiſſe, ea ipſius verba adhibent: *Quid plura? infirmitate cogente Romae morari non poteram vel modicum, aeſtivo fervore in locis maritimis, & nobis alpeſtribus minante excidium*: quae quidem verba ſic exponunt: *tamquam ſi diceret*, inquiunt, *homini, qui in praeruptis, & excelſis montibus, ubi frigiditas aëris eſſe ſolet, degere conſueverat, valde nocebat fervor aeſtivus urbis Romanae a mari parum diſſitae*; *quae verba*, concludunt denique, *monaſterio ſancte crucis Avellanae in montano, & alpeſtri ſitu poſito optime quadrant*.

XXXVII. Ita profecto ſcite, ſubtiliterque ratiocinantur illi, quos ſummopere nos (repetere non pigeat) amamus, & colimus. Verum inutiles nobis videntur eorum conatus, quibus Pompoſiae ſtudent Guidonem Aretinum ſurripere, illum-

illumque dedere Avellanae. Nobis primo verosimilius est, postremis verbis allatis, Guidonem Romano caelo alpestre potius natale solum Aretii opponere, quam alium locum quemlibet, ubi alias ipse versatus fuerit. Sed de hac re ne multum solliciti simus, modo Pomposiae Guidonem restituere, uti par est, satagamus. In quo conficiendo firmum nobis argumentum non est una innixum coniectura, non alium videlicet Guidonem Aretinum esse ab eo, quem sibi suffecit Abbatem Pomposianus Guido, uti auctor est eiusdem biographus: quinimo nostris calculis, & habita in Pomposia exhaustarum ab Aretino aerumnarum ratione, non potest cum Aretino eiusdem suffectus ille Abbas cognominis ullo pacto confundi; qui enim tam graviter in Pomposiano monasterio propter inventam musicae artis rationem exagitatum diximus, quem monasterii ipsius Abbatem aliquando, nec multo ante, comperissemus? Sed praeterea Guidonem hunc suffectum Pomposiae Abbatem ostendimus alias a sancto Guidone fuisse, ut monasterium administraret circa annum MXX. quo Aretinus satis iuvenis, natus videlicet annos circiter XXIV. erat, & paucos ante annos fuerat Pomposianum monasterium ingressus. Aretinum itaque iure meritoque diversum habemus omnino ab eo, cuius laudatus meminit biographus, quique Abbas Pomposianus fuit. Porro autem si Fortunii, ac Iacobillii testimonium satis habent ii, ut Aretinum Abbatem dixerint Avellanae, quum Damianus ad monasticam suscipiendam vitam eo se contulerit, & incertam illam nescio quam traditionem, qua innixi, & una quibusdam satis infirmis coniecturis in Guidone Aretino plura colligere tentavere, quae de Guidonibus aliis scripta sunt a multis, quidni & nobis liceat, in medium proferre firmiorem traditionem, atque testimonia gravissimorum auctorum, quorum maximi Baronius, & Mabillonius, ut Pomposianum monachum iure dicamus Aretinum? Nihilotamen minus in hoc nimium non nos amamus, quum potissime rei istius argumentum nobis sit epistola Guidonis ad Michaëlem Pomposianum, ex qua depromptas rationes nonnullas ne ipsi quidem

dissimulare potuere Camaldulenses. Sed Aretinum e Pomposiano detrudere monasterio in se receperant. Nil mirum igitur, si ea singula ipsis tanti visa non sint, ut evincant, *Guidonem in Pomposiano monasterio monasticum schema induisse*. Non hic contendimus nos, Guidonem e suo ab urbe Roma discessu in Pomposia fuisse versatum, quum potius numquam illuc rediisse credamus, bene vero adolescentiam ibidem duxisse, & monachum egisse. Demum non satis bene accipimus, quod contendunt homines doctissimi, debuisse nimirum non tam suasionibus, quam praecepto Guidonem Pomposianum ad monasterium suum revocare Aretinum.

XXXVIII. Simulant autem se nescire, quemnam indicaverit locum ipse Aretinus ad collegam Michaëlem ea verba scribens: *inde est, quod me vides prolixis finibus exsulatum*. Verum cur non designatam urbem Aretium dicamus, quo se e Pomposia discedens contulerit, quoque redierit iterum Roma reversus? Cur non e Pomposiano monasterio exsilium intelligamus, de quo maxime ad Michaelem ipsum conqueritur? Certe hunc invidiae, quam in ipsa Pomposia subiit, habuisse socium, aperte innuit iis verbis: *ac te ipsum ne vel respirare quidem possis invidorum laqueis suffocatum*; quasi nempe diceret, se quidem tempestati cedere fuisse coactum, sed non minus laqueis irretitum Michaelem, qui sorti eius esset immixtus, & partes tutatus, uti antecedentia ostendunt, consequentiaque epistolae verba: *Qua in re simillimos nos cuidam dico artifici* &c. *Unde ergo inspirante Domino caritatem non solum tibi, sed & aliis* &c. *Posteri summa cum facilitate discentes mihi, & tibi, ac relliquis adiutoribus meis* &c. *Quid putas nobis pro nostris adiutoribus fiet* &c. Motam vero eam tempestatem ipso in Pomposiano monasterio facile etiam, aut nos fallimur, illud persuadere videtur, aures quondam invidis intendisse Guidonem Abbatem in Aretinum, ait enim: *nostrisque aemulis se quondam consensisse poenituit, veniam postulavit*. Quid enim Guidoni displicere tam posset, de quo veniam postularet, quam revera Aretini infestis favisse in Pomposia, ubi Abbatis fungeretur officio? Qua autem fronte,

quove

quove iure cogere Aretinum potuisset Guido, ut in Pomposiam reverteretur, quum & a Romano Pontifice, & ab universo orbe Aretini ipsius innocentia perbene esset cognita, & deprehensa? Praeterea Martinus ille, quem *priorem sacrae congregationis nostrum maximum adiutorem* Aretinus appellat, nonne monachus Pomposianus erat? nonne in Pomposia morabatur, ubi & Michael, ad quem scribit? nonne illum *maximum adiutorem* suum fatetur Aretinus utique in Pomposiano monasterio, suum patronum, ac vindicem? Hoc sane modo non sentire, & epistolae textum alias interpretari, quid quaeso est, quam integrum auctoris, ac legitimum sensum pervertere? Demum & Pomposianus monachus erat ille Petrus, qui *nostro lacte nutritus non sine labore maximo* fuerat, ut Aretinus ait, quemque *memorem memoris esse* commonet. Dicant enim optimi Camaldulenses patres, ubinam gentium tam laborarit Aretinus ipse, ut Petrum illum monachum suo lacte nutriret, eumque scentiis, & religione instituerет? Id obvenisse fateantur necesse est nonnisi Pomposiano in monasterio, in quo propterea annis aliquibus etiam vitam duxisse Guidonem, & Pomposianis legibus subiectum monachum egisse, dicendum superest.

XXXIX. Eumdem vero Aretinum monachum fuisse etiam Camaldulensis eremi non longe ab Aretio urbe constitutae, inficiari nolumus, esto argumenta desint, quibus res queat ostendi. Ipsum pariter monasticam transegisse vitam in altera fontis Avellanae eremo ut certo asseratur, imbecillis ratio nobis quidem videtur, quae ex eo desumitur, quod Fortunii, atque Iacobillii aevo, imo & nostris temporibus in triclinio eremi illius doceant nos viri doctissimi tabulas pictas exstare Guidonis eiusdem hacce cum inscriptione: *Beatus Guido Aretinus inventor musicae*. Difficile fortasse non est, tabulas eiusmodi Guidonis aliis bene multis in tricliniis, monasteriorum in primis Benedictini instituti, atque in bibliothecis variis comperire, quas reapse comperimus nos in Casinate, & alibi. Eritne inde argumentum nobis opportunum affirmandi, Guidonem Casinatem aliquando monachum

 fuis-

fuisse, non secus atque Cassiodorum, Ildelphonsum, Bedam, Lanfrancum, Anselmum, aliosve, quorum imagines passim in monasteriis plurimis conspiciuntur, maxime vero in bibliotheca eadem?

XL. Certe ne ipsi quidem Camaldulenses scriptores ferre possunt obscure, quae adhuc dubitatio superest, quum Petri Damiani in Fontis Avellanae Abbatem electionem commemorantes (*a*) anno MXLIII. Iohannis Laudensis eius biographi prolatis verbis haec subdunt: *Quamvis ex his verbis liquido non deducatur, Damiani antecessorem hoc anno obiisse, & consequenter Damianum administrationem suscepisse monasterii Avellanensis, ex inferius tamen dicendis certum est, ipsum huic loco praefectum fuisse ante mortem Gebchardi Archiepiscopi Ravennatis quae figenda est ad annum sequentem. Qui existimant, Guidonem Aretinum fuisse Avellanensem Abbatem. & Damiani praedecessorem, necesse est, ut ad hunc annum illius obitum statuant. Pariter erroris convincuntur quotquot, & plures sunt tam ex nostris, quam ex alienis auctoribus, qui pluribus posthinc annis Damiani praefecturam Avellanensem auspicantur.*

XLI. Denique coniectant quidem, non ostendunt vero Camaldulenses iidem, Aretinum non alium ab eo Guidone fuisse, qui Theobaldi Aretini Episcopi donationi subscripsit. Sed praeterea coniecturam suam deinde confirmatam voluere (*b*) Attilii Alexi auctoritate, libro scilicet, quem Aretii scripsit anno MDLII. *de antiquitatibus Aretinis*. Recensens enim Attilius ipse illustres viros, ac tum doctrina, tum artibus celebres, qui Aretinam aliquando nobilitaverint urbem, haec scribit: *Ed oltre di questo l'arte musica, che i Cinesi con meravigliosa lode esaltano, la quale non si vergognò Sacrate d'imparare essendo d'anni ottanta, molto accrebbe, e nobilitò il fonte negli ecclesiastici canti. Guido dipoi monaco, e Abate di Camaldoli fu negli anni della salute* MXXXIV. *Trovò costui cogli articoli della sinistra mano nuove note, modi di cantare, alle quali sinoggi s'accomodano i musici nelle scuole. E' questo Guido d'Arezzo lodato assai*

(*a*) Annal. Camald. tom. II. pag. 87. (*b*) Ibid. tom. IX. addend. pag. 45.

assai dal padre della volgare poesia Francesco Petrarca nelle sue rime, perchè esso ancora compose molte rime in Toscana lingua, assieme con l'eccellente iurisconsulto Cino di Pistoia. Quid rogo isthuc rei est? Aretinusne Guido metrum auctor Etrusca lingua nobilis? Atque is idem (quod lepidum est) carminum auctor una cum Cyno Pistoriensi iurisconsulto percelebri, qui saeculo XIV. floruit, de quo saepe loquitur Iohannes Petrus de Ferrariis in praxi Papiensi? Neque Camaldulenses scriptores hic probe cognoscimus, neque usurpatum ab eis Attilium. Sed de Guidone Aretino satis.

XLII. Alter vero, de quo nos agere proposuimus, non minus sacra doctrina, sanctitateque vitae, quam ceteris scientiae illustris, Petrus Damianus est, qui hisce temporibus, saeculo nimirum XI. florebat quam maxime in Dei ecclesia, atque ardens quasi erat, ut verbis utamur Iohannis Laudensis (*a*), *lucerna domus Domini erecta super candelabrum*. Pervulgato itaque nomine ipsius, & bene quotidie magis magisque audito, intellexit sanctus Guido Pomposianus Abbas, quam opportune, atque utiliter suo res monasterio cessisset, maxime ad iuventutis, quae in Pomposia esset, institutionem, si talem, tantumque virum sibi adsciscere curaret. Quapropter ad Abbatem, sive priorem fontis Avellanae, ubi morabatur Damianus, misso a Guidone nuntio, eum enixe rogavit, ut fraterni amoris caussa in Pomposiam Damianum destinaret, aliquandiu ibi convicturus, & divinum verbum monachos edocturus. Guidone voti compote facto, missus Damianus in Pomposiam fuit, quo in monasterio tunc, ut publice ferebatur, centum monachi degerent. Biennio igitur ibi commoratus Damianus sub disciplina Guidonis, maximum e divinae locutionis, quod effundebat semine, percipiebat fructum, quodque, ut Iohannes Antonius Flaminius ait (*b*): *ex illus ore mellis instar manabat*. Quo factum est, ut ad summam virtutem Pomposianos monachos Damianus

(*a*) In vit. s. Petri Damiani num. 18. penes laudatos supra auctores.

(*b*) In vita s. Petri Damiani in fronte eius operum.

nus duceret, eosque ad vitae potissimum coenobiticae accuratam rationem etiam atque etiam evocaret. Non desunt, qui beatae virginis laudes, quae in *parvo*, ut dicere consuescimus, eius *officio* continentur, contexuisse Damianum tunc temporis in Pomposiano monasterio, non dubitent asserere. Sed nos certe prosequimur; dubia vero, atque coniecturas minus firmas vix, aut nevix quidem salutamus.

XLIII. Transacto itaque biennio, quum longiorem Damiani absentiam ferre non posset Avellanensis Abbas, qui eum destinare meditabatur, aliis instituendis monasteriis, Damiano ipsi praecepit, ut illuc reverteretur extemplo, unde discesserat. Astitere contra Pomposiani, precibus exorantes, & lacrimis, ut abitio isthae differretur in posterum. Sed Damianus non morari debuit imperium, eique designata provincia est administrandi sancti Vincentii monasterium *de Petra Pertusa* nuncupatum, ipsissima quidem caussa, qua vocatus in Pomposianum fuerat. Quinimo non ita multopost fontis Avellanae Abbate, sive priore defuncto, illico eligitur Avellanensis Abbas, suam hoc pacto huc atque illuc diffundens virtutem tum proprio exemplo, tum etiam scriptis permultis, quae adhuc inter opera ipsius nobis supersunt. Haec singula Iohannes Laudensis Petri Damiani discipulus enarrat in eius vita his verbis: *Quumque eius opinio iam latius effusa crebresceret, Wido venerabilis Abbas Pomposianus, vir sanctissimus, suos legatos ad huius Abbatem dirigens postulavit, quatenus caritate fratrum eum ad suum monasterium destinaret, secumque aliquandiu remorari permitteret; quo, poscentibus fratribus, verbi sacri erogare pabulum debuisset, eiusque pia petitio caritate, quam postulat, Deo disponente, minime frustretur: illuc enim dirigitur, ubi caterva fratrum centenarium numerum ferebatur implere. Cumque ibidem fere biennio retentus, non parvum fructum ex iacto verbi semine fidelis operator Domino tulisset, accepto Abbatis sui mandato, subnexo etiam obedientiae verbo, quatenus ad se redire debuisset, licet pluribus obstrictus precibus, teneri ultra nequaquam valuit, sed tamquam vir Dei plenus, obedientiae per omnia subditus, magistrum non obaudire formi-*

formidans, festivus ad eum redivit. Itaque namque nobis referre solebat, cum sermocinantis occasio id videretur exposcere, quo sui nos exemplo, velut ex propinquo ad obedientiam efficacius provocaret, quod si quid olim sibi cum obedientiae additamento praecipi contigisset, tanto sua viscera verbum hoc illico terrore concuteret, ut nulla iniuncti operis difficultate ab ipsius exsecutione retardari valeret. Peracto igitur cum suis confratribus permissi temporis spatio, iterum eiusdem rei gratia, qua Pomposiam ierat, ad sancti Vincentii, cuius supra meminimus, monasterium pergere iubetur.

XLIV. Eo Damiani e Pomposia discessu quam gravi molestia, atque dolore fuerint Pomposiani affecti, ostendit potissimum summa sollicitudo, ac studium penes se diutius detinendi Damianum ipsum, tum perennis deinceps omni suae vitae cursu eiusdem in Pomposianos monachos memoria, quorum perpetuum fuit quam maxime studiosissimus. Huius rei argumentum est epistola ab eo Pomposianis scripta, quo ipsos impensius rogat, ne illum extraneum umquam habeant licet absentem, nec nude amicum, atque collegam, sed summopere ipsis addictum, & una cum tota Avellanensi congregatione iis omnino subiectum. En litterae benevolentia plenae ab eo Pomposianis missae (a): *Religiosissimis, & sanctis viris omnibus, qui Pomposiae Deo deserviunt, Petrus devotissimae servitutis obsequium.*

Dilectissimi fratres, & domini, qualiter cor meum vestrae caritatis incendio ferveat, quibus circa Pomposiae monasterium amoris facibus inardescat, nolo scribere, ne fortasse videar adulationibus deservire. Cuius rei testis est ipsa conscientia; illis etiam non est prorsus occultum, qui mecum possunt frequenter habere colloquium. Vos etiam, dilectissimi, licet corporis habitatione semotum, nolite me extraneum esse decernere: nolite me etiam amicum quemliqet, vel qualemcumque socium deputare, sed & nos, & totum nostrum conventum, quasi proprii vestri iuris possionem esse indubitanter agnoscite: Et quidquid vobis placuerit, tam-

(a) Lib. IV. epist. 6.

tamquam vestris subiectis, atque domesticis absque ulla cunctatione iubete. Unde vos, dilectissimi, lacrimabiliter obsecro, & ad sancta vestigia vestra me prostratus advolvo, ut pro me servo vestro semper orare dignemini, & praecipue quum mortuus fuero, quidquid de vestrae congregationis monacho facitis, hoc etiam de me misero facere studeatis. Rogo autem, Domini mei, parvulam benedictionem de manu vestri (a) benigne suscipite; & non quid, sed a quo, non quantum, sed ex quanto proferatur, attendite. Pomposiano Avellanense monasterium fuisse subiectnm, nobis credibile non est, quod certe peroptasse videtur Damianus, sed de spirituali, ac relativa subiectione Avellanensium eius verba accipienda censemus; quatenus Pomposianum monasterium ea saltem in Italiae parte reliquorum haberetur princeps, a quo alia minora iudicarenter dependere qnodammodo, maxime ut inde monasticae disciplinae norma deduceretur accuratissima.

XLV. Praeterea solemne Damiano fuit, a monachorum familiis precibus suis petere, ut spiritualem ei vellent societatem concedere, quo illarum ad Deum supplicationum socius, & particeps omimode fieret. Expetierat id a Casinatibus monachis, quorum Abbas Desiderius, qui deinde Victor III. Pontifex maximus, & sanctissimus fuit, atque apprime doctus, illum perurbane fuerat minatus, post eius obitum arte defuturam memoriam ipsius in Casinensi monasterio, si Casinum adire negligeret: quod quum exsequi pollicitus fuisset Damianus, fueritque reapse deinceps executus, enixe rogavit, ut essent indictae, ac irritae minae intentatae. Cui haec Desiderius respondit; *Quoniam aperte cognovi, te monasterium Casinense, venerabilis frater Petre, prae omnibus circumquaque fundatis monasteriis diligere, iccirco placuit, ut castae dilectioni aliquid dignum redderem, quod perpetuo debeat tibi, Deo miserante, prodesse: sanctissimis fratribus consentientibus, atque laudantibus, decrevimus, ut in die obitus tui*

(a) *Servi*, vel quid simile intelligendum notat Constantinus Caietanus editor operum Petri Damiani.

tui memoriam tuae defunctionis annuatim semper celebrem habeant, ut Abbatum nostrorum, qui noviter de hac luce migraverunt. Decretum hoc, sive epistola legitur, quin verius ipsius vix vestigia apparent, quum arte omnino abrasa sit, atque deleta, in antiquo Casinensi manuscripto codice, qui numero 3. signatur. Verumtamen ibidem societatis initae litterae leguntur in fraterni amoris argumentum, quibus precationem, quae in Casinate monastico coetu ad Deum fierent, particeps declaratur Damianus, quasque Desiderius ipse ad eum misit, Rainerio monacho subscribente, ab Angelo de Nuce editas (*a*), a Gattula (*b*), & novissime a rerum Camaldulensium scriptoribus (*c*). De antiquissimo litterarum huiusmodi spiritualis societatis ritu inter monachos satis frequenter in usu, non opus est, ut plura dicamus, quarum non paucas legimus etiam nos aliquando multis in codicibus manuscriptis eiusdem Casinensis monasterii, alias vero vulgavit Marteneius (*d*), Muratorius (*e*), laudatusque Gattula (*f*), & alii: qua in re eo libentius non immoramur, quod etiam nostra aetate laudabiliter haec eadem vigeat consuetudo, cuius exempla haud infrequentia item Gattula protulit (*g*). Placet tamen nobis illud huc transferre, quod de semet litteris consignavit Stephanus Borgia Praesul doctissimus, nobisque iamdiu amicissimus, qui summa cum nominis celebritate, & ecclesiae universalis bono a secretis in praesentia est sacrae congregationis *de propaganda fide* nuncupatae; haec autem ait (*h*): *la special divozione, che fin da più verdi anni professiamo al gran Patriarca san Benedetto, ed al celebratissimo ordine Benedettino, ci ha stimolato a chiedere a grande istanza un pari onore* (*di figliolanza*), *per godere più d'appresso della protezione del santo, e per partecipare de' meriti di un ordine cotanto nobile, religioso, e pio, quale ab-*

(*a*) In notis ad chron. Casinen. Leon. Ostien. not. 1483.
(*b*) Histor. Casinen. tom. II. p. 395.
(*c*) Annal. Camald. tom. II. p. 272.
(*d*) De antiq. monachor. ritib.
(*e*) Rer. Ital. script. tom. VII. p. 951.
(*f*) Histor. Casinen. tom. II. p. 586.
(*g*) Ibid. pag. 825. & seqq.
(*h*) Memor. istoriche di Benevento tom. II. pag. 319.

biamo ottenuto, mercè la gentilezza del degnissimo Abate di Monte Casino D. Domenico Favilla nostro amico con amplo diploma in pergamena dat. in generali capitulo celebrato Perusii anno Domini 1763. *die* 1. *mensis maii*. Dominicus Favilla idem doctrina spectatissimus, ac virtutibus praestantissimus iterum Casini Abbas anno MDCCLXXVIII., atque universae Congregationis Casinatis praeses, a laudatis viris perquam multum commendatus. De origine vero, atque antiquitate societatis huiusmodi disserit pererudite ex more suo Mabillonius (*a*), multis ostendens documentis, iam saeculo VIII. mutuas hasce societates non solum in commendationem vivorum, sed etiam, ac praecipue mortuorum frequentari coeptas fuisse. Fiebant autem tum in gratiam monachorum, tum amicorum, & familiarium monasterii, adlectique in societatem *fratres conscripti* dicebantur.

XLVI. Pomposianos igitur Damianus maxime rogat, ut quum mortuus fuerit quidquid pro Pomposianae congregationis monacho fieret, hoc etiam pro se facere studerent. Iam vero moris erat, ut prima quaque occasione quotannis, sive etiam statim a morte alicuius ex sociis, epistola ad alios mitteretur encyclica cum mortis ipsius nuntio, rerumque ab eo gestarum notitia. Hinc utrimque nomen inscribebatur in necrologiis, & pia sequebantur opera religionis, septenaria, tricenaria, atque anniversaria, quae deinde etiam perpetua fuere. Tum annona, hoc est quotidiana monachi portio integro mense distributa pauperibus, aliaeque eleemosynae datae saepe tot indigentibus, quot essent in coenobio monachi, alicubi etiam signa pulsata, & alii huiusmodi actus patrati, non quasi eorum fiducia inflarentur monachi, quod nonnulli ex calumnia non dubitarunt asserere, sed ex certa christianorum persuasione, ac fide, piorum hominum precationes, supplicationesque propter christianae religionis communionem plurimum conferre ad Dei gratiam conciliandam, impetrandamque.

XLVII. Ne-

(*a*) Praefat. I. ad saecul. III. Bened. observat. 26. §. 100.

XLVII. Neque secus revera allato etiam Desiderii decreto factum est, ut ab ipso Damiani obitu grati Casinates monachi haud distulerint eius nomen in Casinensibus necrologiis inscribere, ac recensere, quae antiqua consuetudine publico in conventu quotidie mane legebantur post horam primam canonicam. Profecto in manuscripto codice monasterii illius signato numero 47., in quo vetustum continetur saeculi XI. necrologium legitur VII. kalendas martias: *Obiit venerandae memoriae domnus Petrus Hostiensis Episcopus, & fratres* (sic) *nostrae congregationis*. Et in altero necrologio codicis aeque antiqui eiusdem monasterii, qui numero 179. signatur, eo die legere est: *Depositio Petri monachi, & Petri monachi*, quorum alteruter satis verosimiliter Damianus est. Ad haec in codice quodam, quem manibus olim suis versarat Leo Ostiensis celeberrimus Casinas monachus, atque chronographus, quique penes laudatum Borgiam nunc est, ab eo quondam Velitris feliciter repertus, cuius in fronte antiquum kalendarium est, ac necrologium cum liturgia saeculi XI. Casinati monasterio propria, in hoc, inquam, codice in necrologio die superius enuntiato legitur: *Petrus Dam. Episc. & mon.* Notis quibusdam, & animadversionibus codicem hunc quondam nobis illustrare curae fuit, qui inter anecdocta iacet multa adhuc, quae Praesul ipse litterariae reipublicae notissimus iamdiu paravit ad publicum commodum, atque utilitatem aliquando in lucem edenda.

XLVIII. Sed ab unis Casinatibus, ac Pomposianis expetierat Damianus, impetraveratque societatis litteras, quas commemoravimus, sed etiam a Cluniacensibus monachis, uti Camaldulenses scriptores novissimi animadvertunt, referuntque his verbis (a): *Qui Cluniacenses oraverat, ut sui memoriam post obitum servarent, anniversariumque in animae suae refrigerium persolverent, qui idipsum etiam a Pomposianis postea obtinuit, a Casinatibus monachis pariter efflagitavit orationum suffragia post diem defunctionis suae.*

Ss 2 XLIX. Ex-

(a) Annal. Camald. tom. II. pag. 272.

XLIX. Extra omnem dubitationis aleam positum videtur, Petri Damiani in Pomposianum monasterium adventum ad annum circiter MXL. referendum esse, eiusque discessum biennio post. Iam enim anno MXLIV. Fontis Avellanae coenobii administrationem capesserat, quod colligitur omnino ex eius prima epistola ad Gebehardum Ravennatem Archiepiscopum scriptam (*a*), qui eo anno certe quidem fato functus est, uti alias dicemus. Porro sanctissimus Archiepiscopus Gebehardus, cui quammaxime tum Ravennae, tum in Pomposia notissimus Damianus fuerat, atque clarus in primis, Ravennam perurbane ipsum revocarat, qui tamen de hac re data epistola satis se purgavit penes Gebehardum eumdem, coactus monachis sibi concreditis numquam deesse, eorumque necessitatibus ferre suppetias: *Praecepisti mihi*, ait, *dulcissime pater*, *&* *domine*, *&* *praecipiendo mandasti*, *ut ad te venirem*; *sed ego pauperculum locum ad regendum suscipiens*, *qui prius per memetipsum solummodo pauper exstiti*, *nunc per tot pauper effectus sum*, *quot regendos accepi* *quapropter dum fratrum necessitati consului*, *ad vos facile venire non potui*. Igitur ante annum MXLIV. non solum e Pomposia discesserat Damianus, sed etiam e sancti Vincentii monasterio, quo recta abierat, iamque Avellanense coenobium regebat. Accedit, tempus esse necessario subducendum, quo fuit, antequam decederet, Gebehardus Pomposiano in monasterio versatus; ex quo profecto fiet, Petrum Damianum ibidem reapse biennio inter MXL. & MXLII. decurrente constitisse.

L. Mirum cuiquam non erit, Ravennatem Archiepiscopum ea in epistola a Damiano *secundae per Italiam sedis antistitem* appellatum, ubi animadvertat, controversiam de praelatione Mediolanensem inter, ac Ravennatem Archiepiscopos eo tempore acrem exstitisse, qua vertente, neque iudicata adhuc, sive Ravennati, sive Mediolanensi certatim ab omnibus, immo & in Romanis etiam conciliis illa adsci-

(*a*) Lib. III. epistol. 2.

adſciſcebatur praelatio. Quapropter liberum quoque fuit Damiano ex ſuo in patriam amore, atque impenſiori ſtudio, Ravennatem eccleſiam alteram in Italia ſedem, ceteris poſtpoſitis appellare, atque cenſere; quod re quidem vera clarius, certiuſque biennio poſt datam ab eo epiſtolam in Romana ſynodo definitum eſt, anno ſcilicet MXLVI. Clementis II. Pontificis maximi temporibus.

LIBER SEXTUS.

I. DUM tantis affulgeret luminibus Pomposianum monasterium, multorum etiam munificentia, & pietate opibus augebatur in dies, ac facultatibus. Ab anno enim MXXIX. Anspardus quidam Azo Guiberti filius bona sua vendiderat in comitatibus Parmensi, ac Placentino posita Alberico filio Iohannis una cum bonis aliis *in loco qui nuncupatur de flesò*, & alibi, cumque servis, & ancillis, ea lege, ut emptoris morte obveniente, cui nullus esset heres, ad Pomposianum ipsum monasterium tamquam secundum heredem ea singula bona pervenirent. Scripta haec membrana fuit anno Conradi Imperatoris tertio, *intrante mense februario indictione quartadecima. Actum in loco Pomposiano. Albertus qui vocatur Curso iudex.* Adfuere etiam testes Albertus, Rodulphus, & Ambrosius. Ecce autem hac in membrana binominis exemplum, *Anspardi* nimirum *Azonis*, & clarius deinde *Anspardi qui & Azo*: quod multis Episcopis, virisque illustribus fuit saeculo XI. frequentissimum, quemadmodum *Conradus*, & *Cono*, *Irmenfridus*, & *Immo*, *Liutprandus*, & *Liutius*, *Ildibertus*, & *Albitho*, *Petrus qui & Pepo*, *Rodericus*, & *Bonizo*, *Eberardus*, & *Ebbo*, *Teuperus*, & *Teucius*, *Albericus*, & *Albizo*, *Arduinus*, & *Ardicio*, aliaque sexcenta passim in chartis antiquis, in nostro diplomatico Pomposiano codice, atque in annalibus veterum rerum conspicienda.

II. Anno autem MXXX. constat, Guidonem locasse bona multa ad monasterium Pomposianum pertinentia in fundo Bauriae, qui sex circiter millia passuum ab urbe Ferraria distat, ex charta anni MCLXXX. aut circiter, in qua recensentur monasterii eiusdem iura in fundum illum; quum enim locatio a Guidone facta anno MXVI. in ea membrana indicetur *de medietate fundi Bauriae*, deque alia octava parte, quemadmodum adnotavimus alias, subditur deinde: *Sed postea in quartodecimo anno post primam & secundam locationem locavit idem Abbas Guido sanctus tres partes medietatis cum iisdem finibus.*

Quae

Qua partes continentur in fundo Bauriae. De hoc fundo controversia deinceps fuit inter Abbatem Pomposiae, ac s. Vitalis Ravennae urbis, uti suo loco dicemus.

III. Praeterea anno MXXXI. Iohannes filius Ursonis, *qui vocabatur de Capralia*, & Laurentia eius neptis Etliberto presbytero, & monacho Pomposiano, eiusque successoribus vineam vendidere novem distinctam ordinibus in Massa Fiscalia sitam, & in *loco qui dicitur corno*, quae bonis aliis Pomposiani monasterii erat contermina. Pro pretio ab emptore soluti fuere viginti *solidi proinariensium denariorum*, quorum singuli solidi duodecim denarios continerent. Id vero scriptum fuit signis quinque testium *in Umbratico*, & Leonis tabularii manu consignatum anno pontificatus Iohannis XIX. quarto, atque *imperante domnus Choradus pigissimo rex propicio anno hoctavo die vicisimo primo mensis madio indictione quartadecima*. Quo tempore incertum est, an Etlibertus primas in Pomposiano monasterio obtineret, absente Guidone, an potius procuratoris fungeretur officio, ipsius Guidonis, ac monasterii nomine. *Provinienseṁ solidum*, seu *provisinum*, cuius mentio est in hac membrana, & in aliis plurimis illorum temporum, a Campaniae ducibus cusum nummum fuisse, opinatur DuCangius (*a*). In contractibus saeculo XII. Romae scriptis, & frequentius saeculo consequenti occurrunt *librae provisinorum senatus*, quae denariorum potius videntur librae, aut solidi in urbe signati, certo constituto pretio senatus ipsius consulto. Videsis de hac re Muratorium (*b*), qui multas edidit membranas, quibus huiusmodi indicatur moneta, & quarum alteram saeculi XIII. nos etiam exscripsimus, atque illustravimus aliena manu adiectam in Borgiano codice, quem supra commemoravimus. Hoc anno eodem donatio quaedam Guidoni facta legitur inter membranas archivi s. Vitalis Ravennae, & una Andreae Abbati s. Mariae in Palatiolo. Theophilactus enim quidam de Portanova, ac Lucia eius coniux *pro oblacione, & inluminacione seu eterne remuneracione anime nostre*

(*a*) Glossar. infimae latinit. ad hanc voc.

(*b*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 807. & seqq.

nostre & anime quondam parentum nostrorum domos quasdam Ravennae constitutas *in regione sancte Agnes martiris* suis circumscriptas finibus perpetuo donarunt monasterio Pomposiano aequali divisas parte, ac supradicto monasterio s. Mariae de Palatiolo. Data autem fuit haec charta *anno Deo propicio pontificatus domini nostri Iohannis summi Pontificis & universalis Pape sede septimo sitque imperante domno Conrado serenissimo Imperatore anno quinto die nona mensis octuber indictione decimaquinta Ravenne*. Haec adamussim respondent anno MXXXI. Exscripsit chartam eamdem Adalbertus Ravennas notarius, testibus adhibitis Anastasio consule, Iohanne Theophili filio, atque Teucio vel ipso consule. Hanc unam membranam ad Pomposianum spectantem monasterium comperimus nos in laudato s. Vitalis archivo, quum ipsum componere, ordinare, eiusque membranas singulas exscribere, atque in codicem redigere paucis ab hinc mensibus iussi fuerimus. Multa contra nobis occurrerunt monumenta in eo cubantia de pervetusto s. Mariae in Palatiolo coenobio, cuius saepius mentionem in suis annalibus fecere Mittarellius, ac Costadonius, quibus nihilominus ne propositum quidem fuit singula ad ipsum pertinentia referre, ac recensere.

IV. Verum quae hisce temporibus magis monasterio Pomposiano accrevere, fuerunt bona plura memorabili, ac splendida donatione ei obventa anno eodem MXXXI. & Guidoni Abbati facta a Gebehardo Ravennate Archiepiscopo. Quum enim ipsi persuasissimum fuisset, tum Guidonem integrum vitae, scelerisque purum, tum Pomposianum monasterium nitidissimum esse sanctitatis exemplar, & domicilium, sui amoris, munificaeque largitatis argumentum publicum monasterio eidem, atque Guidoni dare meditatus est. Antiqua erat Ravennatis ecclesiae consuetudo, non secus atque aliarum etiam ecclesiarum, in annos singulos conventum indicere, sive synodum, cui interesse deberent, quos vocant, *suffraganei* Episcopi, atque Abbates matrici ecclesiae subiecti. Et re quidem vera anno DCCCCLIV. concilii Ravennatis acti-

actibus, quos referunt Rubeus (a), & Labbeius (b), subscribit *Dominicus religiosus presbyter, & Abbas regularis sancti Apollinaris, qui vocatur in Classe*. Et anno DCCXCLXXXXVIII. Petrus monasterii ipsius Classensis Abbas Gerberto Ravennati Archiepiscopo, qui Romanus deinde Pontifex fuit sub Silvestri II. nomine, accedere pollicitus est *in festivitatibus sanctorum martyrum Apollinaris, & Vitalis omni anno ad synodum secundum antiquam consuetudinem*. Aliam quoque synodum nos recensuimus alibi ab Arnaldo Archiepiscopo habitam Ravennae anno MXVI.

V. Itaque Gebehardus etiam Roma reversus ad suam ecclesiam, quum anno eodem MXXXI. IV. kalendas iunias synodum convocaverit, cuius vel docti meminere Camaldulenses scriptores (c), ei interfuere *suffraganei* Episcopi una cum Ravennatis utriusque cleri nobiliori parte, atque subscripsere singuli; primus quidem omnium ipse *Gebehardus Dei gratia Archiepiscopus*, deinde Hugo Parmensium Episcopus, Adalfredus Bononiensis Episcopus, Sigefredus Dei nutu Regiensis Episcopus, Ivo Placentinus Episcopus, Ubertus Saxenas Episcopus, Rolandus gratia Dei Episcopus sanctae Ferrariensis ecclesiae, Iohannes gratia Dei Episcopus sanctae Caesenatis ecclesiae, Iohannes gratia Dei sanctae Ficoclensis ecclesiae Episcopus. Animadvertere autem iuvat, singula Episcoporum nomina litteris minoribus scripta fuisse, uno excepto Rolando Episcopo Ferrariensi, cuius nomen maiusculis litteris exaratum est. Quod ad Iohannem Caesenatem Episcopum pertinet, eum Ughellius agnovit (d) dumtaxat ad annum MXLII. Post Episcopos autem subscribunt reliqui hoc ordine, Lambertus sancti Apollinaris Abbas, Bonizo s. Mariae in Cosmedin Abbas, Giselbertus sanctae Ravennatis ecclesiae archipresbyter, Adam archipresbyter sanctae Ravennatis ecclesiae, Bonio Abbas s. Severi, Ravennus Cardinalis presbyter sanctae Ravennatis ecclesiae, Deusdedit sanctae Raven-

(a) Histor. Ravennat. lib.v. p.257.
(b) Collect. concilior. ad ann.954.
(c) Annal. Camald. tom. II. pag. 25., & in append. pag. 80.
(d) Ital. sacr. tom. II. in episcop. Caesen. num.31. pag.447.

natis ecclesiae diaconus, Petrus sanctae Ravennatis ecclesiae subdiaconus, Vitalis subdiaconus & cantor sanctae Ravennatis ecclesiae, Urso presbyter & cantor sanctae Ravennatis ecclesiae, & DD., hoc est Deusdedit sancti Iohannis Evangelistae Abbas. Huius monasterii Ravennae mentio occurrit duabus in Pomposianis tabulis anni MCLXI. kalendis iuniis, & XVI. kalendas iulias datis *in claustro* nimirum *monasterii s. Iohannis Evangelistae* tempore Iohannis Abbatis Pomposiae, continentque eaedem tabulae concessiones quasdam bonorum ad emphyteusim. Nec secus in monumento alio Pomposiano anni MCLXXV. mense martio recensetur Bonizo alter presbyter & monachus, atque Abbas monasterii s. Mariae, quae vocatur in Cosmedi, cui successor est in eadem membrana Iohannes Abbas.

VI. Horum igitur consensu, ac suffragiis Gebehardus Pomposiano monasterio, atque Guidoni Abbati *anteriora praecepta* confirmavit, rataque voluit, *& insuper omnia que in illis releguntur, idest ecclesiam sancti Petri Apostoli cum curte sua integra que vocatur ustolatus ubi ipsa pone dicta ecclesia edificata esse videtur cum omnibus suis pertinentiis sicut in anteriore preceptum relegitur. Verum etiam confirmamus*, ait, *in tuo sancto & venerabili monasterio curtem integram que vocatur montarioni cum fundis & pendicibus suis. Et insuper omnia & de omnibus que infra ipsa latera continentur in anteriora tua precepta leguntur. Necnon monasteria quorum hec sunt nomina videlicet sancti Stefani qui vocatur maioris atque sancti Stefani qui vocatur iunioris, & monasterium sancti Zacharie cum omnibus suis pertinentiis sicut in anteriora precepta relegitur que a nobis nostrisque antecessoribus vobis vestrisque successoribus largita sunt ab origine confirmamus*. Ex quibus colligere licet etiam ea omnia olim a Ravennatibus Archiepiscopis Pomposiano monasterio fuisse concessa. Recens vero haec Gebehardus donavit, *idest mansum unum integrum qui est positus in fundo qui vocatur dominisillo habentem per tornatura septuaginta iuxta terram que est de iure Mainfredi filius quondam Ubaldi cum terris vineis campis vel cum omnibus sibi pertinentibus constitutis territo-*
rio

rio Faventino plebe sancti Andree qui vocatur in panigale. Alia etiam bona donavit *posita in villa que vocatur caput bovi* suis circumscripta finibus, sive lateribus, quae erant iuris *sancte nostre Ravennatis ecclesie*, & alia quoque posita *in loco qui dicitur braide iuxta fluvium qui vocatur Alimonem cum ripa sua*, quum ex adversa fluminis parte monasterium Pomposiae *terram & aliam ripam fluminis* ipsius *iure proprietatis haberet*.

VII. Haec singula monasterio eidem donat Ravennas Archiepiscopus *pro remedio anime mee meorumque successorum*, ut ipse ait, quatenus Guido Abbas, quem carissimum patrem appellat, & successores eius, atque *confratres*, ut idem subdit, *qui ibi sunt*, *vel qui ibidem ordinati fuerint orationes que in tuo anteriore precepto*, *quod a nobis in tuo prefato monasterio concessum est releguntur adimplere & facere debeatis & pensionem que ibi relegitur idest bisantium unum in festivitate sancti Apolenaris nobis nostrisque successoribus vel sancte nostre Ravennatis ecclesie actoribus persolvere debeatis*. Voluntatis vero suae infractoribus minatur Gebehardus ex more eorum temporum, maxime ubi ecclesiis donationes fierent, anathema tercentorum ac duodeviginti Nicaenorum patrum, diras, & exsecrationes Iudae Iscariotae, atque una cum angelo Satana detrusionem ad inferos. Devota demum precatione virginem Mariam, in cuius honorem Pomposianum aedificatum fuerat monasterium, charta concluditur, quam Gerardus notarius Ravennatis ecclesiae litteris consignavit iussu quidem eiusdem Gebchardi Archiepiscopi, qui & ipse subscripsit, & reliqui superius recensiti. Datae sunt tabulae *anno Deo propicio pontificatus domini Iohannis Pape*, nimirum XIX. *summi Pontificis & universalis in apostolica sacratissima beati Petri sede septimo sitque Imperator domnus Chorado in Italia anno quinto die vigesimo nono mensis madii indictione quartadecima in loco qui dicitur Tamara*, qui antiquus est in Ferrariensi territorio vicus, atque paroecia.

VIII. Apparet hinc profecto Episcoporum ea aetate consuetudo monasteria, & ecclesias, quae episcopatus sui iuris essent, donandi, quo instaurarentur, corrigerenturve in melius, sive ad emphyteusim concedendi maioribus monaste-

 riis,

riis, atque ditioribus *pro orationibus*, vel *pro victu, & sumptu monachorum*, aliqua indicta pensione. Eiusmodi fuere ecclesia s. Petri in *curte Ustulati*, quae castrum, vel oppidum deinde evasit in Ferrariensi ditione, atque monasteria tria Ravennae posita s. Stephani maioris, s. Stephani minoris, & sancti Zachariae a Gebehardo donata, sive potius Pomposiano monasterio confirmata novo hocce diplomate, quod aliud certe praeiverat vel fortasse Gebchardi ipsius, vel alterius e suis decessoribus, in primis autem Arnaldi anno MXVI. in sua Ravennate synodo, de qua alibi diximus. Monasteriorum huiusmodi frequens occurrit mentio in monumentis Pomposiani tabularii.

IX. Antiqua sane est emphyteutica concessio quaedam facta ab Iohanne diacono, & *camerario* sanctae Ravennatis ecclesiae, atque Abbate monasterii sancti Zachariae Martino filio quondam Leonis *qui vocabatur de Russi*, eiusque futurae uxori, filiis, atque nepotibus. Concessit vero *saluciolam* quamdam *pede planam in integrum a murotis cumclausa tegulis & portionem de puteo in ac civitate Ravenne iuxta basilice sancti Vitalis martiris*: cuius quidem *saluciolae*, unde Italica vox *saletta*, longitudo erat pedum circiter quinquaginta duorum cum semisse, latitudo vero pedes quinquaginta & sex inter suos fines. Annuam pensionem solvere obligat se Martinus, iuratque se conservaturum contractum *per divina omnia misteriam sedemque sanctam apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum*, Berengarii nimirum, & Adelberti Regum, sub auri obrizi duarum unciarum poena. Chartam scripsit *Iohannes tabellio civitatis Ravenne*, subscripseruntque cum eo testes, Petrus consul de Anatolio, Iohannes filius Iohannis consulis, & Ursus filius Anastasii Ravennates. Data autem fuit anno pontificatus Iohannis V. Papae primo, *sitque regnante vero domno Berengario excellentissimo Rege & Adelberto septimo die vigesimo mensis marcio indictione quintadecima Ravenne*, hoc est anno DCCCCLVII. Huius membranae meminere rerum Camaldulensium scriptores (*a*), qui nihi-

(*a*) Annal. Camald. tom. II. pag. 77.

nihilominus a manuſcripto tabularii Pompoſiani catalogo decepti nomen Willelmi Abbatis pro Iohanne legerunt, ac vigeſimum ſeptimum pro die vigeſimo martii menſis. Anno eodem idem *domnus Iohannes per Dei miſericordiam diaconus & camerarius ſancte Ravennatis eccleſie & Abbas monaſterii s. Zacharie & ſancti Iohannis Baptiſte* emphyteutico ipſo iure conceſſit Romano *qui vocatur de Saliano* medium fundum *qui vocatur Sarzano* in Ravennate territorio poſitum, & in *plebe ſancti Thome Apoſtoli* inter alios fundos *luſirianum*, *arcarianum*, & *midilianum*, ea lege appoſita, ut annua eſſet penſio ſolvenda, perducendaque *uſque in caſtrum veſtrum qui vocatur Rivaſſian apud locum uſque dum carrus domnica venerit*. Fuit haec charta ſcripta a Dominico tabellione Ravennate anno pontificatus Iohannis V. Papae primo, Berengarii vero, & Adalberti eius filii ſeptimo *die nono menſis aprelis indictione quintadecima Ravenne*. Eam etiam commemorarunt laudati Camaldulenſes ſcriptores (*a*), ſed eodem confiſi catalogo ipſam non recte ad annum DCCCCLX. retulerunt, quum eam ſcriptam dixerint anno quinto Iohannis Pontificis, ac tertia indictione. Haud bene pariter *Romanum de Sarciano* edidere, qui *Romanus de ſaliano* in autographa charta legitur. Addunt autem haec: *Gallae Placidiae neptis Singleida monaſterium ſancti Zachariae aedificavit, ut ait Agnellus* (*b*), *in loco non longe a ſanctae Crucis eccleſia eodem tempore a Galla Placidia conſtructa, quam iactum ſagittae eſt, ſub pontificatu Iohannis primi Angeloptis dicti Ravennatis Archiepiſcopi*. Sed & plebis s. Zachariae Ravennae mentio eſt in charta anni MXXXIV. ſcripta videlicet anno primo pontificatus Benedicti IX. tempore Chonradi Imperatoris *die ſeptimo menſe madii indictione prima* (lege *ſecunda*) *in loco qui vocatur panigale*. In ea vero coram Benazono, ac Iohanne *filiis quondam Handreas qui vocabatur de paniſale* (*c*), & aliis una cum Ferulfo *tabellione civitatis Ravenne* Gerardus de panigale, virga in manus porrecta Dominico de panigale *cioni* ſuo, nimirum (ſi recte accipimus)

(*a*) Annal. Camald. tom. II. pag. 77.

(*b*) In vita Iohannis Raven. Archiep.

(*c*) Fortaſſe *panigale*.

pimus) ſuo avunculo, unde vox Italica *zio*, hortum ei vendidit *iuſta via egienſe* ſitum, & agrum alterum in fundo *panigale*, qui ad monaſterium s. Iohannis Evangeliſtae pertinebat, *in territorio Ravenne plebe ſancti Zacharie*, cuius & mentio fit anno MCLVI. VII. idus novembris, anno MCLXVI. VI. idus aprilis anno MCLXXXII. VII. kal. ſept. anno MCLXXXII. XVII. kalendas iulias, & anno MCCXIV. kalendis februariis in Pomposianis chartis. Anno vero MCCIV. III. idus ianuarias, & anno MCCXXXIV. XVI. kalendas ianuarii recenſetur Ravennae *androna*, ſcilicet via, *ſancti Zachariae*.

X. Quod vero ſpectat ad monaſterium s. Stephani maioris, illud commemorant Rubeus (*a*), ac Fabrius (*b*), cuius & meminit charta Pompoſiana anni MCXXIII. V. idus novembris. Quaedam etiam eſt conceſſio ad emphyteuſim facta medii manſi in *ſezata & campo domnico plebe ſancti Iohannis in Axiata* a Guidone Pompoſiano Abbate nomine Aurelii Abbatis s. Stephani maioris, in cuius eccleſiae clauſtro ſcriptae, ſive actae fuere tabulae anno *milleſimo trigeſimo tercio die undecima menſis auguſti indictione prima*: in iis monaſterii eiuſdem s. Stephani *canniva* recenſetur. Videſis etiam chartas anni MCLII. XII. kalendas novembris, anni MCLXXXII. VIII. idus iunias, & VIII. kalendas ſeptembris, anni MCLXXXXII. XII. kalendas iulias, atque anni MCCXIV. kalendis februariis. Maxime vero celebris ſententia lata fuit anno MCLXXXVIII. III. kalendas maias ab Alexandro Livienſi Epiſcopo, & lite vertente inter Gherardum Ravennatem Archiepiſcopum, & Gualfredum Abbatem Pompoſiae, in qua, facta mentione Gebehardiani diplomatis, haec habentur: *Excipiantur tamen de hac confirmatione eccleſia ſancti Stephani maioris & eccleſia ſancti Barbatiani & ſancti Zacharie* (de quibus agemus alias) *atque ſancti Stephani qui vocatur iunioris* (de qua mox dicemus) *& monaſterium ſancte Marie quod vocatur ſenodochium* (de quo pariter infra:) *ita tamen quod pertinentie & poſſeſſiones ille quas prenominate eccleſie tempore precepti Gebeardi Pompoſiane eccleſie conceſſe ſunt in hac confirmatione permaneant*: *excepto*

(*a*) Hiſtor. Ravenn. lib. V. (*b*) Iſtor. di Ravenna pag. 351.

cepto si quid Archiepiscopus modo habet de ipsis possessionibus vel alius pro eo Ravennati ecclesia. Qua de re Gherardus idem Archiepiscopus die eadem Pomposiano monasterio integram confirmavit Gebehardi donationem, & nominatim ecclesias, ac monasteria praedicta sententiae adhaerens Alexandri eiusdem Liviensis Episcopi. Sed de hac re suo loco. Interea *regionem*, & *gattulum sancti Stephani maioris* recensent tabulae Pomposianae anni MCCXV. III. idus ianuarii, & VIII. kalendas maias, & anni MCCXXIII. V. nonas martias, atque sequentis anni XIX. kalendas ianuarii, in qua postrema coemeterium etiam ipsius ecclesiae memoratur. Item chartae anni MCLXXXII. VII. kalendas sept. & anni MCCXXIX. III. idus novembris, in quibus apparet *bonus presbyter ecclesiae sancti Stephanis maioris*; tum anni MCCXXX. XI. kal. iulias, & MCCXXXI. V. idus februarias, & VII. idus decembris, anni demum MCCXXXV. XVII. ac VIII. kalendas octobris.

XI. Ad monasterium vero quod attinet s. Stephani minoris, sive iunioris, Georgius archidiaconus, atque primicerius notariorum Ravennatis ecclesiae, & Abbas monasterii s. Stephani minoris ad emphyteusis titulum dat Constantino diacono ecclesiae eiusdem Ravennae, ac Iohannis de Constantino filio, eiusque successoribus duobus integras *caminatas* duas domus cuiusdam cum puteo in ipsa urbe Ravenna positae *in regione basilice sancti Petri apostoli maioris*, quae iuris erant monasterii eiusdem s. Stephani. Chartam litteris exaravit *Iohannes Dei nuto ex genere consulis & tabellio huius civitatis Ravenne* quam subscripsit Constantinus laudatus cum testibus quatuor, nimirum Romano consule de Posterula, Petro filio Petri Dativi, Teubaldo, ac Guinibaldo filio Martini, & una cum iis notarius ipse Iohannes. Scripta est autem anno pontificatus Benedicti VII. *sexto*, & Augusti Ottonis *undecimo die trigesimo mense madio indictione sexta Ravenne*, hoc est anno DCCCCLXXVIII. quo annus numerabatur undecimus imperii Ottonis II., indictio etiam sexta, sed annus quartus Benedicti VII. Romani Pontificis. Chartae huius meminerunt

docti

docti rerum Camaldulensium scriptores (*a*), qui & alteram recensuere anni DCCCCLXX. qua idem Georgius Abbas loca quaedam Petro Archiepiscopo Ravennati donat. De hoc monasterio consulendi etiam sunt laudati Rubeus (*b*), ac Fabrius (*c*). Sed caute animadvertendum duo haec s. Stephani tum maioris, tum minoris monasteria confundenda non esse cum ecclesiis aliis sub ipsius s. Stephani titulo in urbe eadem Ravenna sitis, quod vel ab eruditis Camaldulensibus diligenter adnotatum est: revera enim s. Stephani de Contra mentio est in Pomposiano monumento anni MCCXXX. XI. kal. iulias.

XII. Quidnam iis temporibus maiores nostri ea *çaminatae* voce intellexerint, inter viros doctos controversia est; de qua re nonnulla Muratorius observavit (*d*). Nobis videtur, *caminatas* duas, de quibus nostrae Pomposianae tabulae, nihil fuisse aliud, quam duo spatiosa cubicula foco etiam fortasse ornata; dicitur enim in iis: *largistis mihi rem iuris supradicti monasterii idest duabus caminatas in integrum da mansione pede plano in integrum*. Unde vox Itala manet etiamnum *caminata*, sive *camminata*. Scatent quippe saepius Pomposianae tabulae Italicis vocibus, ex quibus linguae Italicae incunabula saeculo XI. imo & praecedenti colligere liceat.

XIII. Inter reliqua a Gebehardo Archiepiscopo Pomposiano monasterio donata *mansum unum integrum* recensetur *positum in fundo qui vocatur dominisillo*. Quid medio aevo fuerit mansum, differit Muratorius (*e*): sed adhuc sub iudice lis est. Ea certe aetate *mansum*, *tornaturia*, *tabulae*, *pedes* frequentes mensurae occurrunt in agrorum describenda quantitate. Erat igitur *mansum* determinata quantitas terrae, quam duodecim iugerum dixere nonnulli, hoc est modia totidem, si iugerum, quo usus est Papias, atque cum modio valeret. Sed hoc satis incertum. Amerbachius enim iugerum biscentum dumtaxat ac sexaginta pedibus in sua longitudine contentum

(*a*) Annal. Camald. tom. II. p.76.
(*b*) Histor. Ravenn. lib. V.
(*c*) Istor. di Ravenna pag.351.
(*d*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 418.
(*e*) Antich. Estensi cap. I. pag.4.

tentum dixit, in latitudine vero centum nonnisi atque viginti. Ad Baioaricas leges perticas quatuor decimpedes in latitudine, in longitudine quadraginta mansum comprehendebat. Ex quo nobis arguere licet, quam longe diversae inter se iuxta locorum, ac temporum varietatem mensurae essent antiquitus, etsi idem nomen diversis sortirentur in gentibus. Verum non multum difficile erit, proprie *mansum*, eiusque quantitatem determinare, quod tum Ravennae, tum Ferrariae, locisve aliis circumiacentibus erat in usu. Etenim hisce in regionibus metiebantur veteres *mansum* pede communi, qui aliquo in publico pariete, patebat omnibus, exempli gratia Ferrariae in muro episcopatus, unde & *pes episcopatus* Ferrariensis dictus est, illemet, qui nostris etiam temporibus in cathedrali Ferrariensi ecclesia adhuc visitur. *Mansum* itaque eo pede dimensum quadratas perticas continebat quater mille, quarum centum singulae *tornaturiae* erant; si vero centum perticis minor fuerit numerus, *tabulae* vocitabantur, ac denique *pedes*, ubi earum mensurae minores essent, adeout partium huiusmodi quaelibet intelligeretur quadrata, videlicet *pedes* centum *tabula*, sive *pertica* esset, *perticae* centum *tornaturia*, & *tornaturiae* quadraginta, quae quadraginta mille *perticis* aequipararentur, *mansum* constituerent, quod in Ferrariensi ditione maxima erat terrarum mensura, ut etiam Guarinius advertit (*a*). Sed de hac re alibi nobis erit sermo, ubi de *manso* iterum mentio occurret in chartis codicis Pomposiani subsequentibus, quod proprium esset ditionis eiusdem Ferrariensis.

XIV. Gebehardi Ravennatis Archiepiscopi meminit quoddam iudicatum factum anno *pontificatus domini nostri Iohanni . . . Pape . . . quarto. Imperator domnus Conradus . . . in Italia anno tercio die octavo decimo mensis februario indictione duodecima in vico, qui vocatur arborlongo*, nimirum anno MXXIX., quo tamen annus Iohannis XIX. Romani Pontificis quintus numerandus est. Itaque *dum resideret in iudicio domnus Lanzoni misso, & vasso domini Iebeardo Archie-*

(*a*) Storia delle chiese di Ferrara pag. 290.

piſcopo ſancte Ravennatis ecclesie & cum eo pariter reſidebat Albericus, quod nominatur Paganus iudex, & alii plures, *Mauricius tabellio adiutor Martinus presbiter . . . averſus Grecorio, qui vocatur de Lleo de Dominicus de una pecia terre* litem intentavit, & cauſſa audita, *Albericus quod nominetur Paganus ſtatim locutus fuit averſus prenominato Grecorio*, & contra eum iudicavit ſub poena *de denariis Veronenſium librarum decem*.

XV. Anno MXXXIV. Gebehardus idem placitum Ravennae habuit, cui cum aliis multis Guido adfuit Pompoſianus Abbas. Illud retulit Rubeus (*a*) ad annum tertium Benedicti IX. Romani Pontificis: verum annum ſecundum legendum cenſuit Muratorius (*b*). Poſt placiti initium haec leguntur: *Dum adeſſent quidem optimi, atque honeſtiſſimi, necnon bone opinionis, & laudabilis fame viri, quorum nomina hec ſunt, ideſt domnus Lambertus per Domini miſericordiam monaſterii ſancti Apollinaris, quod vocatur ad Claſſe, Abbas, & Wido Dei gracia monachus, & dudum monaſterii ſancte Marie, quod vocatur ad Pompoſiam, Abbas, & Hugo comes quondam Hubaldi comitis filius, atque Petrus inclytus dux, & Iohannes dux nobilis, & Theodaldus Deo annuente illuſtriſſimus vicedominus, & me preſente Rodulpho Ravennate Chriſti miſericordia tabellione, & aliis &c.* Lambertus non alius certe ab eo, qui Pompoſianae Gebehardi donationi ſubſcripſit.

XVI. Inter haec quaedam nonniſi ad nos pervenerunt ceſſiones in emphyteuſim factae a Guidone Abbate, anno nimirum MXXXI. terrarum *in vico, qui vocatur curba, non longe eſt prope ecclesie vocabule ſancte Margarite* ad fluvium *Curbe*, aliarum etiam anno MXXXIII. *in Sezata, & campo domnico plebe ſancti Iohannis in Axiata*, & anno MXXXV. vallis cum caſali *in loco, qui vocatur Gauro quanta ſcutere, & laborare potuerit in lato pedes centum de fluvio Gauro*, bonorum quoque plurium anno eodem *in fundo, qui vocatur Gragnano, & in fundo, qui vocatur Laugnana, & in alio qui vocatur de Silbole territorio Adrienſe plebem ſancti Andree Apoſtoli Chri-*

(*a*) Hiſtor. Ravenn. lib. v. (*b*) Annal. d'Italia all'ann. 1034.

Christi, *qui vocatur Arcuada*; anno demum eodem *Petrus presbyter*, *& monachus per iussionem a domno Guido venerabilis Abbatis sancte Marie*, *que vocatur a Pomposia* quibusdam concessit bona nonnulla *constituta territorio Ravenne plebe sancti Iohannis*, *qui vocatur in Axiata*.

XVII. Verum anno sequenti MXXXVI. Sigefredus presbyter Algisiti filius Pomposiano monasterio obtulit, deditque *cortes duas* iuris sui *cum castro*, *& capellas in eas constitutas cum casis sediminas*, *& omnibus rebus ad ipsas cortes pertinentibus*, *quas habere visus sum super fluvio Tanegrum huna ecclesia*, *que nominatur Flexio alia ubi prope que nominatur Cerro*: quae quidem omnia *ego qui supra Sigefredus presbyter dono*, *& offero in eodem monasterio a presenti post decessum Berte commetisse filia bone memorie Oberti marchionis*, *& relicta bone memorie Odelrici quondam Magilfredi marchionis*. Oblatio autem isthaec facta est *pro hanime mee*, *& pro hanimabus bone memorie Alvici Episcopi Astensis*, *& supradictorum Oberti*, *& Olderici quondam Maginfredi marchionis*, *& Berte commetisse mercedem & pro honore sacerdotii mei non mihi liceat ullo tempore nolle quod voluit set quod a me semel factum vel conscriptum est inviolabiliter conservare promitto cum stipulatione subnixa*. *Hanc enim chartam offersionis paginam Secundi notarii & iudex sacri palatii tradedi & scribere rogavi Actum infra hemunitate monasterio sancti Salvatoris*, *que est constructum foris prope civitate Taurino*. Chartae subscripsit Sigefredus ipse, *Lambertus*, *& Deudadus*, *atque Gislandi viventes lege Romana testes* cum Gisulfo, & Andrea itidem testibus, atque postremo laudatus notarius, ac iudex sacri palatii. Facta vero fuit haec donatio anno XIII. Chonradi Imperatoris, sed annum regni eius intellige, VIII. kalendas martias, indictione quinta *in monasterio sancte & beate genitricis virginis Marie sito Pomposia hubi nunc domnus Wido Abbas preordinatus esse videtur*. In ea Sigefredus *ex nacione mea lege vivere Langobardorum* profitetur, quum contra *viventes lege Ronana* tres adduxerimus subscribentes testes. Ostendit id profecto, e Langobardorum gente exortum Sigefredum

 fuis-

fuiffe, teftes vero Romana, quod clarius in Gifone filio Ildebrandi exprimitur in venditione quadam anni MXXXVII. IX. kalendas februarias facta in Pompofiano monafterio, in qua ait ipfe: *profeffus fum ex nacione mea lege vivere Romana*.

XVIII. Nemo unus inter eruditos ignorat Italiam Gothos fub Thoderico invadentes Romanis fefe legibus accommodaffe, qnibus omnis tunc regebatur Italia. Verum ab Iuftiniano Augufto iis fublatis, & ab ipfius morte Franci, Langobardique Gothorum occupantes loca, proprias obfervare leges maluerunt, atque inftituta, five ex odio in leges Romanas, five ex confuetudine, qua ferebantur in proprias. Hinc faepius in antiquis monumentis eorum profeffio legitur, qui *lege Langobardorum*, viverent, vel *lege Romana*, five *lege Italica*, *Ripuaria*, aut *Ribuaria*, *Francica*, *Alamannica*, *Bavarica*, *vel Baiuvaria*. Septem enim huiufmodi leges praecipue erant praeter uberrima Caroli magni, ac fubfequentium Imperatorum, & Regum capitularia, ad quas ius omne in Italia iis temporibus diceretur, id etiam principibus viris permittentibus, qui iuftum, atque opportunum publicae tranquillitati cenfuere, propria lege, atque confuetudinibus quomodolibet vivere, ac iudicari. Quinimmo & Ludovicus Pius (*a*) privilegium conceffit iis, qui ecclefiafticam amplexarentur vitam, quacumque fuiffent ex gente progeniti, ut lege viverent Romana: *Omnis ordo ecclefiarum fecundum legem Romanam vivat, & defendantur res ecclefiafticae*. Et re quidem vera Adalricus, five Alricus Aftenfis Epifcopus, illemet, qui in laudata Pompofiana donatione memoratur, ac filius Odelrici Maginfredi Segufii marchionis fuis in tabulis datis pro monafteriorum quorumdam conftructione penes Francifcum Auguftinum de ecclefia Salutii Epifcopum (*b*), ex quo eas exfcripfit Ughellius (*c*), ait: *Honorem facerdotalem habeo, & legem Romanam nunc vivere videor, quamvis ex nacione Salicus fum*, & tamen eodem tempore eius frater Odelricus

(*a*) Lege Langobard. l. v. penes Murator. rer. Ital. fcriptor. tom. I. parte II.

(*b*) Franc. Agoft. chiefa ftoria cronolog. di Piemonte capp. 20. & 22.

(*c*) Ital. facr. tom. IV. col. 1033.

ricus *lege vivere Italica* profitetur. Eo nihilominus privilegio non omnes usi sunt, sed a pluribus illud neglectum fuisse multa eorum temporum monumenta ostendunt. Simili etiam modo apud Ughellium eumdem (*a*) Atto Bergomensis Episcopus anno MLXXII. professus est *ex natione sua lege vivere Langobardorum*. Et Oldericus Episcopus Cremonensis (*b*) adhuc lege Italica vivere videtur non secus atque Sigulfus Placentinus Episcopus anno DCCCCLXXXVIII (*c*). Demum & Farfense monasterium conatu omni contendebat regi *capitulis Langobardorum legis, non vero Romanae* (*d*). Non aliter ergo bene de Pomposia meritus Sigefredus presbyter anno MXXXVI. profitetur vel ipse *ex natione mea lege vivere Langobardorum*. Haec vero professio pernecessaria censebatur in contractibus, aliisque publicis actibus, quo occasio quaelibet, fraudumque, ac doli mali periculum hocce pacto auferretur e medio, ubi notum foret, ad quam legem efformandum esset iudicium, ac forum deberet procedere.

XIX. Hoc anno eodem MXXXVI. quinto nonas iulias legitur nomen Guidonis Abbatis in concessione quadam emphyteutica terrarum in fundis *lorignano*, *punzano*, atque *vicoramerio* facta Martino filio Gorzii ab Alberico Tusco Guidonis ipsius misso *in loco, qui dicitur sablone*. Legitur etiam in charta valde lacera anni sequentis, nimirum *anno pontificatus domni Benedicti Pape sede quinto Conradus Imperatore anno undecimo die sestodecimo mensis madii indictione quinta Ravenne in cupa posita iuxta tribuna basilice sancti Stefani, qui vocatur maioris*. Adstantibus itaque *bonis saviis adque ilustrissimis viris, necnon bite* (*e*) *hoptime & laudabilis fama corum* (*f*) *nomina hec sunt, idest Widone presbiter & monachus, atque Abbas monasterii sancte Marie, que vocatur in Pomposia, Widone presbiter & monachus predicto monasterio, & Baldus nobili viro*, & aliis multis, maxime vero Romano, *qui vocatur Stefanus*, tabel-

(*a*) Ibid. in Episc. Bergomen. numer. 29. 7. 4. pag. 447.
(*b*) Ibid. tom. IV. in Episc. Cremonen. num. 40. pag. 592.
(*c*) Ibidem tom. II. in Episcop. Placent. num. 32. pag. 306.
(*d*) Chronic. Farfen. apud Murator. rer. Italic. script.
(*e*) Hoc est *vitae*.
(*f*) Idest *quorum*.

tabellione, *hapreenderunt Petrus*, *& Raimbertus germani nobili viri filii quondam bone memorie Paulus*, *qui vocabatur de Eclila virgam in manibus illorum*, *& miserunt eam in manu domni Widone umilis presbyter & monachus*, *atque Abbas monasterii sancte Marie*, *que vocatur in Pomposia*: *& in manu supradicto Stefanus filius quondam Teuci tabellio avocatori suo*, cesseruntque iuribus omnibus ad eos pertinentibus quomodolibet in bona plura posita in fundis *cisterna*, *lacuna cava*, *panarivolo*, *poritulo*, & *casoti* in territorio Ravennate *plebe sancti Mercurialis*, *& sancte Marie in aquaducto* sub poena solvenda unciarum trium auri. Legitur denique Guidonis nomen in concessione ad emphyteusin ab eo facta anno eodem MXXXVII. Redulfo, & Atimo, *qui vocatur Martino* filiis Galiverti & Salviae bonorum, quae posita erant in fundis *punzana*, *florignano*, & *roncovenerio*. In hac charta perticae decimpedae mentio est, *quartarii* Ferrariensis, ac ripae Padi.

XX. Verum idibus septembribus anni ipsius Dominicus Abbas Pomposiae in altera simili concessione enuntiatur; quod argumento est, vel absentem e monasterio tum fuisse Guidonem, vel ex more cum Dominico regimen partitum fuisse. Itaque *pontificatus domini Benedicti Porcino anno quinto*, *sitque Imperatore domno . . . Chonrado anno decimo die quintodecimo mense setember indictione quinta in loco*, *qui vocatur Ribere abto Cumiacho Dominicus venerabilis presbiter*, *& monachus*, *atque Abbas regule monasterii sancte semperque virginis Mariam*, *que vocatur in Pompofia* Petro de Stadio, eiusque filiis, atque nepotibus terram cum casali concessit *in fundo*, *qui vocatur tornacervina* a Pado maiori *usque in locum corno*, *qui fuit de Romualdo Cumiacclinsis*. Singulare est illud, Benedicto IX. Romano Pontifici *Porcino* cognomentum fuisse. Decimpedae etiam perticae in iis tabulis mentio est, quibus propria manu ipse subscripsit Dominicus Abbas una cum *Lelio monachus*, *qui vocatur de Iustinus Leoniel monachus Petrus item monachus*, & quinque testes, atque Paullus tabellio, qui eas litteris consignavit, quique eosdem testes appellat *uti-*

les

les per ignorantiam litterarum. Dominicus vero Abbas recepit nomine *Calciarii pulla*, *atque paurones* (*a*), *& polledra unam preter restaurationes*, *& luminationes*, *atque incensa at ubtilitatem* (*b*) *ipsius monasterii nostrum*, iurantque omnes singula observare *per divinam omnia misteria*, *sedemque sanctam apostolicam*, *& vitam sanctorum dominorum nostrorum*. Notarius demum annum Chonradi Imperatoris decimum signavit, sed annus MXXXVII. undecimus erat imperii ipsius, modo revera ad hunc annum membrana haec, uti quidem censemus, pertineat.

XXI. Initio anni ipsius insigne diploma Pomposiano monasterio concesserat Chonradus Imperator, quo nimirum *ob interventum & exaudibiles preces Kadelohi Episcopi*, *nostrique fidelissimi cancellarii*, *atque Geboardi Ravenne nostri dilecti Archiepiscopi Widonem venerabilem Abbatem monasterii sancte Marie constructi in insula*, *que vocatur Pomposia*, *ipsumque monasterium cum eadem insula Pomposie*, *omnemque eius monasterii pertinentiam sub nostri mundiburdii*, ait Augustus, *& imperialis regiminis defensione gratanter recipimus*. Monasterio deinde confirmat omnia generatim bona ipsius: *quibus generaliter confirmatis*, subdit, *futuras insidiancium occasiones*, *timentes*, *specialiter predicto monasterio Pomposie tam ipsam insulam Pomposiam ex integro quam extra eamdem insulam scilicet lacum sanctum*. *In comitatu vero Comaclense*, *& Ferrariense*, *& Gavellense*, *seu Ravennate*, *sive Faventino*, *atque Corniliense*, *& Civiense*, *Pupiliense autem & Cescenate*, *necnon Ariminense*, *Orbino* (*c*) *vero & Castello Felicitatis*, *atque Perusino sive quicquid presentaliter in insula Sulti tenere videtur nominatim vero terram*, *que prenominato monasterio Pomposie ex iudicatu marchionis Ugonis evenit*, *videlicet soleriam*, *& cavallariam*, *ac polixinum*, *atque in comitatu Ferrariense*, *& Gavellense firmissima & preceptali corroboracione confirmamus*. Violatores autem soluturos decernit *auri obtimi mille librarum pondus ... medietatem nostre camere*, *& medietatem predicti coenobii utilitati*. Ad calcem subscribit cancellarius hoc modo; *Radeber-*

(*a*) Hoc est *pavones*. (*b*) Idest *ad utilitatem*. (*c*) Hoc est *Urbino*.

berthus cancellarius vice Herimanni archicancellarii recognovit. Datum XIIII. *kalendas madii anno Dominice incarnationis millesimo* XXXVII. *indictione* V. *anno autem domini Chouradi regni* XIIII. *imperii* XI. *actum Ravenne feliciter amen*. Deest diplomatis huius autographum in Pomposiano archivo, sed antiquum exstat exemplar, ex quo nos illud exscripsimus, saeculo XIII. exaratum a Petro Bono notario, qui fidem eidem diplomati facit hoc pacto: *Et ego Petrus Bonus Dei nutu tabellius de villa Baurie & notarius s. Pomposiane ecclesie itaut vidi in autentico instrumento bene signato nec plus nec minus addens scripsi & complevi*: adiecitque etiam monogrammatis Conradiani typum, ut in autographo erat. De Petro Bono notario, deque notariis Pomposiani monasterii alias nobis erit dicendi locus. Apparet hinc profecto, quam ditissimum eo iam tempore esset monasterium ipsum, quod tot bona possideret in multis, atque longe positis regionibus, quae singula eidem confirmantur a Chonrado Imperatore precibus tum Gebehardi Ravennatis Archiepiscopi, de quo superius diximus, & alia dicemus inferius, tum Kadelohi Episcopi. Turbatae tunc temporis erant res Italicae, multis defectionem molientibus, quibus reparandis malis Chonradus iter Italiam versus arripuerat, & Veronae natale Domini anno praecedenti MXXXVI. celebraverat, peragratisque Lombardiae urbibus, cum Ravennae fuisse XIV. kalendas maias sequentis anni, nostrum Pomposianum diploma declarat, & ipsum comitatum fuisse Kadelohum, sive Cadaloum Episcopum Parmensem, atque Imperatoris cancellarium, qui deinde Pseudopontifex fuit, & Honorius II. dictus, quae res funesti schysmatis materia fuit, ut fortasse alibi adnotabimus. Chonradum optimum Imperatorem, bene de monastico instituto meritum commendat Mabillonius (*a*), utpote cui & Lintburgense monasterium in Germania suam deberet originem, & plura monasteria privilegiorum confirmationem, & Casinense, & Casauriense, atque Vallisumbrosanum tuitionem, ac libertatem. Sed haec persequi nostri non est insti-

(*a*) Annal. Bened. tom. IV. lib. 58. §. 1. ad ann. 1039. pag. 429.

instituti. Obiit longiori vita dignus Conradus anno sequenti MXXXVIII. Traiecti in Germania pridie nonas iunii, quum, praecedenti die summa cum laetitia peracto sacro pentecostes die, mensae reficiendi caussa assidens, *vix prolata confessionis sententia*, ut Glaber Rodulphus memoriae prodidit (*a*), subito defecerit. Herimannus, sive Hermannus archicancellarius Coloniensis Archiepiscopus fuit post sanctum Heribertum, qui anno MXXI. e vita decesserat XVII. kalendas augusti, de quo alibi nos locuti sumus, ubi de Ottoniano diplomate Pomposiano monasterio concesso disseruimus. Ibidem etiam aliqua diximus de Conradiano privilegio, quod primum nobis est ab Ottoniano laudato, quum illud Henrici almi anni MXIV. vere non Pomposiae datum, ut alii opinati sunt, suo nos loco adnotaverimus.

XXII. Superius animadvertimus, confirmatam a Gebehardo Ravennate Archiepiscopo ecclesiam s. Petri de Ustolato Pomposiano monasterio. Sed anno MXL. alter de ea contractus Gebehardum inter, & Guidonem Abbatem initus est. Ipse enim Gebehardus, qui dicitur *servus servorum Dei & divina gratia Archiepiscopus sancte catholice Ravennatis ecclesie oblator & commutator exiguus* iterum eamdem *ecclesiam sancti Petri Apostoli cum omnibus sibi pertinentibus in loquo, qui dicitur Ostolatus* confirmat Pomposiae, & *ipsam curtem nostram integram que vocatur Ostolatus* suis circumscriptam finibus una cum *manso* uno posito *prope Ravennam plebem sancti Stephani qui vocatur in Tegnia*, nimirum *in Teguria*, & cum domibus, quarum altera *iusta murum civitatis Ravenne in regione sancti Vitoris martiris prope portam que vocatur vacini*, altera vero *in regione sancti Michaelis Archangeli qui vocatur asirglisco similiter fundum unum integrum qui dicitur munterioni positum in territorio Pupuliense*, & alia multa, quae ad Ravennatem ecclesiam olim pertinebant. Recepit vero a Guidone Abbate Gebehardus *per concabium idest medietatem portus qui vocatur de Volana in perpetuum & centum quinquaginta libras denariorum papientium pro predicta curte Ustulatus quam meus antecessor Etribertus*,

(*a*) Lib. v. cap. 4.

bertus, ait Gebehardus, *per hipothecam dedit quibusdam hominibus a quibus predictam pecuniam accepit quibus ego illam nunc reddere debeo idest Guidoni comiti & Ioanni de Alberto clerico eius Ferrariensibus*.

XXIII. In monialium sancti Thomae Regiensis urbis archivo diploma Wolmari Episcopi ipsis monialibus datum anno MLXIII. repererat Muratorius (a), in quo mentio est *decem librarum denariorum papiensium*. Et chartam similem vidimus nos, atque retulimus in Borgiano codice, quem commemoravimus alibi. Denariorum istiusmodi uniuscuiusque librae verum propriumque sensum determinare dubitavit Muratorius idem, quum iis temporibus in Italia eorum non unum pretium fuisset propter argyropiorum copiam, quorum primum, atque imperiale certe Ticinense erat, sive Papiense. Nihilotamen secius commune, atque frequentius librae cuiuslibet argenteae pretium decem solidorum erat, & solidi cuiusque ratio denariorum viginti quatuor, sive (quod in idem recidit) solidorum viginti, denariorum vero duodecim pro unoquoque solido. Tantumdem fortasse datae a Guidone Abbate Gebehardo centum quinquaginta librae valebant.

XXIV. Eam donationem factam profitetur Gebehardus *pro remedio anime mee meorumque successorum & per te in tuo venerabili monasterio in perpetuum sancte Marie que vocatur in Pomposia Guido karissime pater*, ea lege ut monachorum quilibet, usque dum Gebehardus viveret, solemniter *missam* singulis hebdomadis cantaret, & post horam quamlibet fortasse canonicam psalmum recitaret quadragesimum: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*; sui vero obitus die, & deinde in perpetuum anniversario ipsius sacerdotes omnes in monasterio *missas* tres celebrarent, qui autem non essent sacerdotio insigniti psalterium ter recitarent: *Quantinus*, ait, *omibus diebus vite mee universi fratres qui sunt vel qui in postea fuerint per singulas ebdomadas missam unam solempniter pro peccatis meis cantent & expleta similiter unaquaque ora salmum unum*

(a) Antiq. med. aevi tom. II. col. 779.

unum idest Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. *In die vero depositionis mee quot ibi presbiteri fuerint omni anno unusquisque pro delictis meis tres missas concinant, & salteria singula qui presbiteralem officium non habent similiter dicant.* Verbis non longe a Gebehardiano diversis expresserat suum diploma Iohannes Ravennas itidem Archiepiscopus anno DCCCLVIII. circiter; quum enim monasterium construxisset sanctae Mariae in Palatiolo missas tres celebrandas praecepit a monachis singulis in eius obitu, & preces alias, inter quas post matutinas horas, atque post horam tertiam psalmum quinquagesimum *Miserere*. Hoc diploma legere est penes Margarinium (*a*), recentiusque iterum penes rerum Camaldulensium scriptores (*b*), subscriptosque comperies *suffraganeos* Episcopos Ravennatis ecclesiae, & una cum iis ecclesiae ipsius clerum.

XXV. Praecipit Gebehardus deinde, ut Ravennati ecclesiae, sive procuratoribus eius bisantium unum solvat Pomposianum monasterium, quemadmodum iussum ab eo diximus etiam anno MXXXI. *Et insuper precipimus ut pro predicta plebe una cum curte integra & pro medietate piscarie Volane necnon pro omnibus rebus illis pensione omni annualiter in festivitati sancti Apolenaris solvere debeatis nobis nostrisque successoribus vel sancte nostre Ravennatis ecclesie actoribus bizantium unum.* Erat autem bisantius nummus, sive solidus Constantinopolitanus aureus, quem Constantinopolitani Augusti cudebant, cuius etiam pretium parum ab aureo Veneto nummo distabat. Antiquis in monumentis maxime Neapolitani regni, regionumque conterminarum, quae ab Imperatoribus iisdem summo dominatu tenebantur, bisantius passim occurrit, eiusque mentio frequens est in antiquo monasterii Vulturnensis chronico penes Muratorium (*c*). Nummus ipse *Constantinianus* etiam dicebatur, & aliquando etiam *Constantinatus*: ita enim appellatur in membrana anni MLIII. quam e celeberrimo,

(*a*) Bullar. Casinen. tom. II. pag. 37.

(*b*) Annal. Camald. tom. I. in append. col. 16.

(*c*) Rer. Italic. scriptor.

mo, & perquam vetusto Cavensis monasterii tabulario idem Muratorius vulgavit (*b*), qui tamen suspicatus est, notarii, sive amanuensis incuria id factum, ut *Constantinatum* scripserit pro *Constantiniano*. Nihilominus vox isthaec *Constantinatus* simili revera modo conscripta legitur multis in antiquis membranis monialium s. Silvestri Ferrariensis urbis, penes quas nobile exstat archivum, atque copiosum, cuius & nos exquisitum vidimus, perfecimusque catalogum diligenti cura, ac studio Mauri Squarzonii digestum in praesentia Abbatis monasterii s. Benedicti Ferrariae. Iam vero bisantiorum usus ad saeculum usque XIV. perduravit, adeout frequentissimus etiam esset is in Italia nummus, scirentque singuli in Tuscia certe, quid tandem illud esset, *bonos habere bisantios*. Nummum hunc reapse aureum fuisse ipse Muratorius ostendit ex vetusta monasterii sanctarum Florae & Lucillae Aretii membrana, quam protulit (*c*). At deinceps *albos* quoque bisantios exstitisse, certum est, proindeque argenteos, quod Du Cangius animadvertit (*d*), qui Romano responderent *scutato*, quum duas aurei nummi partes aequarent, qui *iulios* quindecim olim non superabat.

XXVI. Suum denique diploma concludit Gebehardus eamet ad virginem Mariam precatione, quam ei porrexerat anno MXXXI. Deest profecto in Pomposiano tabulario Gebehardianae donationis huius autographum, sed antiquum exstat eius exemplar saeculi XIII. fine descriptum, quod chronologicis tamen notis omnibus carens ad saeculum XI. certe quidem pertinet, & satis vero similiter ante annum MXXXX. Ad calcem exemplaris dumtaxat legitur Ravennatis Archiepiscopi in hunc modum subscriptio: *Ego Gebeardus Dei gratia Archiepiscopus hoc preceptum fieri mandavi & subscripsi*.

XXVII. Verum non satis Gebehardo fuit, hunc cum Guidone Abbate contractum inire, sed ad sui amoris certius in Pomposiam argumentum, alteram statim donationem solemnem, atque amplissimam fecit, qua omnis e medio auferre-

(*a*) Antiq. med. aevi to. II. col. 790.
(*b*) Ibid. col. 791.
(*c*) Glossar. med. & infim. latinit. ad voc. *bisantium*.

ferretur ambiguitas, quae in praecedentibus fortaffe eius diplomatibus occurreret: *modis omnibus previdi conftituere*, ait Gebehardus ipfe, *atque confirmare anteriora precepta & infuper que in illis releguntur*. Qua de re in fynodo Ravennate anno eodem MXXXX. habita pride kalendas maias, cui adfuere *fuffraganei* Ravennatis ecclefiae Epifcopi una cum Ravennate clero confirmavit iterum Pompofiano monafterio ecclefiam s. Petri de Uftolato cum *curte fua*, & altera *curte monterionis*. Haec funt verba diplomatis: *Gebehardus fervus fervorum Dei divina gratia Archiepifcopus fancte catholice Ravennatis ecclefie oblator exiguus Igitur ego Gebehardus humilis atque peccator fancte catholice Ravennatis ecclefie Archiepifcopus una cum ordinariis clericis fancte noftre Ravennatis ecclefie necnon cum confenfu Epifcoporum confratrum meorum in tuo venerabili cenobio beatiffime theotocos virginis Marie in quo Guido presbiter atque Abbas preeffe videtur*: confirmat nimirum praedictam *ecclefiam fancti Petri Apoftoli cum curte fua integra que vocatur Uftulatus & cum omnibus fuis pertinentiis*, tum etiam *curtem integram que vocatur monterionis cum fundis & apendicibus fuis. Necnon monafteria quorum hec funt nomina videlicet fancti Stephani qui vocatur maioris & fancti Barbatiani & fancti Zacharie atque fancti Stephani qui vocatur iunioris. Et monafterium fancte Marie quod vocatur fcenodochium cum omnibus rebus & pertinentiis fuis*: praeterea *omnes cartas enfiteofeos que a noftris clericis eidem monafterio facte funt*: Denique *manfum unum integrum qui vocatur cafale conftitutum territorio Arriminenfe plebe fancti Savini & omnes res & pertinentias quantafcumque habetis vel detinetis per quemcumque modum vel titulum fcilicet mantiones terras vineas filvas paludes vel pifcarias a noftra ecclefia vel a monafteriis eidem noftre ecclefie fubiectis*. Haec autem omnia donat Gebehardus *pro remedio anime mee meorumque fucceffforum quatenus qui ibi funt vel qui per tempora ibidem ordinati fuerint orationes que in tuo anteriore precepto quod a nobis in tuo prefato monafterio conceffum eft releguntur adimplere & facere debeatis*. Ravennati ecclefiae perfolvendam praefcribit a Pompofiano monafterio penfionem, hoc eft *in feftivitate fancti Apolenaris*

viginti

viginti solidos de veneticorum denariis. Minas repetit, atque exsecrationes in violatores, ac postremo preces ad virginem Mariam sibi aliis in diplomatibus consuetas fundit. Hoc diploma datum fuit *anno Deo propicio pontificatus domini Benedicti summi Pontificis & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede octavo die trigesimo mensis aprilis per indictionem octavam Ferrarie*. Sed anno MXXXX. pridie kalendas maias annus dumtaxat septimus Benedicti IX. Romani Pontificis numerandus esset, qui ferme decennis electus fuerat XV. kalendas decembris anni MXXXIII. Qua tamen in re observandum est, in Pomposiano archivo quamdam exstare plurium terrarum venditionem in loco, qui vocatur *Panigale*, directi iuris monasteriorum s. Iohannis & s. Zachariae Ravennae urbis factam a Gherardo de Panigale cuidam Dominico, eiusque uxori idibus maiis anno I. Benedicti IX., Conradi Imperatoris tertio, atque indictione prima, videlicet anno MXXXIII. eodem, quo proinde die laudato iam primus incoeperat Benedicti Pontificis annus recenseri. Quapropter nisi ad annum sequentem haec amandetur membrana, anteponendum erit Benedicti pontificatus initium.

XXVIII. Iam vero Muratorius diploma anni MCXIV. edidit (*a*), quod ipsemet exscripserat, quo Otto Ravennas Archiepiscopus Landulpho Episcopo Ferrariensi *massam firminianam* vendidit, & *plebem s. Stephani* mille denariorum veneticorum pretio. Alterum etiam ediderat (*b*), quo Riculphus Abbas monasterii s. Vitalis Ravennae urbis ad emphyteusin dedit anno MLIV. Guiberto Episcopo Mutinensi locum quemdam Ravennae suburbanum sub denariorum duorum veneticorum pensione. Gebehardiana etiam Pomposiae facta donatio iis Muratorianis chartis antiquior denariorum huiusmodi veneticorum solidos viginti commemorat. Verum ante ipsum saeculum X. Venetiarum ducibus ius fuisse nummos cudendi, exploratum est, & omnibus notissimum, remque Muratorius idem ostendit (*c*). Etenim revera Ratherius Veronensis Episcopus,

(*a*) Antiq. med. aevi tom. II. pag. 782.

(*b*) Ibid. pag. 646.

(*c*) Ibid. pag. 644. & seqq.

ſcopus, qui aetate floruit Berengarii II. Italiae Regis, Petro Candiano Venetiarum duci hoc ius confirmavit anno DCCCCL. Colligitur id ex diſticho ſub eius imagine poſito:

Multa Berengarius mihi privilegia fecit.
Is quoque monetam cudere poſſe dedit.

Monetas quidem cudiſſe Venetos temporibus ipſis Gothorum contenderunt nonnulli, etſi tantummodo metalli vilioris, freti illis Caſſiodori verbis de Venetorum inſulis loquentis (*a*): *Moneta illic quodammodo percutitur victualis*. Verum aliter profecto intelligendum Caſſiodorum nos exiſtimamus. Etenim florenti ſuo ex more uſus ſtilo auctor doctiſſimus eo loci, commendanſque ſalinas Venetorum, de quibus haec praefatus fuerat: *Inde vobis fructus omnis enaſcitur, quando in ipſis & quae non facitis, poſſidetis*, ſubdit ex templo: *moneta illic quodammodo percutitur victualis*; quaſi nimirum diceret Caſſiodorus, argyrocopia totidem penes vos ſalinas eſſe, quibus vitae vobis omnia abunde ſuppeditantur neceſſaria, adeo ut ſal vobiſmet monetae loco omnino queat haberi.

XXIX. Diplomati ſuo ſubſcribit Gebehardus ipſe, & eo cum Hugo Parmenſis Epiſcopus, Ivo Placentinus, Sigefredus Regienſis, Adalfredus Bononienſis, Ubertus Saxenas. Iohannes Ficoclenſis Epiſcopi, atque Rolandus gratia Dei ſanctae Ferrarienſis eccleſiae Epiſcopus. Epiſcopos vero excipiunt Deuſdedit Ravennatis eccleſiae diaconus, Lambertus Abbas ſcilicet s. Apollinaris in Claſſe, Bonizo Abbas s. Severi, Giſelbertus archipresbyter eccleſiae Ravennatis, Adam preſbyter Ravennas, Ravennus Cardinalis presbyter itidem Ravennas, Vitalis ſubdiaconus & cantor eccleſiae ipſius, DD. videlicet Deuſdedit (ut quidem nos accipimus) Abbas s. Iohannis evangeliſtae, & tandem Bonizo s. Mariae in Coſmedin Abbas.

XXX. E tabulario noſtro Pompoſiano chartam hanc Gebehardianam edidere doctiſſimi Mittarellius, & Coſtadonius (*b*): variantes tamen lectiones non paucas in autographo

(*a*) Lib. XII. epiſt.24. (*b*) Annal. Camald. tom. II. in append. col.77.

pho nos comperimus, quas restitutas ad exempli formam habes in nostro diplomatico codice.

XXXI. Sancti Zachariae, s. Stephani maioris, atque iunioris monasteria superius commemoravimus confirmata Pomposiae a Gebchardo. Sed praeter haec postremo suo diplomate alia monasteria dono dedit, nimirum sanctorum Iohannis & Barbatiani, atque s. Mariae imperialis in xenodochio Ravennae posita.

XXXII. Omnium tabularii Pomposiani antiquissima membrana est ea, quae ad sanctorum Iohannis & Barbatiani monasterium pertinet, qua concessio in emphyteusim continetur ab Honesto subdiacono Ravennatis ecclesiae, & Abbate monasterii ipsius facta anno DCCCCXXXII. Hugoni, & Bertae *clarissimae feminae* iugalibus, eorumque filiis, atque nepotibus, quibus videlicet ille concessit bona quaedam *in fundo qui vocatur monesteriolo infra plebem sancte Marie in Tiveriaci territorio Corneliensi*. Tiveriacum, sive Tiberiacum in praesentia nobile oppidum est, cui nomen *Bagnacallo*. Chartam exscripsit *Petrus tabellio civitatis Ravenne* coram tribus testibus *anno pontificatus domni Iohannis secundo regnante Ugone die octavo decimo mensis aprilis indictione sexta*. Pontifex electus fuerat Iohannes XI. circa idus martias anni DCCCCXXXI., sed anno consequenti non sextam, bene vero quintam indictionem signare debuisset notarius. Membranae huius ex tabulario eodem meminere rerum Camaldulensium scriptores (*a*), a quibus tamen pro octavo decimo die aprilis decimus octavus octobris lectus est, tum etiam *monasterio* pro *monesteriolo*, & pro *Onesto Onexius*. Iam vero Honestus ipse *filius quondam Iohannis Dativus & pater eius & Abbas monasterii sanctorum Iohannis & Barbaciani* concessit ad emphyteusim *Isenardo qui vocatur Bonezo filius quondam Iohannis seu filiis & nepotibus* bona posita *in fundo qui vocatur monte fraprietorum castri qui vocatur Tiberiacis*, quae iuris erant monasterii praedicti sancti Iohannis & Barbatiani, iuratque Isenardus pactiones

(*a*) Annal. Camald. tom. II. pag. 76.

nes initas ſervare, dato iuramento *per divinorum vitam ſanctorum dominorum noſtrorum*. Eae vero initae ſunt *anno pontificatus domini noſtri Agapiti quinto ſitque regnante Berengarius Res* (*a*) *anno ſecundo die quintodecimo menſe octuber indictione undecima in territorio Cornelienſi plebe ſancte Marie caſtro qui vocatur Tiberiacis in loco qui vocatur puozo*. Ad pontificatum aſſumptus fuerat Agapitus II. poſt idus iunias anni DCCCCXLVI. Berengarius vero una cum Adalberto filio Rex nonniſi poſt diem XVIII. kalendas ianuarias anni DCCCCLI. mortuo Lothario Rege. Haec igitur membrana ad annum ſpectat DCCCCLIII. quo menſe octobris annus alter erat Berengarii Regis, indictio XI. prorogata, ſed Agapiti Pontificis annus octavus. Eam autem litteris exaravit *Dominicus tabellio de civitate Ravenne*, ipſeque ſubſcripſit, & Iſenardus, atque teſtes, Giſulphus filius Ragimbaldi conſulis, Adelbertus conſul, & Iohannes itidem conſul. Praeterea idem *Honeſtus reverentiſſimus ſubdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie & Abbas monaſterii s. Iohannis qui & Barbaciani vocatur una per conſenſum cunctis deſervientibus eiuſdem monaſterii* emphyteutico iure conceſſit Benedicto, *qui vocatur Baroaldo*, eiuſque filiis, atque nepotibus domum quamdam cum omnibus ad eam pertinentibus ſitam *in civitate Ravenne in regionem baſilice ſancti Vitalis martiris*, uti conſtat ex publicis litteris ſcriptis a laudato Dominico Ravennate tabellione anno Iohannis Papae primo, *ſitque regnante vero domnus Berengarius & Adelbertus eius filius gratia Dei Reges anno regni eorum ſeptimo die quintodecimo menſe iunius indictione quintadecima Ravenne*, hoc eſt, ut optime indicant chronologicae huiuſmodi notae, anno DCCCCLVII. qui primus fuit pontificatus Iohannis XII. Chartae ſubſcripſit ipſe *Benedictus qui vocatur Beroaldo*, & Petrus magiſter militum, Andreas itidem magiſter militum, Dominicus filius *quondam Bonio Calciarii* teſtes, & una Dominicus idem tabellio. Eamdem laudarunt etiam docti idem Camaldulenſes hiſtorici (*b*).

XXXIII. Honeſto autem ſive ſtatim, ſive deinceps Paullus filius Paulli ducis de Traverſaria fuit ſuffectus, quod antiquae oſten-

(*a*) Hoc eſt *Rex*. (*b*) Annal. Camald. tom. II. pag. 77.

oſtendunt membranae duae Pampoſiani tabularii, quarum altera ad annum DCCCCLXXXIII., altera vero ad annum DCCCCLXXXVIII. pertinet. Prima itaque ſcripta eſt anno Benedicti VII. Romani Pontificis undecimo, ſed corrigendum nono, Ottonis II. Auguſti ſextodecimo, indictione undecima *die ſeptimo menſe madio Ravenne* emphyteuſim exhibet factam *a Paulo gratia Dei ſupdiacono ſancte Ravennatis eccleſie & Abbate monaſterii ſancti Iohannis qui & Barbaciani vocatur filio Paulus dux qui vocatur de Traverſaria* Mercurio filio Romualdi, eiuſque uxori Columbae, & filiis eorum de bonis quibuſdam conſtitutis *territorio Faventino plebe ſancte Marie que vocatur in curilina*, ſcripſitque chartam Petrus tabellio Ravennas. Eam laudati ſcriptores Camaldulenſes laudarunt (*a*). Eidem Mercurio Romualdi filio datam emphyteuſim alteram reperit Amadeſius in Ravennatis eccleſiae tabulario contentam membrana, quae ad annum ipſum DCCCCLXXXIII. amandanda eſt. Alia vero Pompoſiani archivi ſcripta fuit anno Iohannis Papae tertio *Imperatore nondum abemus Otto ſecundo Imperatore defuncto nullo in Italia Imperatore die vigeſimo menſe madio indictione prima Ravenne*. Sed anno DCCCCLXXXVIII., ad quem pertinet membrana, menſe maio annus enumerabatur Iohannis XV. quartus. Hoc igitur anno *domnus Paulus qui vocatur ſubdiaconus per domini miſericordiam ſancte Ravennais eccleſie & Abbas monaſterii ſancti Iohannis qui & Barbaciani vocatur* conceſſit in emphyteuſim *Bruchardo qui vocatur Buca & Petro germano ſuo filii quondam ſancte memorie Petrus qui vocabatur de Gregorio qui vocatis eſtis ipſius civitatis Ferrarie unum fundum principalis in integrum qui vocatur tricenta ſito territorio Ferrarienſe ſubto ficariole plebem ſancte Marie qui vocatur in trenta*, hoc eſt, ut opinamur, *in tricenta*, cum ſuis finibus *de iure ipſius monaſterii ſancti Iohannis qui vocatur Barbaciani*, praeſtito iuramento a Bruchardo, & Petro fratribus *per divina omnia miſteria ſedemque ſanctam apoſtolicam & vitam ſanctorum dominorum noſtrorum*; de qua iuramenti formula alias nos dixiſſe meminimus. Tabulas exſcripſit *Iohannes tabellio huius civitatis Fer-*

(*a*) Annal Camald. tom. II. pag. 77.

Ferrarie, easque subscripsere Iohannes Dativus, Tribunus filius Dedit, nempe Deusdedit, consulis, Gerardus filius Dominici *negociatoris*, & alii.

XXXIV. Praeterea in charta Pomposiana anni MCXX. VIII. kalendas iunias eadem sancti Barbaciani ecclesia memoratur, & anno MCLXXXVIII. III. kalendas maias ex sententia per compromissum facta ab Alexandro Liviensi Episcopo in caussa, quae Gherardum inter Ravennae Archiepiscopum agebatur, & Gualfredum Pomposianum Abbatem, in integrum restituto Gebehardi diplomate ab ipso Gherardo, monasterio Pomposiae confirmantur nominatim ecclesia, atque monasterium s. Barbatiani. Anno vero MCLXXXXVI. XIII. kalendas iulias, ac tandem anno MCCXXXI. XIII. kalendas novembris *regio sancti Barbatiani* Ravennae memoratur.

XXXV. Sed & alterum, quod ex Gebehardiana donatione Pomposiano monasterio accepit, monasterium est s. Mariae in xenodochio Ravennae, de quo monumenta haud pauca chartarum in Pomposiano tabulario servantur, quarum vetustissima est anni DCCCCXXXIX. anno nimirum Stephani VIII. Romani Pontificis primo, *& domno Ugone Regis anno quartodecimo & domno Lotharius item Regis eius filius anno decimo die quarto mensis octuber indictione terciadecima Ravenne*. In ea *domnus Paulus per Domini misericordiam vinirabilis Episcopus sancte Liviensis ecclesie, & Abba monasterii sancte Dei genitricis virginis Marie qui est fundata in superiore domi que vocatur imperialis & xenodochio una cum consensum cuntis deservientibus eiusdem monasterii* concessit *Cesario qui vocatur de Curulo*, eiusque filiis, atque nepotibus *livellario nomine* bona nonnulla *iuris supradicti monasterii nostri, & xenodochii imperialis*, quae fuerant *de Leo qui vocabatur Pitulo de Ferraria & que nos modo ad manibus nostris in domnicata tenere videmus qui est posita in fundo salepta qui vocatur castelana ab uno latere curulo percorentem & ab alio latere Saletta qui vocatur Gundoni tertio latere media fossa que vocatur gradicaria percorentem atque a quarto latere massa que vocatur ruvina territorio Ferrariense plebe sancti Georgii qui vocatur in tamara*. Datae fuere hae publicae

litterae a Petro tabellione & *curiali* urbis Ravennae, quibus subscribit unus *Paulus Dei omnipotentis misericordia humilis Episcopus sancte Liviensis ecclesie & Abbas monasterii sancte Marie xenodochi imperialis in hoc libello subscripsi*. Inter Livienses Episcopos Paullum omisit Ughellius, qui ea propter supplendus est, quod observarunt etiam docti annalium Camaldulensium scriptores (*a*), Pomposianum hocce monumentum commemorantes, adeo tamen ut Caesarium emphyteutam falso *Petrianum* dixerint, & *castelana* in *curtelana* mutaverint. Membranam hanc recenset etiam ex historicis iisdem Zirardinius (*b*) de xenodochiis Ravennae pertractans.

XXXVI. Verum anno DCCCCLXXII. Abbas occurrit monasterii sanctae Mariae in xenodochio *Sergius per Domini misericordiam presbiter sancte Ravennatis ecclesie & Abbas monasterii sancte Marie qui vocatur a senodochio qui est fundata iusta porta que vocatur sancti Laurencii*. Ipse autem *una per consensum & auctoritatem domnus Honestus sanctissimo & coangelico Archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie* Urso publico iudici civitatis Ferrariensis, & filiis eius, atque nepotibus emphyteutico iure dedit bona monasterii s. Mariae in xenodochio, *idest fundum in integrum qui vocatur corneto cum omnibus a se pertinentibus exscripto at ecclesiam cui vocabulum est sancti Petri qui est fundata in ipso fundo corneto qui antea ordinatam abetis in Bernardo diacono sancte Ferrariensis ecclesie filio meo territorio Ferrariensis plebe sancti Stephani qui vocatur in villa Marciana in salto ab uno latere medio gurgo de vitello, qui est iuxta latere fundo launiano & ab alio latere ruvereto qui vocatur pilara tercio latere fundo griniano, quarto latere fossa in integrum que est iuxta fundum qui vocatur tamara*. Ursus observare singula in contractu contenta promittit, & iurat *per Deum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum*, mutuo etiam inter se poena sancita auri obrizi unciarum duarum. Chartam litteris consignavit Dominicus Ravennas tabellio, adhibitis tribus testibus, qui subscripsere, Petro nimirum, *qui vocatur Teucio negociatore*, Iohanne

(*a*) Annal. Camald. to. II. pag. 22. (*b*) Antichi edifizi di Ravenna p. 212.

hanne filio Vitalis *negociatore*, & Leone filio Petri *negociatore*. Data eſt autem anno *domni Iohannis Pape ſeptimo ſitque imperante domno Ottoni Imperatore anno regni pietatis eius in Italia vero anno undecimo & domnus Otone Imperatore eius filio anno quinto die undecimo menſe ſeptember indictione quintadecima Ravenne*, videlicet anno DCCCCLXXII. ut perbene notae innuunt chronologicae: ſed tamen fortaſſe III. idus ſeptembris, quo charta ſcripta dicitur, nondum ad notarii notitiam Iohannis XIII. Pontificis mors pervenerat, quae revera ante quinque dumtaxat dies contigerat, ſcilicet VIII. idus menſis eiuſdem. Tum Camaldulenſes hiſtorici (*a*), tum poſt eos Zirardinius (*b*) huius membranae meminere.

XXXVII. Sergio ſuffectum in ipſa abbatia habemus Gerardum notarium Ravennatis eccleſiae anno DCCCCLXXVI. Anno enim Benedicti VII. Romani Pontificis *quinto* (ut in membrana legitur pro *ſecundo*,) Imperatoris Ottonis II. decimo *die quintodecimo menſe nevember indictione quinta Ravenne domnus Gerardus clericus & notarius ſancte Ravennatis eccleſie & Abbas venerabilis monaſterii ſancte Marie que vocatur e xenodochio* (*c*) *una per conſenſum domni Gerardus ex genere ducis genitoris* ſui conceſſit in emphyteuſin Iohanni, & Barutto *qui vocatur Agiprando*, aliiſque *fundum hunum qui vocatur granario* (*d*) ... *territorio Adrienſi plebe ſancti Stephani in villa Marciana ab uno latere qui decurrit in laconas uſque ad foſſa que vocatur buſo vetere & hab alio latere foſſa corrente inter cenoſa & pradale & ha tercio latere cornito atque a quarto latere taxeni*. Sergius tabellio chartam exaravit, ſubſcripſerunt.

(*a*) Loc. cit.

(*b*) Loc. cit.

(*c*) An *exenodochio* legendum ſit, controvertunt eruditi. Ita profecto Zirardinius (loco laudato pag.215.), minime vero *& xenodochii*, quemadmodum viſum eſt Camaldulenſibus (loco laudato:) ſaepius enim ita in membranis antiquis ſcriptum reperiri, ipſe Zirardinius teſtis eſt, profertque chartam anni DCCLXXXVII. apud Muratorium (antiquit. med. aevi to. III. pag.588.); & in legibus Pipini c.12. apud Muratorium eumdem (rer. Ital. ſcript. tom. I. par.2. pag.120.), ubi vulgo *xenodochiis* legitur, codex Mutinenſis eccleſiae *exenodochiis* exhibet. Nihilominus potius dividendae voces videntur, legendumque cenſemus *e xenodochio*.

(*d*) Hoc eſt *gragnano*.

runtque emphyteutae ſinguli. Anno etiam tertio Iohannis XV. Pontificis, indictione prima, nempe anno DCCCCLXXXVII. ſive conſequenti *Gerardus clericus notarius ſancte Ravennatis ecclesie & Abbas monaſterii ſancte Marie que vocatur a ſenodochio qui eſt ſitus in civitate Ravenne prope non longe porta que vocatur ſancti Laurencii* in emphyteuſis titulum dedit Bernardo diacono Ferrarienſis eccleſiae filio quondam Urſi iudicis Ferrarienſis, cuius ſupra meminimus, eiuſque fratribus, ac genero ipſius Everardo conſuli *capellam cui vocabulum eſt ſancti Petri ... & fundum unum principale in integrum qui vocatur cornito territorio Ferrarienſe plebe ſancti Stephani qui vocatur in villa Marciana in ſalta* cum iiſdem finibus, quos ex charta anni DCCCCLXXII. ſuperius recenſuimus. *Petrus Dei nutu ex genere conſulum* tabellio Ravennas tabulas ſcripſit, quibus ſubſcripſere Bernardus ipſe diaconus, & Everardus conſul cum fratribus ſuis, itemque *Petrus filius quondam Pauli qui vocabatur de Traverſaria*, Conſtantinus Ravennas tabellio, atque Gregorius filius Dominici *qui vocatur Baldo*. Conceſſiones aliae huiuſmodi emphyteuticae exſtant in Pompoſiano archivo, ex quo eas exſcripſimus in noſtro diplomatico codice, factae ab eodem Gerardo, anno videlicet MIV. vel potius MV. in fundo *gragnano*, in qua ipſe dicitur *Gairardus venerabilis Abbas* monaſterii ſanctae Mariae in xenodochio filius Gairardi ducis Faraldi, *qui manere viſi eſtis in civitatis Ravenna*; in altera vero membrana anni eiuſdem MV. vel ſequentis *domnus Gerardus clericus & notarius ſancte Ravennatis hecclesie & Abbas monaſterii ſancte Marie qui vocatur a ſenodochio*; in alia anni MVI. ſive conſequentis *domnus Giraldus clericus & notarius*; in alia anni MVII. vel MVIII. *domnus Gariardus clericus & Abbas*; in alia autem anni MVIII. *domnus Gerardus venerabilis clericus & Abbas filius Gerardi ducis quondam Farialdi filii abitantis in civitate Ravenne*. Reliquae emphyteuticae conceſſiones ſpectant ad annos MXIII. MXIV. MXV. MXVIII. MXIX. & MXX. eaſque etiam comperies in noſtro diplomatico codice, in quibus ſcilicet perpetuum eſt nomen Gerardi Abbatis monaſterii ipſius. Earum nonnullas laudarunt Camaldu-

lenſes

lenſes hiſtorici (*a*), qui tamen anno MI. neſcio quam membranam innuunt, quae nomen praeſeferat *Gaiardi* Abbatis, non ſecus atque alteram anni MIV. quae nihilominus poſtrema nomen exhibet *Gairardi*, qui non alter eſt a *Gerardo*, qui in aliis habetur chartis, quem etiam ipſummet cenſeas cum *Ariatdo* clerico, atque Abbate, quem in tabularii Pomposiani membranis ad annum DCCCCLXXXXVIII. docti perlegerant homines. Demum & nomen *Federici* notarii eccleſiae Ravennatis, & Abbatis s. Mariae in xenodochio invexere in chartam anni MVI., in qua tamen perſpicue *Giraldi* nomen apparet, & legitur; adeout Gerardus Abbas monaſterii illius ab anno DCCCCLXXVI. ad MXX. in Pomposianis monumentis perpetuum occurrat. Et Zirardinius (*b*) chartam recenſet ſaeculi XI. ex archiepiſcopali Ravennae chartophylacio (*c*), in qua legitur: *Gerardus clericus & notarius ſancte Ravennatis eccleſie & Abbas monaſterii ſancte Marie que vocatur in xenodochio*. Hinc explodendi ſunt reliqui, quos Camaldulenſes induxere, Gaiardus, Federicus, atque Ariardus. Exſtat in eodem Pomposiano tabulario ſententia ex compromiſſo lata ab Alexandro Livienſi Epiſcopo, de qua ſuperius diximus, anno videlicet MCLXXXVIII. III. kalendas maias una cum noviſſimo Gebehardi Ravennatis Archiepiſcopi diplomate pro Pomposiano monaſterio, cui ſingula confirmantur, quae in Gebehardi donatione continentur, inter quae monaſterium ipſum ſanctae Mariae in xenodochio, quod etiam monaſterio ſancti Severi Ravennae collatum diploma exhibet Conradi Regis anno MXXIX. (*d*).

XXXVIII. Haec quidem occaſione celeberrimae Gebehardianae donationis factae monaſterio Pompoſiae anno MXL. Iam vero reliquum hic eſt, ut pauca de Gebehardo ipſo tam bene de Pompoſia eadem merito aliquantiſper agamus. Duas ad eum epiſtolas dedit Petrus Damianus (*e*). In patriam Damianum revocaverat Archiepiſcopus: *praecepiſti mihi*, *dilectiſſime*

(*a*) Annal. Camald. tom. II. p.22.
(*b*) Loco laud. pag.214.
(*c*) Cap. S. F. n.1996.
(*d*) Annal. Camald. tom. II. pag. 22. & in append. col.19.
(*e*) Lib. III. epiſt.2. & 3.

ctissime pater, *& domine*, *& praecipiendo mandasti*, *ut ad te venirem*, ait ipse, qui Ravennae notissimus erat, ubi & natale solum sortitus fuerat, sed recens maxime notissimus Gebehardo in Pomposiano monasterio, in quo sapientiae, ac sanctitatae biennio ante eluxerat. Verum sese excusat Damianus, eo quia adhuc monachorum suae commissorum curae, atque sollicitudini districtus necessitatibus non paruerit. Fuit quippe Damianus post suum e Pomposiano monasterio discessum *prior* monasterii fontis Avellanae. Quapropter circa annum MXLI. fuit haec scripta epistola. Subdit igitur Damianus ipse: *Sed ego pauperculum locum ad regendum suscipiens*, *qui prius per memet ipsum solummodo pauper exstiti*, *nunc per tot pauper effectus sum*, *quot regendos accepi*. *Perpendo igitur & quale sit plurimos regere*, *& praebendae necessitatis stipendia non habere*. *Quapropter dum fratrum necessitati consului*, *ad vos facile venire non potui*; *verumtamen dum & hoc ipsum studiose pertracto*, *quodammodo sacrilegium deputo*, *si sanctitati tuae parere qualibet occasione postpono*. *Quis enim illi tuto inobediens fiam*, *quem Deo sanctis operibus obedire non dubitat*? *Tibi enim*, *cui*, *Deo auctore*, *praesides*, *sedes Ravennatica*, *tibi omnes in Christo grates sancta reddit ecclesia*; *nimirum qui eo tempore quo simoniacus draco miserabilium negotiatorum brachia perplexis concupiscentiae spiris virus infundit*; *tu solus pene ex omnibus invictus Christi miles incolumis permanens*, *Petri iaculo nequissimae bestiae guttur infigis*, *& ecclesiam tuam mundam ab omni eius pestifera contagione custodis*: *& quod pastorum*, *immo latronum culpa magistri sedes amisit*, *nobilis alumni cathedra inviolata servavit*, nimirum Apollinaris martyris, qui Petri discipulus habitus est primus Ravennatis ecclesiae Episcopus. *Sed inter haec omnia*, subdit, *vestrae sanctitatis studia illud mihi multo est carius*, *quod saluti monachorum pastoralis oculus vester invigilat*, *& occulta diu vulnera in lucem producere*, *& disciplinae assurgio secare non cessat*. Innuit hoc loci Damianus primum Romanam ecclesiam simoniace occupatam a Benedicto IX. decenni anno MXXXIII. XV. kalendas decembris non secus atque ecclesias alias ab aliis invasas, atque simoniaca lue infe-

infectas; deinde etiam Gebehardi benevolentiam, & beneficentiam in monachos commendat, maxime in Pomposianos, quos tam magnifice dotaverat. Post haec speciem praeseferens hominis fidei, pietatis, ac religionis pleni Gebehardum alloquens ipsummet persequitur: *Eia miles Christi fortiter te in vires collige, & circumducto prudentiae tuae oculo contra cunctas diaboli machinas viriliter praeliare. Avaritiam iugula, superbiam calca, lapsos erige, vacillantibus sanctae exhortationis dexteram praebe, quatenus & temetipsum sanctarum virtutum scuto custodias, & alios ab omni antiqui hostis impugnatione defendas*. Concludit demum epistolam: *Obsecro autem te, dilectissime, si cum tua licentia potest fieri, non me hoc tempore inquietari permittas; sin autem, quidquid volueris, cum omni auctoritate praecipias*. Id autem revera Damiano praecepisse Gebehardum colligitur fere ex eo, quod eremum deseruisse, & Ravennae aliquantulum commoratum fuisse, ipse indicat Damianus scribens ad G. thesaurarium Ravennatis ecclesiae (a).

XXXIX. Altera vero epistola dolorem suum exprimit propter necessariam absentiam, qua in re testem appellat & conscientiam ipsam, & propriam linguam, quae saepissime de hoc quereretur: *Dilectissimi mihi, pater, & domine*, ait, *quo circa te desiderio ferveam, quae tuae dilectionis flamma meum pectus exurat, testis est lingua, quae tam crebro te abesse conqueritur; testis est conscientia, quae serenissimam angelici tui vultus speciem tam perspicue contemplatur: in illo quippe pectoris receptaculo non ubi pater, aut mater, sed ubi ipse sum, te alterum reconditum gero. Quapropter humiliter peto, ut mihi mutui amoris vicem redhibeas, & gratia, quae simplex egreditur, ad me duplicata recurrat. Hoc autem mihi persuadere facile poterunt, qui ad vos de nostris partibus venientes aliquid negotium in praesentia sanctissimi apostolici domini mei exercere contendunt*. Hinc apparet, nisi nostra nos fallat opinio, hanc ad Gebehardum scriptam fuisse epistolam, quum ipse Romae versaretur, & maximi fieret a Romano Pontifice Benedi-

(a) Lib. v. epist. 12.

cto IX. cuius & a consiliis esset, ut inferius aperte ait Damianus. Archiepiscopum enim exhortans, ut in reprobos Episcopos Fanensem, ac Pisaurensem maximis agat viribus, quo utrique ecclesiae pax reddatur, haec addit: *Talem te ergo, carissime pater, in causa reproborum Episcoporum Fanensis, & Pensauriensis exhibe, ut te in veritate comperiam Dei iudicium pertimescere, contra ministros diaboli viriliter decertare, arida diabolicae plantationis arbusta convellere, ecclesiam Christi ad lumen velle de tenebris revocare*. Quam maxime animadvertenda est, quam affert, caussa, & multum Gebehardo honorifica, atque gloriosa; inquit enim: *Unum autem nolo te lateat, qui si infames illi, & criminosi in Episcopatus arce perstiterint, non modicum, splendidissime domine, Papae opinio laborabit; & tu, qui consiliarius eius es, & tanta omnigenae eruditionis sapientia pelles, naevum proculdubio reprehensionis incurres*. Ecce ergo tam certo Damiani testimonio quantae pietatis, prudentiae, atque doctrinae Gebehardus fuerit, cui denique Damianus ipse in epistola sua Abbatem Classensem, Lambertum nimirum, quemadmodum historici Camaldulenses opinantur (*a*), commendat his verbis: *Rogo autem, & humiliter obsecro, ut charissimum patrem meum Abbatem Classensem in mea persona suscipias, & quidquid illi beneficii, quidquid caritatis impenderis, mihi proprie te exhibere cognoscas*. Altera haec Damiani epistola scripta est anno circiter MXLII., sive potius sequenti.

XL. Porro Gebehardus, qui tantis Pomposianum monasterium cumulaverat beneficiis in suae dilectionis argumentum praecipue erga Guidonem Abbatem, saepius Ravenna discedere consuescebat, ac Pomposiam petere, ubi diu se ab humanarum rerum curis, ac sollicitudinibus omnino reciperet: *Eumdem quoque locum*, verba sunt Mabillonii de Pomposiano monasterio loquentis (*b*), *subinde frequentabat Gebehardus Archiepiscopus Ravennas*; ibique dum versaretur ipse, satis est verosimile, in monachorum mores eum congruisse, atque

(*a*) Annal.Camald.tom.II.p.88. (*b*) Annal.Bened.tom.IV.lib.58.§.42.ad ann. 1042. pag.449.

atque monasticam exercuisse vitam, quod certe primum praestiterat, ubi ignotus Romani Pontificis iussis obtemperaturus Pomposiam adierat. Agnelli continuator in Archiepiscoporum Ravennatum vitis de Gebehardo agens, qui Archiepiscopus Ravennas fuit ab anno MXXVI. Conradi Imperatoris temporibus, cui ipsius electio ab *suffraganeis* Episcopis, a clero, populoque Ravennate subscripta porrecta fuerat, inter reliqua praeclare a Gebehardo gesta vix recenset, *quod multum ampliavit monasterium Pomposianum, ut habetur in chronicis suis*; sed de eius domicilio in monasterio eodem verbum ne unum quidem addit. Contra Rubeus haec scribit (*a*): *Gebehardus Ravennae Archiepiscopus cum multa Pomposiano monasterio bona pie largitus esset, ut ex documentis originalibus adhuc asservatis in archivo Pomposiano Ferrariensi sancti Benedicti, Archiepiscopatu dimisso, in monasterio Pomposiano se recepit*. Illud certum est, Episcopos ex eorum tempore perquam frequenti consuetudine ecclesias suas, atque dioeceses dimisisse, & episcopales infulas monastico cum cucullo commutasse, monachorum solitudinem amplexatos, & vitam. Ab Iohanne Comaclensi Episcopo id factum nos vidimus alibi, & sexcenta huiusmodi suppeditat exempla historia illius aetatis tum ecclesiastica, tum monastica, Cluniacensis in primis coenobii, in quo anno circiter millesimo sub Odilonis Abbatis regimine Episcopi non pauci, episcopatu relicto, coenobiticam fuerant obedientiam professi. Idem in Pomposiano monasterio praestitisse Gebehardum, nobis coniectandi est locus non solum Rubei testimonio innixi, sed etiam ex eo potissimum quod comperimus de Gebehardo factum a morte ipsius. Etenim extra omne dubium eo in monasterio sepultus ipse Gebehardus fuit, & quidem eodem in monachorum tumulo, qui ex antiquo more, nondum alicubi nostra obsoleto aetate, in loco erat, qui *capitulum* vulgo vocitatur: *Obiit*, subdit laudatus continuator, *anno Domini* MXLIV. *qui iacet in monasterio sanctae Mariae de Pomposia in Pado beteri dioecesis Comaclensis in capitulo fratrum sub*

(*a*) Histor. Ravenn. lib. v.

ſub lapide marmoreo opere muſaico impreſſis his verbis, videlicet:

Pontificis maximi corpus iacet hic Gebehardi,

Per quem ſancta domus crevit, & iſte locus.

Plurima donavit, quae tali lege legavit:

Quae patitur Iudas, raptor & ipſe luat.

Chriſto funde preces, lector, dic miſerere.

Obiit anno Domini MXLIV.

Epitaphium hoc edidere etiam Rubeus (*a*), Pucinellius (*b*), Ughellius (*c*), Ferrius (*d*), aliique, ſed non ſatis integre, poſtremo autem caſtigatius rerum Camaldulenſium ſcriptores (*e*). Verum quum iniuria temporum lapidis characteres vix, aut ne vix quidem legi amplius poſſent anno MDCXXX. Caſinates monachi coenobii Pompoſiani ſancti Benedicti Ferrariae tantorum beneficiorum memores in grati animi argumentum erga Gebehardum, eius corpore in Pompoſiae eccleſiam translato, refectoque lapide ſepulcrali, hanc inſcriptionem poſuere, reſtitueruntque antiquam hoc modo, quo noſtris etiam temporibus legitur:

D.O.M.

(*a*) Hiſtor. Ravenn. lib. v.

(*b*) Chon. monaſter. ſancti Petri in Glaſſiate.

(*c*) Ital. ſacr. tom. II. in Archiep. Ravenn. num. 68. in Gebehardo pag. 360.

(*d*) Iſtoria di Comacchio cap. 33.

(*e*) Annal. Camald. tom. II. pag. 93.

D. O. M.

GEBEARDO

RAVEÑE ANCHIEPISCOPO S[MO]

CVIVS CORP. IN CAPIT.[LO] HVI. MONAST.[II] TVMVLAT.

CV̄ P̄ AÑOS DLXXVI. QVIEVISCET ET INFERIV[S] SCVLPTA

CARMINA SVP̄ SEPVLCRV̄ OP̄E MVSAICo DISTINCTA

VIX P̄LEGI TEMPORVM INIVRIA POSSENT

NE TANTI VIRI MEMORIA AC DE PŌPOSIANIS

MONACHIS BENEMERITI IM̄ERITO DEPERIRET

DIE XIV. IVN. M. DCXXX. MONACHI CASINATES

HONESTIOREM HV̄C IN LOCV̄ TRĀSFERRI AC C. C

VRBANO VIII. PONT. MAX.

OBIIT XIV. KAL. MARTII AN. SAL. MLIV.

PONTIFICIS MAGNI CORP. IACET HIC GEBEARDI

P̄ QVĒ SCTĀ DOMVS CREVIT ET ISTE LOCVS

PLVRIMA DONAVIT Q̄ TALI LEGE LEGAVIT

Q̄ PATITVR IVDAS RAPTOR ET IPSE LVAT

CRIST© FVNDE PRECES SIBI

LECTOR DIC MISERERE

Anno laudato MDCXXX. non ſatis recte, uti dictum eſt, vetuſtae inſcriptionis characteres apparebant: hinc non bene iis fortaſſe lectis, Gebehardi mors ad annum MLIV. conſignata eſt pro ano MXLIV. ex eo forte quod nota X. media diſtincta haud fuerit. Anachroniſmus itaque exortus, & in lapidem inductus, cui & Rubeus adhaeſerat (*a*), qui etiam Gebehardi mortem non XIV. kalendas martias ſtatuit, ut in lapide legitur, ſed rectius XIV. kalendas aprilis. Doctus Amadeſius

(*a*) Hiſtor. Ravenn. lib.v.

desius (*a*) in Archiepiscopali Ravennae tabulario chartam invenit hisce signatam notis chronologicis : *Gebeardus servus servorum Dei divina gratia Archiepiscopus anno Deo propicio pontificatus domni Benedicti summi Pontificis , & universalis Pape duodecimo die vigesima mensis decembris indictione duodecima Ravenne .* Ex quibus arguit vir eruditus , chartam hanc , quae ad anni MXLIV mensem decembrem pertinet , aperte significare , eo adhuc mense in vivis Gebehardum fuisse . Verum a praelaudatis Camaldulensium rerum scriptoribus non semel est opportune adnotatum (*b*) , membranam illam ad decembrem potius praecedentis anni MXLIII. revocandam esse , quo duodecima indictio septembri mense incoeperat , eo vel magis quod mense decembri anni MXLIV. Roma iam expulso Benedicto IX. Romanum pontificatum gerebat Gregorius VI. *Quod autem* , inquiunt , *in charta Ravennate coniungatur duodecimus annus pontificatus Benedicti IX. cum anno* MXLIII. *qui erat tantummodo undecimus , ea accensenda est similibus Ravennatibus paginis* , *aliisque in bullario Casinensi* Margarinii , *& apud Mabillonium allatis* , *quae* , *teste Muratorio* (*c*) , *electionem Benedicti uno anno anteriorem statuunt* , *cum autem validioribus documentis innitatur communis opinio* , *quae ad annum dumtaxat* MXXXIII. *retrahit ipsius ad pontificatum Romanum electionem .*

XLI. Iam vero anno eodem MXL. quo Gebehardianum diploma datum est , *Tierso* quidam filius *quondam bone memorie Stefanus* , *qui vocatur Musrco* , *qui fuit habitatore in vico* , *qui vocatur pupinzana* vendit Iohanni monacho commoranti *in cella sancti Petri* , *qui vocatur in cornedo per consensum de domno Wido gratia Dei Abbas* bona plura ei obventa a genitore suo Authundo posita *in fundo* , *qui vocatur pupignano* , *& in fundo silva morta* , *& in fundo casello* , & alibi *cum omnibus ad supradictas res pertinentibus sitis infra plebe sancti Andree in Hercudas* (*d*) , dato ab Iohanne monacho pretio tri-

(*a*) Epist.ad Collin.opusc. Caloger. tom. XLV.

(*b*) Annal.Camald. tom.II. pag.93.

(*c*) Annali d'Italia ad ann.1033.

(*d*) Hoc est *in Arquada* .

triginta quinque denariorum argenti, & ſancita poena a violatoribus ſolvenda auri optimi librae unius. Membranam hanc ſcripſit *Petrus tabellio de vico, qui vocatur tamara*, ſubſcripſeruntque ipſe, & Tierſo una cum teſtibus quinque. Data eſt vero anno pontificatus Benedicti IX. decimo, regnante Henrico, *antequam coronam Imperialem accepiſſet anno primo die vigeſimo tercio menſe november indictione hoctava in vico, qui vocatur cornedo*, hoc eſt an. MXL. quo tamen octavus dumtaxat Benedicti IX. Rom. Pontif. enumerandus a notario fuiſſet.

XLII. Anno autem MXLI. idibus februarii Abbas Guido in emphyteuſim dedit Petro, & Romualdo fratribus Romualdi filiis domos tres, quae pertinuerant olim ad Iohannem de Gauſa, & Marociam iugales, atque Iohannem eorum nepotem, *ſitas in civitate Ravennae*, altera quidem *in regione porta nova*, altera vero *prope eccleſiam Guthorum* cum horto *foris porta Artemeduli*, tertia demum *in regione ſancti Petri maioris*, aliiſque rebus omnibus poſitis *in plebe ſancti Kaſiani*, tum etiam in territorio Livienſi *in plebe ſancti Martini, que vocatur in ſtrada, & una area ſalinarum poſita in palude Fiquoclenſi, & fundo qui vocatur ſananellus territorio Ceſſinate plebe ſancte Marie, que vocatur in monte Tugati*. Scripta eſt autem charta a Gerardo tabellione Ravennate, adhibitis teſtibus, *temporibus domni Bendicti ſede nono die tertia decima menſis februarii indictione nona Ravenne*. Die vero ſequenti in emphyteuſim confirmavit idem Guido Abbas Petro, *qui vocatur nomine*, & nepotibus eius *rem iuris monaſterii ſancte Marie, que vocatur a genodochio.... Ravenne in regione porta, que vocatur ſancti Leurencii*, uſus tabellione eodem, atque inter teſtes ſubſcribit *Stephanus Conſul.* Neque ſecus x. kalendas martias Iohanni de Berta conceſſit eodem titulo domum *cum ingreſſo, & regreſſo ſuo, & cum acceſſo ripa fluvio Padorine* poſitam *foris porta, que vocatur Varcini Ravenne*. Octavo autem kalendas menſis ipſius *Iohannes, & Dominicus germani filii quondam bone memorie Gregorio, ſitque Dominicus filio quondam Dominicus pro ex perſona & in vice de Martina conius mea.... qui ſunt habitatori in vico qui vocatur laugnano*

ven-

vendidere *domno Iohanni monacho de cella ſancti Petri in cornedo comparatore per cenſum de domnus Wido gratia Dei Abbas monaſterii ſancte Marie, que vocatur in Pompoſie* bona, quae ad illos pertinebant *in fundo, qui vocatur laugnano de iſta foſſa, que eſt termine in fundo laugnano, & ſancto Zenone infra plebem ſancti Andree, que eſt fundatum in Arcuada*, dato coram teſtibus ab Iohanne monacho pretio *hargenti denariorum ſolidos hundecim monete Veneticorum*. Chartam litteris conſignavit *Petrus tabellio de vico, qui vocatur tamara* in Ferrarienſi territorio hiſce cum notis chronologicis: *hanni ab incarnacione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſunt modo mile quadraintahuno pontificatus domni noſtri Benedicti ſummi Pontificis ... anno nono regnante domnus noſter Henricus hantequam coronam imperii haccepiſſet hanno primo die vigeſimo menſe februario indictione nona in Cornedo*. Doctiſſimus Camillus Peregrinius opinatus eſt aliquando, ubi vetuſtis in chartis loquendi ea forma occurrit *qui ſum habitator* in aliquo ſive oppido, ſive caſtro, ita intelligendum eſſe, ut loci illius dominium haberet habitator ipſe: *Huc referendum*, ait (a), *quod paſſim in antiquis chartulis legitur, urbium, & oppidorum dici habitatores, quod eorumdem dominos fuiſſe conſtat*. Id vero demonſtrare aggreſſus vir eruditus proſequitur: *Sicut, ut domeſticum afferam exemplum apud Petrum diaconum in actuario ad Oſtienſem lib.* IV. *capite* 16. *Adelgrima comitiſſa filia Pandulphi principis Capuae relicta Rainaldi comitis filii Berardi comitis appellatur habitatrix in territorio Carſeolano in caſtello, quod vocatur auricula. Hoc igitur pacto antiqui dynaſtae loca, quibus poſſidebant, cum inhabitarent, factum puto, ut ii ex ipſis municipiis ceu communes, ceterique alii municipes, ſed per quandam antonomaſiam municipales deſumerent denominationes, quas poſtmodum eorum filii, & nepotes, qui poſt longum annorum ordinem avitas reſtituerant dynaſtias, taliaque de aevo in aevum ſervarunt vocabula, in gentilitia tandem cognomina commutarunt ſua tempore ſcilicet Normannorum, quod talem increbuiſſe cognominum conſuetudinem facile eſt advertere*. Incertum nobis, an

(a) De ſtemmate Langobardor. pag. 285.

an commemorati venditores illorum essent etiam locorum domini, in quibus habitabant, quo magis magisque confirmatam Peregrinii sententiam amplexaremur.

XLIII. Eodem quoque anno MXLI. XII. kalendas quintiles bona possedisse Pomposianum monasterium in *massa*, quae vocabatur *borsialia* non longe a fluvio *Alimone* constat ex permutatione quadam a Guidone Abbate facta cum Ingizone, *qui vocatur Bonizonis de Vitali*, a quo bona alia recepit posita *in territorio Ariminensi plebe sancti Leurentii*, *qui vocatur in monte*, & alibi, praesertim vero *in loco*, *qui vocatur Pomposiano* certe posito in territorio eodem. Tabulas excripsit Petrus Ravennas tabellio *anno pontificatus Benedicti Pape sede nono post defuncto domno Conradus Imperatore die vigesimo mense iunii indictione nona Ravenne*, atque in iis occurrit praecipue mentio fundi, *qui vocatur cento*, *plebis sancti Cassiani*, *qui vocatur in decimo*, *&* *monasterii sancti Petri*, *qui vocatur in vincula territorio Ficoclensi*, nimirum Cerviensi, *plebe sancti Andree*, *qui vocatur bilo maculata*. Anno etiam consequenti V. kalendas maias ad usumfructum dedit Guido Pomposiae Abbas Annae *relictae quondam Dominici*, *qui vocabatur Scaramalo* domum quamdam *cum accesso ripa fluminis Padorine*, Ravennae positam *foris porta*, *que vocatur guercini* cum onere solvendae pensionis annuae, octo nimirum denariorum Veneticorum. Demum postrema ex Pomposianis tabulis, in quibus Guidonis nomen legitur, spectat ad annum MXLIV. VI. nonas novembris, videlicet *temporibus domini nostri Gregorii Pape sede primo die secundo mensis novembris indictione quartadecima Ravenne*, In his autem *Iohannes Dux filius quondam Adalberti Duci* pro se, & *pro Giseltrude nobilis femina iugale*, atque filiis, & nepotibus in emphyteusim petiit, impetratque a Guidone ipso bona quaedam posita in urbe Ravenna *in regione portas sancti Laurencii*, scriptis tabulis a Dominico Ravennate tabellione, quibus subscripsit unus *Iohannes Dux filius quondam Alberti*.

XLIV. Verum vivente adhuc Guidone Abbate, monasterio Pomposiano diploma datum est ab Henrico II. Germaniae

Rege, quod quidem inter Pomposiani tabularii monumenta desideratur, sed ex Atestio autographo illud Muratorius eruit, ediditque (*a*), a quo & nos ipsum lubentissime mutuamur, atque in nostrum diplomaticum codicem transferimus. Haec itaque ait diplomate suo Augustus: *Per interventum dilectae coniugis Agnetis, & Herimanni Coloniensis Archiepiscopi archicancellarii, & Hunfredii cancellarii abbaciam sanctae Mariae in Pomposia ab antecessore nostro Ottone a Frederico Ravennatis ecclesiae Archiepiscopo iuxta utriusque placitum ad imperialem subiectionem concambiatam, ac postea ab Heinrico divae memoriae Imperatore Augusto corroboratam, & ab Ugone marchione magnifice ditatam, & in nos successione imperii, & legali iure hereditatam ad nostrae dominationis manus recipimus.* Quo sensu haec verba exponenda, intelligendaque sint, nos diximus alibi. Sequitur autem diploma: *Eamdemque cum omnibus pertinentiis suis, & cum lateribus desuper in tota insula, primo latere Pado percurrente in mare, secundo latere litus maris, tertio latere Gauro, insuper piscaria, quae vocatur Volana a rivo paderino usque in mare, & locus qui dicitur lacu sancto cum omnibus sibi pertinentibus, quantacumque in apostolicae sedis praecepto,* Benedicti videlicet Papae VIII. *releguntur, vel infra totum comitatum Comacliensem, & Ferrariensem, & Gavellensem, & in civitate Ravenna, & in comitatu Corneliense, & Faventino, & Liviense, & Pupiense* (*b*), *& Cessenate, & Ariminense, & Fanense, & infra totum comitatum Orbinatem, & Castellanum, & Perusinum cum areis, aedificiis, castris, capellis ... & quidquid sibi iunior Ugo marchio filius Uberti dedit, vel quantacumque habet, vel acquirere potest infra Padum, & Attesin fluvium, vel infra Padum, & Sandalum, ab omni subiectione Archiepiscoporum excutimus.* Repetit deinde cetera Rex, quae in diplomate Ottonis III. anno MI. & Conradi Imperatorum anno MXXXVII. continentur. Henricianum monogramma protulit Muratorius ipse, cui littera *R* accedit, eo quod in publica acta, sive imperialia regesta redactum fuerit diploma, quod fuit *datum*

XVI.

(*a*) Antichità Estensi par. I. cap. 12. pag. 93. & Piena esposiz. de' diritti Imperial. ed Estensi cap. 16.

(*b*) Hoc est *Pompiliense*.

XVI. *kal. octub. anno incarnationis Domini mill.* XLV. *indict.* XIIII. *anno vero domni Heinrici tercii regnantis septimo. Actum Potfelt feliciter, Amen.* Diplomati subscribit *Hunfredus cancellarius vice Herimanni archicancellarii*, qui hoc fungebatur munere tempore etiam Conradi Imperatoris patris Henrici III. Denique testatur idem Muratorius, superesse adhuc in membrana locum, aut certe vestigia deperditi cerei sigilli. Fontaninius, qui caussam persecuturus suam hocce nostrum diploma una cum aliis bene multis aeque Pomposianis privilegiis tamquam apocryphum, confictumque traduxerat (*a*), haud meminerat, se alteram assertionem suam demonstraturum (*b*) illud & laudasse, & tamquam authenticum admisisse.

XLV. Hisce autem circiter temporibus Ferrariae, aut in conterminis locis moratum novimus Bonifacium *marchionem*, ac ducem, patrem magnae *comitissae*, sive *ducatricis* Mathildis, certissimo huius rei teste Donizone monacho. Difficillimis usus temporibus, quibus regnabat, hic princeps homo magnanimus, & audax, quo regium sibi in suam provinciam imperium adsciseeret, ac dominatum iis sane aequioribus, certioribusque innixum titulis, quos firmior, atque solidior posset politica ars comparare, timorem coepit incutere, quum retundi amplius non posset, vixque eo defuncto tentarunt nonnulli cum Hermanno Contracto eum tyrannum traducere, & frustra omnino tum Henricus IV. & Henricus V. tum Lotharius tribus Lucae urbi privilegiis concessis tamquam perversas consuetudines habendas esse sanxerunt acta ab eo, quae sunt argumentum ipsius absoluti in Etruria principatus. Licet vero ea corruptissima essent tempora, ecclesiasticorumque hominum vita scandali mensuram impleret, atque horrenda simul in Romana ecclesia schismata debaccharentur, nihilo tamen minus in monachorum coetum, qui fere unus in universa morum corruptione illaesus abibat, non solum omnimodam semper pietatem coluit Bonifacius,

(*a*) Difesa II. del dominio della s. sede sopra Comacchio pag. 132.
(*b*) Ibid. pag. 124.

ſartamque tectam ſervavit, ſed in reliquos etiam eccleſiaſticos ordines ſuum ſignificare ſtudium ſategit, nunc virtutis, bonorumque fautor, nunc eccleſiarum ſibi ſubditarum munificentiſſimus cultor. Haec quidem tanto de principe viro cecinit laudatus Donizo (*a*):

Actibus ut mundi Bonifacius iſte refulſit,
Sic cluit (*b*) *in factis divinis, ac venerandis.*
Pontifices ſacros habuit quam maxime caros,
Ipſis donabat, quae cenſuit his fore grata;
Pſallebant ſemper capellani reverenter
Horas nocturnas ſibi quotidieque diurnas.
Nemo capellam ſuper ipſum Praeſul habebat.
Dilexit clerum, ſed eo monachum mage (*c*) *verum.*

XLVI. Porro Bonifacius Pompoſiam adire ſingulis annis conſueverat, quo depoſita ibi peccatorum ſarcina, flens ad genua ſacerdotis provolutus ſacram poenitentiam ſuſciperet. Hac autem in re Guidonem adiutorem habuiſſe Bonifacium, moderatoreſque monachos in vitae ſanctioris inſtitutione, tradit ipſe Donizo hiſce verſiculis:

Propria peccata generoſus hic, atque piacla
Cum ſtudio magno pandebat fratribus anno
Omni Pompoſae Chriſto famulantibus ore
Cum proprio, plagens cum corde, petens veniamque,
Fratres, ac Abbas eius delicta lavabant.

Annuam vero hanc occaſionem nactus Bonifacius Pompoſianae eccleſiae multa impertiri munera ſolebat, & eiuſmodi quidem ut numquam eadem eccleſia a regibus locupletiora receperit; perſequitur enim auctor:

Eccleſiae quorum ſolito dabat optima dona,
Rex etenim numquam dedit ullus ibi meliora.

Sed aliquando contigit, ut ſacris incumbens ex more Bonifacius religionis actibus ipſo in Pompoſiano monaſterio una cum monachis reliquis, inter quos primus quidem, ſed quam poſſet demiſſiſſime, atque ſubiectiſſime conſidebat, in ea mona-

(*a*) De vita Mathildis cap. 14. apud Murat. rer. Ital. ſcript. to. v. p. 357.

(*b*) Hoc eſt *claruit*.

(*c*) Hoc eſt *magis*.

monachorum turma pueros curvos conspexit, atque in terram pronos, eos suavi concentu divinas laudes praecinere audiens. Quum autem ipsi non levis ex ea re orta fuisset admiratio, rescivit a monachis, pueros immobiles, constantesque perpetuum in ecclesia illi positioni haerere. Id, de quo dubitabat, ut certum haberet, iussit quemdam honestum, probumque hominem in tectum ecclesiae ipsius ascendere, nummosque illinc medium in chorum proiicere: Quod quum factum fuerit, eorum nihilominus casu, magnoque strepitu puerorum illa omni ex parte beata cohors ab divino opere nullimode abducta stetit prorsus immota, viditque Bonifacius, eos singulos a nummis non solum abstinuisse manum, sed etiam ne unum quidem ad illos convertisse oculos. In quo sane agnovit ipse, quid iam demum aeque de provectioribus aetate iudicandum esset, si in pueris tanta eniteret diligentia, tantaque animi applicatio, & perfectionis apex in Pomposiano monasterio. Haec idem Donizo his verbis:

Contigit ire semel illuc, moremque tenere
Illum, quem dudum retinere solebat in usu,
Scilicet assistens ad opus divum bonus ipse,
Stabat in excelso solio, non corde superbo;
Aspiciens chorum, facies vidit puerorum
In terra pronas, psallentes dulciter horas;
De quibus admirans, ita cur stant, seque regirant,
A monachis didicit, semper quod stant ita fixi:
Hoc non oblitus iocundus dux, & opimus
Ire super tectum clam templi fecit honestum
Quemdam quippe virum cum numis (a), vult quia mirum
Ipse videre, decem libras vir iactat ab aede,
In medioque choro strepitus sonat, & puerorum,
Quorum palpebrae penitus nec sic patuere,
Aspexit numum (b), tetigit non ullus & unum:
Unde magis gaudens praeclarus dux ait autem;
In modicis annis sunt hi pueri velut alni (c)
Talis laudetur iocus, ac recitetur, ametur.

Eru-

(a) Hoc est *nummis*. (b) Idest *nummum*. (c) Hoc est *adulti*.

Eruditis monaſtica in hiſtoria notum eſt, pueros octennes, ſeptennes, & quinquennes in monaſteriis ad Benedicti Patriarchae inſtitutum receptos: ſic Maurus, Placidusque eidem a parentibus oblati fuerant. Quaenam vero cum iis diſciplinae ratio ſervaretur, exquiſite tradiderunt viri doctiſſimi Mabillonius (*a*), Marteneius (*b*), Calmetius (*c*), aliique rerum monaſticarum expoſitores. Igitur etiam Pompoſiano in monaſterio excultos pueros, educatosque in religionis tramite licet hinc colligere, & quam bene inſtituerentur iidem a magiſtris.

XLVII. Quum ea eſſet, quam animadvertimus, Bonifacii pietas, atque religio, nihiloſecius & ipſe ex ſaeculi more vitiis indulgere viſus eſt, ſeſeque gerere elate, atque crudeliter; maxime autem ſimoniaca lues, qua non ſolum Imperatores maxime, & Germaniae Reges inficiebantur, atque dynaſtae plures, ſed etiam magno hiatu in ſanctuarium ipſum deſcenderat vulnus, & illud ſuo veneno corruperat, vel Bonifacii animum aliquando occupavit. Aſt glorioſius ei fuit, ſe criminis poenitere, atque exemplo haud frequenti integritatis caſtigatum non invitum ſatisfeciſſe. Perſequitur quippe Donizo:

Theutonici Reges perverſum dogma ſequentes
Templa dabant ſummi Domini ſaepiſſime numis
Praeſulibus cunctis, ſed & omnis Epiſcopus urbis
Plebes vendebat, quas ſub ſe quiſque regebat,
Exemplo quorum manibus, necnon laicorum
Eccleſiae Chriſti vendebantur maledictis
Presbyteris, cleris, quod erat confuſio plebis.

Itaque quum anno circiter MXLV. in Pompoſiano monaſterio degeret Bonifacius, ad eius dicta, factaque reprehendenda pie exarſit animus, & amor Guidonis, eo vel maxime quod eccleſias permultas venumdederit ille, quem propterea admonuit graviter Guido, acriterque correxit, denudatoque cor-

(*a*) In annal. Benedict. paſsim.
(*b*) De antiquis monachor. ritib.
(*c*) Commen. in regulam s. Benedicti.

corpore ante aram Mariae dicatam verberibus eum multavit, atque flagellis:

Qua de re Guido sacer Abbas arguit, immo
Nunc Bonifacius ne venderet amplius, ipsum
Ante Dei matris altare flagellat amare
Verberibus nudum, qui deliciis erat usus.

Non unum est Bonifacii exemplum in ecclesiastica historia, qui publicae ab ecclesiae ministro poenitentiae praescriptae sese subiecerit actibus. Hoc ipsum Conradus etiam Imperator praestiterat, & piissimus Otto III. Augustus, qui omni animi demissione a Romualdo Abbate impositam satisfactionem suscepit, petendi nimirum nudis pedibus montem Garganum in Apulia positum, auctor ipse, aut conscius certe violenter irrogatae Crescentio mortis. Sponte itaque vel sese satisfactioni submittens Bonifacius pollicitus fuit de suo more decedere maxime in bonorum ecclesiasticorum usu, ac partitione, sacris etiam se adstringens, sancta Hierosolymae loca veneraturum adire; quod tamen praeoccupatus morte exsequi non potuit; obiit enim adversariorum captus insidiis anno MLII. pridie nonas maias; de qua re Bacchinius consulendus est (*a*). Haec autem Donizo ita enarrat:

Pomposae vovit tunc, Abbatique Guidoni,
Ecclesiam nullam quod ipse venderet umquam.
Hoc pro peccato, multis aliisque, patrato
Vovit adhuc votum nonnullis denique notum,
Scilicet ad cultum Christi, sanctumque sepulcrum
De prope debebat quod pergere, si sibi cedat
Vita, salus, tantum vel ad unum pleniter annum:
Atque novam puppim fieri dux illico iussit,
Sumptus atque locat quo compleat haec sua vota.
Sed complere nequit, quia mors non hoc sibi cedit.
Ipse die sexta maii post quippe calendas
Deseruit terram, quem Christus ducat ad ethram.
Quando defunctus, terrae datus, estque sepultus,
Tunc quinquaginta duo tempora mille Dei stant.

Factum

(*a*) Istor. di s. Benedetto di Mantova lib. 1. pag. 47.

Factum ex Donizone referunt etiam Camaldulensium rerum scriptores (*a*): *Praeter plura*, inquiunt, *quae de Guidone alibi diximus*, *talem*, *dum viveret*, *venerationem apud omnes sua sanctitate promeruit*, *ut Bonifacius marchio semel in anno Pomposiam accederet*, *ubi peccata sua poenitentiae sacramento eluebat*, *& aliquando eo quod pro more illius temporis ecclesias venales dedisset*, *correptus a sancto Abbate facti poenitentiam duris disciplinis egerit*, *Deoque voverit*, *se non amplius ecclesias pretio traditurum*, *ut testatur Domnizo presbyter in vita Mathildae comitissae filiae eiusdem Bonifacii*. Mantuae datus est ad sepulturam, ut ipse est testis Donizo, & adhuc in maiori ecclesia urbis ipsius elogium tumulo inscriptum legitur: *Hic iacet egregius D. Bonifacius illustris marchio*, *& pater serenissimae dominae comitissae Mathildis*, *qui obiit* MLII. *die* VI. *madii indictione* V. Quo loco animadvertere iuvat cum Bacchinio (*b*), Agnellium Mantuanum historicum (*c*) lapsum in errorem fuisse, qui emendatum, correptumque Bonifacium a Guidone Abbate monasterii s. Benedicti Padolironensi, quem ne noverimus quidem in monasterii eiusdem Abbatum serie, contra manifestum Donizonis testimonium, quem de Guidone Pomposiano aperte loquentem audivimus. Peccat etiam Lubinius (*d*) in ratione temporum, qui Bonifacium ait in Pomposiano monasterio datae sibi poenae consensisse anno MXLIX. a Guidone Pomposiano Abbate, quem nihilominus eo tempore demortuum iam fuisse certum est, & mox dicemus.

XLVIII. Hac autem tempestate perpetuo rebus prospere gestis a Nortmannis, afflictae undique erant res Italiae maxime ambitione multorum, atque miserrima pontificii honoris contentione, qua discissa in partes videretur ipsa Italia, & ecclesia calamitatibus deiecta, ac plane immersa. Praesentibus in malis remedia daturus Henricus Rex Germaniae III. dictus *niger*, Conradi Augusti filius, & una imperatoriam recepturus coronam in Italiam descendere anno MXLVI. constituit,

(*a*) Tom. II. pag. 99.
(*b*) Istor. di s. Bened. di Mantova lib. II. pag. 53.
(*c*) Annali di Mantova.
(*d*) Notitia abbatiar. Ital. pag. 305.

ſtituit, quod & ſtatim exſecutus eſt. Vix traiectis Alpibus, qui praecedente anno inſigne dederat Pompoſiano monaſterio diploma, de quo ſuperius diximus, ut audivit de Guidone, & eius virtutibus, ipſum videndi, & coram conferendi deſiderio motus, cuius & conſilia in ſingulis ſequi propoſuerat, nuncios ad eum in Pompoſianum monaſterium miſit, quibus iuſſit, ut Abbatem ſanctiſſimum in reditu ſecum perducerent. *Inſuper illis diebus*, ait Pompoſianus anonymus ſaepius laudatus, *legatio Imperatoris beatum virum cogebat nuntiis illius occurrere*, *qui ad Italiam veniebant*, *quoniam iſtius conſilio omnia Imperatoris mandata implenda erant*. Noverat profecto vir ſanctus, non longe eius mortem abeſſe, illudque ardenter appetebat, vitae huius terminum pertingere, ſuperoſque adire. *Inſtabat dies iam*, inquit idem auctor, *quam ſummo deſiderio ſuſtinebat; cupiebat enim diſſolvi, & cum Chriſto eſſe* (*a*): *vidit in ſomnis huiuſmodi revelationem. Arbor dactylorum a capite eius pullulans in magnae proceritatis culmen erigebatur onuſta pomis: ſed cupientium fructus eius ſumere contactum confugiens inclinabat ſe tamen ad Guidonis manum, & cibum ex ſe ſumere permittebat; ex cuius etiam fructu & fratribus ſibi ſubditis porrigebat, quo profecto ſucceſſorem ſibi futurum ſpiritu prophetico praevidebat*. Nuntio itaque Henrici Regis audito, coepit Guido rem ſerio perpendere, qui ſenio iam confectus, aegra valetudine diſtentus, atque itineris praepeditus incommodis maluiſſet in Pompoſia manere, quam Regem adire, maxime quia *interea lues graviſſima*, ut teſtis eſt anonymus ipſe, *monaſterium vexabat*, *quae de fratribus circiter triginta ad exceſſum uſque perculerat*. Verum iter arripiendum fuit invito ſane animo, convocatiſque monachis, quos non viſurum ſe amplius prophetico afflatus lumine intelligebat, Regis imperio obtemperaturus Pompoſia diſceſſit poſt initium anni MXLVI. *Invitus*, *ut fertur*, perſequitur idem biographus, *iter illud ingreſſus eſt*, *& quamvis ſuſpenſo ſermone*, *non ſe tamen amplius a fratribus*, *quos Pompoſiae relinquebat*, *videndum prophetico dixit ſpiritu*. Haud difficile eſt animo concipere, quam

(*a*) S. Paulli ep. ad Philipp. 1. v. 23.

gravi afficerentur dolore monachi, qui in patris amantissimi discessu viduam intelligerent Pomposiam, ubi vel maxime audissent, se de eo amplius videndo debere omnem plane spem abiicere. Videtur profecto nobis illud contigisse in Pomposia tunc, quod in apostolicis actibus (a) de Paulli Mileto profectione narratur, qui *positis genibus suis oravit cum omnibus illis*; *magnus autem fletus factus est omnium*, & *procumbentes super collum Paulli osculabantur eum*, *dolentes maxime in verbo*, *quod dixerat*; *quoniam amplius faciem eius non essent visuri*. Pervenit itaque Parmam Guido una cum monachis itineris sociis, indeque burgum s. Domnini, qui antiqua Fidentia urbs censetur, XVI. circiter millia passuum a Parma dissitum, ubi morbum nactus tertio ab eius adventu die fato defunctus est: *Profectus igitur*, ait anonymus, *sanctus domini venit Parmam*, *inde burgum*, *ubi altera die adventus eius*, *quo venit illuc*, *coepit infirmari*; *die etiam tertio defunctus est*. Eadem fere repetunt translationis acta: *Beatissimus Guido Abbas monasterii Pomposiensis postquam duobus de quinquaginta annis monasterium curae suae commissum laudabiliter gubernasset*, & *salutariter aucta regula plurimos suae institutionis observatores in novo ab ipso exstructo monasterio congregasset*, & *ad veram monasticae vitae observantiam induxisset*, *tandem iturus obviam legationi Imperatoris*, *in ipso itinere prope Parmam plenus meritis*, *multisque clarus in vita miraculis*, *feliciter in Domino obdormivit*.

XLIX. Subdubitatum aliquando fuit a nonnullis, an Guidonis mors anno MXLVI. vel praecedenti contigerit. Verum anno revera MXLVI. ipsum obiisse, extra omnem dubitationem posuerat tum auctor vitae ipsius, tum laudata translationis acta; ille enim ait aperte: *Obiit autem anno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo sexto*; in istis vero similiter legitur: *In Domino obdormivit anno a partu virginis millesimo quadragesimo sexto*. Si profecto albo hic annus lapillo notandus est, & sempiternae memoriae dignus in plurium ecclesiarum annalibus, in Romanae ecclesiae historiis, in ecclesiae totius catholicae fastis, qui nimirum natalis fuerit magnae comi-

(a) Cap.20.

comitiſſae Mathildis Bonifacii ducis, de quo ſuperius diximus, filiae, contra nobis infauſtus erit omnino, atque in Pompoſianis, monaſticiſque annalibus, quin & Italiae, & eccleſiae ipſius hiſtoria candidus in nigrum vertendus, quo noſter obiit Guido celeberrimus, & ſui temporis ſanctiſſimus, qui ab Henrico Rege refector deſtinatus, ac inſtaurator tot lethalium tunc temporis vulnerum videbatur, quibus undique ſacerdotium premeretur, atque imperium.

L. Mabillonius (*a*), & eocum fere reliqui eruditi homines innixi biographi Guidonis, & actorum translationis, quae laudavimus, auctoritate opinati ſunt, annis XLVIII. Pompoſianum monaſterium gubernaſſe Guidonem: *Rexit autem Pompoſienſe coenobium annis quadraginta octo*, ait biographus; acta vero translationis: *Beatiſſimus Guido Abbas monaſterii Pompoſienſis poſtquam duobus de quinquaginta annis monaſterium curae ſuae commiſſum laudabiliter gubernaſſet &c.* Qua in ſententia dicendum foret, Pompoſiae Abbatem ab anno DCCCCLXXXXVIII. ſive etiam praecedenti fuiſſe Guidonem. Iam vero alibi adnotatum a nobis eſt, Iohannis Abbatis nomen in Pompoſianis chartis ad annum uſque MV. occurrere. Quare non ante illud temporis Pompoſiae Abbas cenſendus videretur Guido, eo vel magis quod eius nomen primum anno MX. praeſeferant tabulae Pompoſianae. Quod ſi biennium, trienniumve etiam provinciam Guidonis praevertas, adeout Abbas fuerit anno MVII. vel ſequenti, anni erunt XXXVIII. circiter, minime vero XLVIII. quibus ipſe Pompoſiam rexerit. Rem hancmet perpendimus nos libri quarti initio, ubi annum natalem Guidonis inquirebamus, ubi etiam nonnulla adnotavimus ex annalium Camaldulenſium ſcriptoribus, ubi denique demonſtratum ſatis veroſimiliter a nobis eſt, non annos XLVIII. ſed XXXVIII. omnino regiminis Guidonis enumerandos eſſe, etſi ignotum nobis, unde Pompoſiani anonymi, quem coniectamus, error, falſaque decennii redundantia proceſſerit.

LI. Aeque certum etiam habendum eſt, pridie kalendas

Bbb 2 apri-

(*a*) Annal. Benedict. tom. IV. lib. 54. §. 59.

aprilis naturae concessisse Guidonem; perspicue namque tum ipse anonymus, tum translationis acta id exprimunt: *obiit autem*, ait ille, *pridie kalendas aprilis*; & acta: *obdormivit in Domino pridie calendas aprilis*. Sed quid? vetustum Casinas necrologium signatum numero 47. & certe quidem saeculi XI. quemadmodum animadvertimus olim nos in nostra bibliotheca manuscriptorum Casinensium codicum, quam primis vix digestam curis, nec satis perfectam, sex contentam voluminibus in Casinate tabulario reliquimus, cuius etiam necrologii partem publicam Muratorius fecit (*a*), copiosiusque post eum, nec tamen integrum, Gattula (*b*), Guidonis mortem refert non pridie kalendas, sed IV. nonas aprilis. Ecce necrologii verba ipsamet: IV. *nonas aprilis obiit domnus Guido Pomposianus Abbas & fratres* (ita quidem in manuscripto codice) *nostre congregationis*. Eodem modo in Borgiano codice, cuius nos meminimus alibi, die ipsomet legitur: *Guido Pomposianus Abbas*. Ad haec Mabillonius, qui post Bollandum (*c*) Guidonis vitam a Pomposiano anonymo descriptam edidit (*d*), in qua, quae retulimus, verba legerat, quibus scilicet pridie kalendas aprilis sancti Abbatis indicatur mors, eam alias (*e*) ad IV. nonas ipsius mensis consignavit, leve fortasse dierum trium discrimen consulto negligens, quod ipso obitus illius tempore inductum iure nos iudicare possumus eo quod, aut nos fallimur, defuncto extra Pomposianum monasterium Guidone, emortualis diei ipsius vel exquisita notitia defuerit, vel potius mortis dies eocum confusus, quo Parmam fuisset corpus ipsius translatum. Interea factum est, ut, semel admisso eo discrimine, memoriam Guidonis ecclesiae aliae IV. nonas aprilis, aliae pridie kalendas eiusdem mensis facerent, quod inferius magis confirmabitur. Rem totam hanc referunt etiam Camaldulenses scriptores (*f*), ad annum MXLVI. his verbis: *Decessit in pace hoc anno pridie kalen-*

(*a*) Rer. Italic. scriptor. tom. VII. col. 939.

(*b*) Histor. Casinen. tom. II. pag. 850.

(*c*) Act. sanctor. ad 31. martii.

(*d*) Act. sanctor. s. Bened. to. VIII. pag. 448.

(*e*) Annal. Bened. tom. IV. pag. 472.

(*f*) Tom. II. pag. 99.

kalendas aprilis Guido ex sancti Severi classis olim praesule celeberrimus inde Abbas Pomposianus, eremiticae ad sancti Romualdi normam vitae impiger sectator & propagator in suo perillustri coenobio. Legationem ad ipsum paullo ante obitum direxerat Henricus III. ut occurreret nuntiis suis, quos in Italiam praemittebat, quoniam ipsius consilio omnia Imperatoris mandata implenda erant. *Valedicens igitur Guido monachis Pomposianis, & praedicens se eos non amplius visurum*, profectus venit Parmam in burgum, ubi altera die adventus eius, quo venit, illic coepit infirmari, die autem tertia defunctus est.

LII. Iam vero quum Guidonis nomen in Casinatibus necrologiis descriptum fuerit, & quidem statim a morte ipsius, argumentum nobis est certissimum mutuae spiritualis communicationis, sive societatis, quam cum eo, & forte cum universo Pomposiano monasterio Casinas archicoenobium religiose servaret. Id profecto ostendit mirifice non solum consuetudo perennis, qua in iis necrologiis una Abbatum Casinensium, monachorum, *benefactorum*, aut aliorum, quibuscum ea intercederet communicatio, nomina dumtaxat exscriberentur, verum etiam perspicua illa rem hanc exprimendi formula, quae in Casinensi necrologio legitur de Guidone: *Et frater nostre congregationis*. Sed haec nos alias dixisse meminimus.

LIII. Vita igitur functo sanctissimo Abbate, a monachis sociis itineris illud propositum est, ut in Pomposiam corpus deferrent, ibique servarent venerationis, suique amoris in eum aeternum pignus. Sed ubi uno vix lapide Parma longe abfuerint, caecus quidam obviam factus, dum illi itinere defessi aliquantisper quiescerent, quidnam secum ferrent, sciscitatus, atque respondentibus monachis, se ad Pomposianum monasterium Abbatis sui cadaver asportare, Deum maximum deprecatus est, ut tanti viri promeritis lumen ipsi restituere, quod iamdiu speraverat, singulari misericordia vellet; quod ipso puncto temporis factum est, & caecus vidit. Haec singula Pomposianus Guidonis biographus refert: *Reducentibus defuncti corpus fratribus, qui cum eo erant, in pri-*

mo

mo lapide urbis Parmae caecus occurrit: ubi dum paullulum subsisterent funus ferentes interrogantur a caeco, quid ferrent: Abbatis, inquiunt, Pomposiensis corpus ad propria referimus. Audierat caecus ille de viro illo multa, & praecipua. Nam fama eius bona Italiam totam repleverat, ideoque caecus, domine Deus, ait, si homo iste illius meriti est, cuius ego audivi, videam oculis meis, quod corde iam credidi.

Vidit mox caecus, clamat pro lumine laetus
Vere Dei servus, per quem sum lumen adeptus,
Quem praesens video, fueras sanctissime Guido.

Persequitur deinde auctor idem: *Stupent fratres funus ferentes patris, & licet laetarentur de Domini gratia, tamen timent prodito thesauro, quem portant. Exaltat caecus vocem suam, & inhibentibus monachis aerem totum replet clamoribus, & prae magnitudine gaudiorum non se continens quoscumque transeuntes invitabat ad laudes. Fit populi illico concursus, & personantibus ecclesiarum signis sine ministerio hominum, civitas universa terrebatur. Et comperto quid esset, se tarditatis accusat quisque si non primus adesset.... Quis tunc infirmus Parmam se contulit, & sanitatem non retulit? Quis claudus occurrit, & non erectus recurrit? Quis caecus advenit, & videns non rediit?* Verum mirabilibus hisce rebus factum est, ut desiderio affecti Parmenses cives penes se sacrum corpus habendi, illud ex non infrequenti temporum illorum consuetudine fuerint furati, suumque fecerint. Haec enim in actis translationis leguntur: Guidonis *sacratissimas exuvias tamquam pretiosissimum thesaurum fratres secum sumere nitebantur, sed Parmenses tam nobile depositum sibi adscribebant, unde fratribus ereptum honorifice tumulare statuerunt.* Et Pomposianus anonymus ait: *Diripitur corpus, & deflentibus monachis cives universi tripudiant.... Mansit autem corpus eius apud Parmam mensibus septem, in quibus dies rara pertransiit, quae prodigii munus non senserit; habuit enim unaquaeque dies pro quo ageret Domino laudes.* Et re quidem vera quum paullo ante Guidonis merita descripsisset auctor, haec praenotaverat: *Si quis vero de illius meritis potiora nosse desiderat, Parmam illum dirigimus; ibi docebitur ab habitatoribus*

tatoribus urbis illius, quanta potuerit, ac meruerit vivens, quanta potuerit, & contulerit apud eos etiam defunctus, de quibus nonnulla nos etiam notabimus.

LIV. Interea temporis iter suum persecutus Rex Henricus Romae anno eodem MXLVI. octavo kalendas ianuarias die natali Christi, dimisso regis titulo, coronam & nomen Imperatoris recepit una cum Agnete uxore sua a Romano Pontifice Clemente II. qui olim Bambergensis Episcopus, Suitgerus dictus, Pontifex electus fuerat in Sutriensi synodo, consecratusque die natali eodem, quum paullo ante in ea synodo a pontificatu depulsi coram Henrico ipso fuerint Benedictus IX. & Silvester III., seseque sponte abdicaverit Gregorius VI. Quum itaque Parmam ex itinere rediisset Imperator, vim a Parmensibus in eos factam illi exponere curarunt monachi, qui ea de re conquerentes extremo afficiebantur dolore. Praecepit Imperator omnino, ut Guidonis corpus ablatum Parmenses redderent; sed illud sibi comparare proposuit. Neglectis itaque vel ipsis monachis, quorum dolori nulla posset adhiberi consolatio, quum Guidonis corpus secum in Germaniam deferre animo recogitasset suo, iussit interea mense nimirum novembri anni ipsius MXLVI. illud in urbem Veronam Parma transferri, ubi in ecclesia s. Zenonis apud monachos illos depositum est, ubi etiam plura in dies miracula patrata sunt. *Venit tandem* Parmam *Imperator Heinricus*, ait anonymus, *qui iamdiu praestolabatur, & conquerentibus monachis aufertur corpus sanctum Parmensibus. Deinde Imperatoris iussu Veronam defertur, ubi in ecclesia sancti Zenonis depositum, quod Parmae contulit, etiam Veronae conferre non distulit. Nam cum ipsa die sui adventus quemdam curasset infirmum, die altera Zeno sanctus, quod iam a multis diebus non fecerat, curavit & alium. Sicque certantibus illis per dies plurimos, sine medicorum cura aegrotos suos sanos recepit Verona.* Eadem fere repetunt acta translationis, quae etiam Veronae enarrant factum, quod Pomposianus anonymus factum Parmae recenset, ut nimirum caecus lumen videret, & tintinnabula urbis absque ullo ministerio hominum personarent. *Superveniebat autem*

autem Henricus Imperator huius nominis tertius, & sacrum corpus vi fratribus ablatum Veronam transtulit, ubi in ecclesia sancti Zenonis honorifice deposuit. In qua prima translatione ut venerabilis patris sancti Guidonis merita apud Deum altissimum mundo demonstrarentur, voluit divina maiestas, ut quemadmodum in vita plurimis miraculis coruscare fecerat, etiam post mortem eius sanctitatem mundo faceret indubitatam. Dum enim in hac translatione sacrum corpus copiosa multitudo comitaretur, campanae ecclesiae a seipsis nullius hominis adiutorio laudem tanti viri insonabant. Quumque per plateas summa solemnitate portarent, obviam homo caecus dum quaereret tanti tumulatus caussam, eique responsum fuisset, afferri sacratissimum corpus sancti Guidonis, exclamavit: utinam ex suis meritis viderem meis oculis, qui etiam illius visum recepit, & palam sanctum Dei servum beatissimum proclamavit, cuius intercessione lumen adeptus est. Cadaloi Parmensis Episcopi operam non defuisse ea occasione Henrico Augusto, scribit Mabillonius (a) his verbis: *In Lombardiam postea revertens* Henricus, *Mantuae pascha peregit: tum Parmam progressus, quum illic aegrotasset, Cadaloi eius urbis Episcopo fodrum, & mansionaticum remisit, atque ab eo corpus Widonis, seu Guidonis Pomposiani Abbatis, qui maioribus in dies miraculis inclarescebat, accepit, Spiramque detulit.*

LV. Italicis demum rebus compositis, Alpes transgressurus Henricus Veronam venit, sacroque onustus thesauro, summo cum monachorum Pomposiae, totiusque Italiae detrimento, in Germaniam redit, & ubi pervenit Spiram, corpus Guidonis apud ecclesiam Spirensem sancto Iohanni Evangelistae dicatam, quae & s. Guidonis deinceps dicta est, consignavit, quamque aedificari praeceperat ipsius pater Conradus Imperator. *Henricus Imperator*, inquiunt translationis acta, *sacrum corpus Verona Spiram transtulit, & in ecclesia hodie collegiata pretiosissime tumulari fecit, unde hodiedum dicta ecclesia ob sacratissimarum reliquiarum praesentiam sub sancti Guidonis titulo gloriosissime floret, quae prius divo Iohanni Apostolo & Evangelistae sacra fuit. Itaque factum est, ut quemadmodum Conradus Impe-*

(a) Annal. Bened. tom. IV. lib. 59. §. 5. ad ann. 1047. pag. 482.

Imperator huius nominis secundus pro fundamento iacendo in primi lapidis collatione felix eidem ecclesiae dedit initium, ita per filium Henricum tertium a venerandis sanctissimi Guidonis reliquiis liberali manu sua praesentatis maiorem sumeret splendorem, & non indignum post tantam immutationem cognomentum.

LVI. Haec autem translatio non quidem anno MXLVI. quod aliquando coniectaverat Mabillonius (*a*), contigit, sed consequenti anno, quemadmodum ipse totius monasticae historiae archetypus deinde animadvertit (*b*) haud dubio testimonio innixus chronographi Saxonici, qui ad annum MXLVII. scribit: *Corpus sancti Widonis de Italia allatum est Spiram imperii sui* (nimirùm Henrici) *anno primo*, *regni autem* IX. *indictione* XV. Et Hermannus Contractus in chronicis suis ad annum ipsum haec ait: *Imperator beati Widonis Pomposiae Abbatis de Parmensi civitate Spiram secum transtulit*. Eumdem praesefert annum inscriptio a nobis mox adducenda. Ac demum translactionis acta, quae supra laudavimus, haec produnt: *Circa annum Domini millesimum quadragesimum septimum Henricus Imperator sacrum corpus Verona Spiram transtulit*.

LVII. Quo vero die haec fuit facta translatio? Trithemius quidem ait (*c*), eam obvenisse IV. kalendas maias, remque ostendit ex eo, quod translationis eiusdem festus dies penes Neometenses, qui Spirenses iidem sunt, quotannis die ipsomet celebraretur. Ast Trithemium alucinatum fuisse, iure & merito iudicavit Bollandus (*d*), & IV. kalendas maias scripsisse, quum IV. nonas mensis ipsius scribendum fuisset. In Spirensibus certo breviariis sacris hodiedum IV. nonas maias recensetur, celebraturque dies ille translationis, non secus atque antiquis celebrabatur temporibus, minime autem IV. nonas martias, quem errorem in Mabillonium (*e*) induxit, uti quidem censemus, typographus.

LVIII. Porro ubi Spiram pervenit sacrum corpus, recentibus adhuc miraculis Guidonis sanctitatem Deus illustratam, pate-

(*a*) Act. sanctor. ord. s. Benedicti tom. VIII. pag. 448.

(*b*) Annal. Bened. tom. IV. lib. 58. §. 94.

(*c*) Chron. Hirsaugien. ad an. 1046.

(*d*) Act. sanctor. ad 31. martii.

(*e*) Act. ss. ord. s. Bened. tom. VIII. pag. 448.

patefactamque voluit. Ea silentio pressit Pomposianus anonymus, quae Teutonicis narranda reliquit: *Iam vero quid Alpes transeundo*, ait, *quanta Spiram devectus miracula perfecerit, Teutonicis narranda permittimus: nam quemadmodum multa de eo non scribimus, ita cuncta eius miranda non vidimus, quae in longinquis fecit regionibus, vel iactantiam fugiens humanis non prodidit rumoribus*. Quum autem miraculorum eorumdem testes urbes appellasset Parmam, ac Veronam, vel Spiram ipsam in testimonium vocat his verbis: *Eorum, quae post obitum suum miranda perfecit, Parmam, & Veronam funeris illius baiulas, Spiram quoque tanti thesauri possessione ditissimam testes invocamus; ut si fides his non adhibetur, vel pauca, seu parva ducuntur, quae scribimus, valida videantur, & certa, quae tot, talibusque roborantur ex testibus*.

LIX. Sequentem inscriptionem marmoreo in tumulo sancti Guidonis, qui Spirensem illam exornat ecclesiam, temporibus suis lectam scriptis prodidere Pistorius, & Heisengremius, atque in eo sculptam:

HIC REQVIESCIT CORPVS S. GVIDONIS
ABBATIS.

Alia etiam in ipsa ecclesia legebatur inscriptio:

HENRICVS III. ROMANORVM IMPERATOR
CORRADI II. IMPERATORIS FILIVS
CORPVS S. GVIDONIS IN HANC AEDEM
TRANSTVLIT ANNO MXLVII.

LX. A morte autem Guidonis, quam tot miraculis Deus illustrem fecerat, atque conspicuam, uti superius enarravimus, accessit statim publica ecclesiastica auctoritas, quae caelitum honores ei assignavit, & illum christianorum cultui, ac exemplo proposuit. Acta apotheosis ipsius, quae *canonizatio* vulgo ab ecclesiasticis scriptoribus dicitur, deperdita sunt, neque ad nos pervenere, quemadmodum & aliorum quamplurium eorum temporum acta similia magno damno consumpta, quos tamen non secus atque Guidonem inter sanctos homines colimus, ac veneramur, & quidem approbato ab ecclesia cultu religioso. Petrus Damianus ad Henricum

cum Ravennatem Archiepiscopum, qui suffectus Gebehardo fuerat, scribens (*a*) anno MLII. sex scilicet annis post Guidonis mortem, eum admonuit, ut, quantum posset simoniacorum genus exstirparet, non adeo tamen ut permitteret, sacras ordinationes ab iis factas irritas iudicari, & cassas, quod falso, & extra modum opinabantur nonnulli. Inter reliqua vero Damiani argumenta hoc est praecipuum: *Quid enim quod nonnullos venerabiles viros, quos constat proculdubio a simoniacis ad sacerdotium provectos, & usque ad obitum novimus offerendis indesinenter sacrificiis institisse, & nunc perspicue videmus insignibus miraculorum virtutibus coruscare? nostra quippe aetate beati viri, videlicet Rondaldus Camerinensis, Amitus* (*b*) *Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & quamplurimes alii sanctae conversationis studio floruerunt: super quorum videlicet veneranda cadavera ex sacerdotalis auctoritate concilii sacra altaria sunt erecta, ubi nimirum divina mysteria miraculis exigentibus offeruntur*. In haec Damiani verba cum Baronio (*c*) animadvertere iuvat, frequentiorem ceteris ritum, ac disciplinam servatam iis saeculis in *canonizatione sanctorum* fuisse, ut altare erigeretur, super quod publica auctoritate interposita divina celebrarentur mysteria ad illius honorem, qui fidelium deinceps proponeretur cultui. Non aliter reapse paullo ante se gesserat Vercellensis Episcopus Ardericus erga s. Baronium Abbatem (*d*). Quum itaque tam perspicuum nobis de Guidone Pomposiano Damiani testimonium sit; nullus relictus videtur dubitandi locus, synodali decreto altare erectum, in quo sacrificium Deo fieret honorificum Guidoni. Quapropter colligere etiam licet, publicum, solemnem, atque authenticum ei cultum religiosum fuisse vel a primis post mortem ipsius annis numquam interrupta consuetudine ad nostram usque aetatem non solum in Pomposiano monasterio, in quo celebratus semper fuit, celebraturque hodiedum festus dies Guidonis a monachis s. Be-

(*a*) Opusc. VI. cui titulus *gratissimus* cap. 29.

(*b*) Hoc est *Amicus*.

(*c*) Annal. ecclesiast. ad ann. 993.

(*d*) In vita s. Bononii apud Mabillon. saeculo VI. par. I. pag. 240.

s. Benedicti Ferrariae, qui ex eo excisi sunt, ritu *duplicis minoris*, ut loqui consuescimus, & quidem pridie kalendas aprilis, sed etiam in ecclesia Ravennate IV. nonas eiusdem mensis eodemque ritu, & in collegiata Spirae sanctorum Iohannis Evangelistae & Guidonis die ipsomet, quo Pomposiani, *ritu duplicis maioris*, atque *officio divino* recitato, quod eidem sancto proprium est. Sed & in ecclesia eadem Spirensi solemnis habetur memoria quotannis IV. nonas maias factae translationis corporis sancti Guidonis, & quidem liturgia sacra adhibita tum in *missae* sacrificio, tum in canonicis horis propria, rituque servato *duplicis primae classis* cum octavi diei celebratione. Preces huiusmodi, atque liturgiam in diplomaticum codicem nos transtulimus.

LXI. Iamvero ubi *auctoritatem sacerdotalis concilii* Damianus commemorat, non intelligendus videtur dumtaxat de cuiuslibet peculiaris ecclesiae auctoritate, sed potius apostolicae sedis, Romanaeque ecclesiae auctoritatem indicasse dicendum est. Iis namque temporibus uni iam fere Romanae ecclesiae reservata sanctorum apotheosis erat, neque amplius pendebat res ex acclamatione populi, vel ex privatae ecclesiae consensu, quemadmodum retroactis fuerat in usu temporibus. Hoc quippe modo facilius prudenti quidem consilio immoderato saepius, inconsultoque populi studio obstitere maiores, praepedieruntque, ne vitium aliquando sub virtutis specie publico committeretur cultui, decoraretur honore. Praescriptionem hanc canonicam fecit Alexander III. Romanus Pontifex (*a*), ut erudite notavit Christianus Lupus (*b*), ubi saltem Alexandrinum decretum in publicum iuris canonici corpus ab Gregorio IX. Romano itidem Pontifice inductum fuit. Re quidem vera Damianus enarrans (*c*), Romualdum quinquennio a morte inter caelites a Christianis excultum, testis nobis est, super eius corpus altare constitutum fuisse, tradita ab Romana ecclesia facultate: *Data monа-*

(*a*) Lib. III. decretal. tit.40. cap.1.
(*b*) Tom. III. scholior. pag.567.
(*c*) In vita s.Romualdi §.105. apud Mabillon. act. ss. ord. s. Bened. tom. VIII. pag.276.

monachis ab apostolica sede licentia, *ut supra venerabile corpus eius altare construerent*. Apostolicam hic sedem certe Damianus indicat, quum alias de Guidone loquens, ac de Rondaldo, aliisque dixisset *sacerdotalis concilii auctoritatem*, quae tamen verba uni Romanae ecclesiae ex suae aetatis more aptanda videntur eo vel magis, quod *Rondaldus* ille, qui depravate hocce pacto legitur in operum Damiani recensione a Constantino Caietano Abbate Casinensi composita, quemque *Ronaldum* dixerat Baronius (*a*), non alius censendus est ab ipsomet sancto *Romaldo*, vulgo *Romualdo* Abbate, de quo eo loci Damianus ipse loquitur. Id semel innuit vel Mabillonius noster (*b*), qui Camerinensem dictum a Damiano Romualdum censet ab urbe Camerte, in cuius dioecesi mortuus est, nimirum in monasterio vallis de castro, quod ab eo conditum fuerat. Dubia nonnulla in hanc rem excitarunt quidem docti Camaldulenses scriptores (*c*); sed nihilominus tandem Mabillonii sententiam intactam reliquere, uti eam nos relinquendam iudicamus. Ea autem admissa, haec ad propositum hocce nostrum subdunt viri clarissimi: *Licentia apostolica erigendi altare super venerandum Romualdi corpus roborata fuisset auctoritate etiam sacerdotalis concilii*, *ut colligitur ex supralaudato Damiani testimonio*. Igitur, teste Damiano, hic monachis data facultas est, super sacrum Romualdi corpus altare erigendi; alibi vero hoc ipsummet de Romualdo eodem, deque sanctis Amico, Guidone, atque Firmano factum dicitur *ex sacerdotalis auctoritate concilii*: argumentum evidens, non tam *sacerdotalis concilii auctoritatem* Romanae ecclesiae decreto accessisse, quod laudati affirmarunt Camaldulenses, quam potius *auctoritatis sacerdotalis concilii* nomine Romanam ipsam ecclesiam vere proprieque intellexisse Damianum.

LXII. Quin tempus etiam nobis licet coniectare, quo id factum fuerit, ex vetusto manuscripto Suaviciniensis monasterii codice, quem praeviis observationibus edidit Octavius Tur-

(*a*) Annal. ecclesiast. ad ann. 1029. tom. XVI. & ad ann. 1052. tom. XVII.

(*b*) Annal. Bened. tom. IV. p. 530.

(*c*) Annal. Camald. tom. II. p. 35.

Turchius penes Camaldulenses ipsos (*a*), quemque ad saeculum XI. omnino pertinere censuit homo doctus. In *litaniis* enim codicis eiusdem una cum sanctis aliis invocatio legitur sancti Guidonis hoc modo: *s. Wido or.* Ad quod attendens Turchius haec notat: *quem non alium puto, nisi celeberrimum Pomposianum Abbatem, cuius precibus sanctus Petrus Damiani cum adhuc in Avellanensi coenobio degeret alumnus, ad illius monasterii se contulit coenobitas instruendos*. Codicem hunc Suavicíniensem Dominico Loricato dono Damianus dederat in eremi illius usum, quae satis verosimiliter anno circiter MXLIX. condita fuit (*b*), constituto in eadem Suaviciniae eremo ab ipso Damiano in *praepositum* Loricato eodemmet (*c*). Iam vero Loricati mortem ante annum MLX. obvenisse ostendunt Camaldulenses iidem (*d*). Dicendum itaque est omnino, sanctum Guidonem statim ab eius morte inter caelites adscitum, eique datum religionis cultum, ac publicis invocatum precibus non post annum MLX. immo etiam ante annum MXLIX. quo Suaviciniensis codex iste iam conscriptus certe quidem fuerat.

LXIII. Accedit ad haec, Guidonem reapse ab immemorabili tempore sanctum fuisse habitum atque excultum. Hinc in Pomposianis tabulis, ubi eius mentio est, perpetuum sanctus dicitur. Sic anno MCLXXX. aut circiter commemorantur quaedam antiquae a Guidone locationes factae in fundo Bauriae, quarum nonnullas suo loco & nos recensebimus, & a notario semper *Guido sanctus Abbas* nominatur. Quinimo in actis visitationum anno MCCCXXXVIII. iubetur, ut in ecclesiis sancti Petri de collice Cenetensis dioecesis, s. Martini de fana dioecesis Concordiensis, & s. Mariae de Pomposia in urbe Mutina, quae iuri Pomposiani monasterii subdebantur, pingeretur effigies s. Guidonis una cum altera sancti Benedicti: *Monemus etiam dictum Abbatem sub dictis penis quatenus usque ad unum annum proxime venturum pingi faciat ante portas dicte eccle-*

(*a*) Annal. Camald. in append. pag. 303.

(*b*) Vid. annal. Camald. tom. II. pag. 105.

(*c*) Vid. ibid. pag. 212.

(*d*) Ibid. pag. 223.

ecclesie figuras beatorum Benedicti, & Guidonis Abbatum, quas revera adhuc in Pomposiano, quod superest, *capitulo* exstare, superius observavimus, antiquissimo tempore depictas. Exstat in Pomposiano tabulario index rerum, quae anno MCCCCLVI. Pomposiana in ecclesia exstabat; inter reliqua vero: *Item una anchona più lunga de l altaro da uno co la figura de sancto Benedicto d altro San Guido, in mezo la verzene Maria con el fiolo.* Sic etiam anno MCCCCLXII. kalendis ianuarii facta a Raynaldo Maria Atestio commendatario, atque administratore Pomposiani monasterii assignatione bonorum monachis in eo degentibus pro eorum victu una cum constitutionibus nonnullis observandis ab iisdem, haec in fronte leguntur: *Gloriose virginis matris & beatissimi patris Benedicti: ac sanctissimi Vidonis istius vestre congregationis olim Abbatis coadiuvantibus sufragiis.* Et inferius: *ad Dei laudem & beati patris Benedicti, atque Vidonis.*

LXIV. Praeterea certum est, Pomposianos monachos in Guidonis honorem antiquis etiam temporibus sacras, quae in *divino officio* continentur, preces recitasse. In huius rei testimonium non solum permanentem adhuc possumus proferre consuetudinem, traditionemque maiorum, sed etiam praecipue die festo Guidonis hymnos sacros tres, qui ad nocturnas, matutinas, vespertinasque preces praecinerentur, quosque legere etiamnum licet in manuscripto codice saeculi XIV. aut sequentis membranaceo signato littera L, qui in praesentia ad ecclesiae sancti Benedicti Ferrariensis chorum pertinet, sed pertinebat olim ad Pomposianum monasterium, cuius & insignia adhuc apparent, prima videlicet in codicis pagina aurea stella in area caerulea minio pulcherrime depicta, circumscriptaque aurea vox *Pomposia*. Hymnorum huiusmodi, quos in diplomatico nostro codice dabimus, stilus undecimum redolet saeculum, quod ii non noverint uni, quibus temporum illorum non sapiat palatum. Eapropter ex hoc vel ipso argumentum nobis est, non longe a Guidonis morte ipsius nomen Pomposianos hymnis illis celebrasse. Sed ii priscam obtinentes simplicitatem obsoleverunt iamdiu, maxime

emen-

emendata, instaurataque tum *breviarii*, tum *missalis* sacra liturgia: adeout nostra aetate integrum de sancto Guidone *officium divinum* in Pomposiano monasterio sancti Benedicti Ferrariae, quin & in Ravennate ecclesia desumatur omnino ex *communi*, ut vulgo dicitur, *Abbatum*.

LXV. Optandum profecto summopere esset, ut, quo cultus Guidoni debitus magis magisque excitaretur, augereturque, cuius etiam virtutes eximiae perfectius a nobis exprimerentur, ipsius certe vita compendio die eidem festo *divinis* in *officiis* legeretur, ut Spirae factum diximus superius. Eapropter revera anno MDCCLXII. XV. kalendas maias excogitatum est a Pomposianis monachis sancti Benedicti Ferrariae sacrae rituum congregationi Romae supplicem libellum porrigere, a qua facultas liturgiam sancto Guidoni propriam peragendi impetraretur non solum die festo eodem, verum etiam die translationis ipsius, cuius & elogia recitarentur in Romano martyrologio iuxta Spirensis ecclesiae liturgiam, quin & festum ipsum ab ritu *duplicis minoris* ad alterum maiorem erigendi. Pio tamen consilio morae iniectae. Quum enim Romanae ecclesiae primum decretum haud supersit, quo religiosi cultus donatus fuerit Guido, atque in honorem ipsius liturgia peracta, uti superius dictum est, dubitatum fuit, & factus metus, ne liturgiae ipsius usum sacra congregatio ultra vetaret. Hinc res tota silentio tunc tradita, non tamen adeout, illa suspicione summota, quod ex dictis fieri facile posse confidimus, resumendum negotium non sit, ea profecto spe, ut Pomposianis res bene cedat in posterum.

LXVI. Quum autem Henrici Imperatoris iussu, & opera sancti Guidonis corpus translatum in Germaniam fuerit, Spiraeque depositum, factum est, ut tanto thesauro non solum destituta quereretur Italia, sed etiam sacris eius quantuliscumque reliquiis privata: quo maxime defectu retroactis saeculis Pomposiani angerentur graviter. At tandem adfuit benignissimus Deus, eorumque nostra aetate annuit vehementissimis votis, quum studio, atque pietate usus Mauri Squarzonii Ferrariensis sancti Benedicti Ferrariae in praesentia

Abba-

Abbatis, cuius & alibi nos meminimus, aliqua saltem thesauri ipsius parte illos ditatos voluit. Commorante enim eo in Florentino monasterio Mariae virgini dicato, quod vulgo *la badia* vocatur, inivit forte fortuna cum doctissimo, atque in litterarum republica notissimo Anselmo Desinghio publico Salisburgensi antecessore, Benedictinique instituti monacho Germano amicitiam, qui anno MDCCLI. Florentiam se contulerat, excogitavitque tanto uti viro, quo ab Spirensi ecclesia sacrarum Guidonis reliquiarum partem consequeretur, quam ad monasterium suum sancti Benedicti Ferrariae destinaret. Anno itaque consequenti MDCCLII. ad idem monasterium ipso redeunte, litteras Desinghio dedit pridie kalendas septembris satis doctas, & opportunas, quibus respondit Desinghius anno eodemmet V. kalendas ianuarias. Hoc inter eos fuit litterarii commercii initium, quod habuit exitum multo felicem. Accessere interea curae primo quidem Francisci Mariae Riccii Romani Abbatis tunc sancti Benedicti, atque percelebris versificatoris, maxime vero Polignacchiani anti-lucretii Italica metrica versione celebratissimi; tum eius successoris Alexandri Zuccaninii Locatellii Bergomensis: qui litteras ad rem dedere, receperuntque passim, quarum nonnullas nostro diplomatico codici insertas lector comperiet. Tandem eo res deducta fuit, ut anno MDCCLV. XVIII. kalendas septembris thecam obsignatam sigillo Desinghius miserit ad Riccium eumdem Abbatem cum epistola, quae, monachis exsultantibus singulis, ad s. Benedicti pervenit XIII. kalendas decembris anni eiusdem, quem diem aeternum memorabilem habeant Pomposiani. Ea in theca Guidonis continebantur iamdiu exspectatae, optataeque reliquiae: *Mitto scatulam*, scribebat Desinghius, *s. reliquiae s. Hugonis* (nimirum Guidonis) *Abbatis per manum Illmi d. comitis Iosephi de Lamberg ad collegium Romanum proficiscentis canonici Passaviensis*, *spe fretus securo itinere perventuram ad tuas reverendissimas manus*.

LXVII. Itaque pridie kalendas aprilis sacro Guidoni consequentis anni MDCCLVI. coram Vincentio de Aqua generali vicario Marcelli Crescentii S. R. E. Cardinalis, ac Ferrariensis

Archiepiſcopi theca reſignata, atque recognita una cum ſigillo, ſubſcriptaque de authenticis reliquiis teſtificatione publici notarii. Continebat autem coſtarum partem quinque circiter in longitudine digitorum, quam denuo Vicarius ipſe eadem in theca locavit proprio munita ſigillo, quo deinde nova argentea theca reconderetur, quemadmodum reapſe anno MDCCLVII. VI. idus aprilis, impetrata antea Archiepiſcopi facultate, idem Riccius Abbas praeſtitit, obſignataque theca Archiepiſcopi ipſius ſigillo ab cancellario ſuo, & recens demum rei certa teſtificatio facta in authentica forma, quae in Pompoſiano tabulario ſervatur. Ea vero occaſione particula primo tanti theſauri parti auctori conceſſa, ſcilicet Squazonio, parvaque fragmenta alia Riccio Abbati donata; ac cancellario.

LXVIII. Ad reliquias comparandas huſmodi uſus Deſinghius fuerat amicitia, & opera *baronis* de Beroldiq Germani alterius Spirenſis canonici, ut ipſe teſtatur ad Squarzonium ſcribens. Alia etiam ad Riccium data epiſtola anno MDCCLV. pridie idus auguſti haec ſcribebat de ſancti Guidonis corpore: *Sacrum depoſitum apud ipſos* (canonicos Spirenſes) *iniuria temporum diſtractum eſt*, *adeout pauca ſuperſint*, *ipſumque ſacrum caput incendio anni* MDCLXXXVIII. *penitus deperditum fuit*. Et deinde: *In hac igitur ſcatula eſt munus impetratum pro nobili monaſterio veſtro*, *extractum Spirae iuſſu Epiſcopi*, *ac principis illius loci ab ipſius ſuffraganeo*, *conſenſu d. praepoſiti*, *atque canonicorum eccleſiae collegiatae ſanctorum Iohannis Evangeliſtae*, *& Guidonis Abbatis*. Quum vero anno eodem in ſuperius laudata epiſtola ad Riccium data XVIII. kalendas ſeptembris de gratiis agendis a Pompoſianis monachis praepoſito, decano, capitulo collegiatae ipſius pro tanto accepto beneficio ſcripſiſſet, ſtatim, IV. ſcilicet idus novembris iis mittentes litteras Abbas, & monachi, maximae pro ea re gratae habitae ſunt, atque repenſae: *Votorum itaque compotes effecti*, inquiunt, *quodque iamdudum enixe optavimus*, *tandem aliquando nacti*, *ſacro nimirum pignore potiti*, *terque illud exoſculati*, *vobis omnibus*, *ſinguliſque*, *viri ornatiſſimi*, *quantas ipſi praegeſtientes animis*

mis possumus gratias & agimus, *& habemus pro collato in nos beneficio hocce immortali*, *quod memoria colemus idcirco sempiterna*. Non absimili modo Squarzonius gratias Desinghio egit anno eodem XV. kalendas decembris, iterumque anno sequenti VIII. idus iunias, eum certiorem reddens, *munus sacrum iam obtentum in theca argentea affabre elaborata* locatum, *diemque solemnem sacra ac singulari pompa celebrare* aggressos fuisse Pomposianos; qua etiam occasione sacram liturgiam, *qua utitur Spirensis ecclesia in die festo colendo sancti Guidonis* ab Desinghio exquisivit sibi transmittendam Squarzonius. Verum quum maxima locorum fortasse distantia id fieri haud facile fuerit, Zuccaninio memorato Abbati propositum est, ea de re ad Episcopum Spirensem litteras dare anno MDCCLXI. III. nonas iunias, quibus illum exoravit, ut *authenticum exemplar mitteret actorum omnium sacrae liturgiae*, *queis in divinis officiis persolvendis*, *& in sacrosancto missae sacrificio celebrando utitur clerus ss. Iohannis Evangelistae & Guidonis tam in die festiva*, *quam in altera translationis eiusdem*; *sicuti etiam exemplaria elogiorum*, *ut aiunt*, *quae respective habentur*, *& leguntur in martyrologio eiusdem ecclesiae pridie dies supra enuntiatos. hisce authenticis exemplaribus*, *quae ab humanitate tua enixe expostulo*, *facilis mihi patebit via ad obtinendam a sacra rituum congregatione facultatem celebrandi eadem officia in hac nostra ecclesia iuxta Spirensem liturgiam*. Episcopus vero, & princeps Spirensis Franciscus Christophorus de Hutten, qui interea temporis S. R. E. Cardinalis electus fuerat, votis obsecutus Abbatis, monachorumque Pomposianorum, ad eos datis responsis officio, atque humanitate plenis X. kalendas octobris anni ipsius, acta etiam singula liturgiae, quae expetierant illi, misit authentica fide munita F. L. Schnellm apostolici protonotarii, & Spirensis collegiatae canonici, atque Episcopi eiusdem consiliarii ecclesiastici. Hisce redditis, epistolis, quum inopinate interea decessisset Zuccaninius, Antonius Bissius *Prior*, uti dicitur, atque monasterii administrator gratias eminentissimo viro debitas egit VIII. idus martias anno MDCCLXII. servataeque chartae fuere omnes

 in Pom-

in Pomposiano tabulario, e quo eas nos exscripsimus, atque in nostrum diplomaticum codicem transtulimus.

LXIX. Verum non unum est in Italia nostris temporibus Pomposianum monasterium, quod maximo reliquiarum sancti Guidonis thesauro fruatur, exorneturque. Monasterium etiam sancti Apollinaris in classe Ravennae eodem gaudet cum Pomposiano honore. Rem totam referunt Camaldulenses scriptores novissimi his verbis (a): *Occasione monasterii sancti Severi in classe Ravennae merita laude fraudandus non est domnus Seraphinus Concelmani Bononiensis, Abbas sancti Apollinaris in Classe, cum quo illud sancti Severi est unitum, qui annis elapsis deterso squallore, quo obsita erat basilica eius coenobii sancto Ravennati Archiepiscopo Severo dicata, fartis tectis aedificiis, ara quoque ex perpolito lapide restituta, & imagine etiam apposita sancti Guidonis Sanseveriani, antequam ad Pomposianam abbatiam evocaretur, monasterii olim praesulis, praesenti anno* MDCCLXXV. *Nicolao Oddio apostolicae sedis apud Coloniensem Electorem Legato operam praestantem, basilicam ditavit insigni eiusdem sancti Guidonis reliquia, qua donatus fuit a Francisco Christophoro de Hutten S. R. I. Principe, & Episcopo Spirensi, apud quam urbem translatum ab Henrico III. Imperatore corpus sancti Abbatis praemonuimus ad annum* MXLVI. Quin una cum Guidonis reliquiis & actorum sacrae liturgiae eidem propriae exemplar Amadesio Ravennatis Archiepiscopi a secretis, & inter litteratos notissimo anno MDCCLVIII. IV. idus martias e Colonia urbe idem Oddius misit, quod monachis Classensibus traderetur quodque perbene concordare cum exemplari ad Pomposianos transmisso, de quo diximus supra, ab Iordanio Classensi monacho studioso rerum istarum investigatore novimus opera usi Gregorii Bortolettii Casinatis sacrae theologiae antecessoris in Ravennati monasterio sancti Vitalis.

CO-

CODEX
DIPLOMATICUS
POMPOSIANUS

AB ANNO DCCCLXXIV. AD ANNUM MXLV.

CODEX DIPLOMATICUS
POMPOSIANUS

I.

Fragmentum epistolae Iohannis Papae VIII. ad Ludovicum II. Imperatorem anno 874. 29. *ianuarii*

Ex Balutio miscellan. tom. v. pag. 489.

NAM *monasterium sanctae Mariae in Comaclo*, quod *Pomposia* dicitur, & *monasterium s. Salvatoris in monte Feretri*, aliudque *monasterium*, quod vocatur *sancto Probo*, atque colonos in *territorio Ferrariensi*, & *Adriensi*, & *Gallicata*, & *Faventillam Ravennati Archiepiscopo* non abstulimus, sed ea monasteria, & loca ab antecessoribus nostris possessa reperientes possedimus, hactenusque iure proprio retinemus. Alia quoque loca, & villas, & praedia, de quibus aliquam functionem, & dationem eadem ecclesia deinceps recipiat. Et quia eidem ecclesiae alia loca nec tulimus nec occupari fecimus, habeat quae hactenus habuit absque praedictis locis, idest *Gallicata*, & *massa Faventina*, & absque praefatis monasteriis, quousque in praesentia nostra & ipsa loca, quae sua esse putat, nostrae potius ecclesiae lege & ratione pertinere omnimodis cognoscatis. Datum IIII. kal. febr. indict. VII.

I I.

Donatio bonorum facta ab Ingelarda comitissa Petro diacono Ravennati filio suo anno 896. 8. *septembris*.

Ex Murator. antiq. medii aevi tom. I. col. 153. *& seqq.*

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Anno Deo propitio, pontificatus domni *Stephani summi Pontificis* & universalis Papae in apostolica sanctissima beati Petri sede primo, sicque imperante domno piissimo P. P. *Lamberto*, a Domino coronato pacifico magno Imperatore, anno quarto, die VIII. mensis septembris, indictione XV. *Ravenne*. Si enim circa eos, a quibus esse servitia quisque accipiunt, quod extranea carnis consistunt, digna dona praebenda ei, quanto ampliusque diffusius dignissimum esse amplissima dona conferre ei,

qui

qui carnali consanguinitate unita & quotidiana incessanter & nocturna impendere non desinunt. Qua de re ego pro omnipotentis Dei clementia *Ingelarda* filia *Apaldi comitis palatii*, profiteor per hanc mee vocis, cessionis, donationis, translationis, & perpetualis translationis tibi presenti *Petro* venerabili *diacono* sancte *Ravennatis ecclesie*, dulcissimo & suavissimo filio meo, tuisque heredibus in perpetuum, absque hereditario nomine, & velut externe persone, eo quod habere & detinere videor, tam maiora propria, quamque & conducta, seu & testamentario iure quondam *Martino* glorioso *duci*, & suavissimi viri mei, seu ex me comperationis seu acquisitionis caussa: ideст in *territorio Faventino* &c. &c. Similiter & do tibi dilectissimo filio meo similiter absque hereditario nomine, in *vico Cumiaclo* & territorio & ducatu eius, in omnibus generibus & speciebus, excepto casale, ubi residere visus fuit *leo*, qui vocatur *albo*, & quatuor que fuerunt quondam bone memorie *Gregorio duce* socero meo: & *quinto maiore*, quod ad iura *sancte Marie in Pomposia* videor habere, & duas partes in *cornacervina*, ac etiam partem in *finale*, que omnia innovanda sunt a suprascripto monasterio. Item quod postremo dono &c. &c.

III.

Emphyteusis facta ab Honesto Abbate ss. Iohannis, & Barbatiani Ravennae anno 932. 18. aprilis.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domni *Iohannis summo Pontificis* & universali Pape in apostolicam sacratissima beati Petri sede secundo regnante *Ugone* die octavo decimo mensis aprilis indictione sexta Petimus a vobis *Onestus subdiaconus* civitatis *Ravenne* & *Abbas monasterii sancti Iohannis* & *Barbacianis* ista civitate *Ravenne* una cum & *Iohanne de Ferraria* uti nobis presente *Ugone*, & *Berta clarissima femina* iugale nos nostrisque filiis & nepotibus per enfiteuticario iure ad presenti die concedisti nobis rem iuris vestri monasterii, ideſt omnes sortes & porciones vestras in integrum quantascumque ante os dies tenui quondam *Iohannis* qui vocatur *de Ferraria* & coniugem suam cum suis heredibus qui exposit in corum vocabula sunt in fundo qui vocatur *monesteriolo* fini ipsa plebe infra *plebem sancte Marie in Tiveriaci territorio Corneliensi* cum vineis campis pratis pascuis silvis salecti acinalibus cum arbustis arboribus & cum omnibus sibi pertinentibus cum suis iustis & certis in terra finibus qui lia fuerunt vel ab origine fuerant toto & populi finibus te vel omnibus ad eosdem pertinentibus dum nos supradictis *Ugone* & *Berta clarissima femina* iugales seu filiis & nepotibus nostris divina gracia in ac luce iusserit per-

permanere vitam concedisti nobis eam habendum tenendum defensandum & in omnibus meliorandum & ex nostris propriis expensis seo laboribus nihilque domnice racionibus imputare debeamus nos nostrisque filiis & nepotibus vos vestrisque successoribus indesinenter & hanc paginam peticionis nostre singulis quibusque annis infra indictione denarios ses tantum ut dictum est persolvatur & post transitum nostrum cum supradictis nominatis nostris filiis & nepotibus nostris vos vestrisque successoribus munimine expletum quando Domino placuerit tunc omnibus sicut supra legitur cultas defensatas restauratas & in omnibus melioratas reverta ad ius dominiumque supradicto vestro monasterio & proprietates revertatur promittentes pro presente temporibus diebus vite nostre nos nostrisque filiis & nepotibus vos vestrisque successoribus qui vestra infiteusin inviolate & inviolabiliter modis omnibus conservare & adimplere promittimus si & aliqua controversia per qualecumque ingenium facta fuerit & ec vestra peticio nomine de futuro prevaluerit tunc daturi nos promittimus nos supradictis *Vgo* & *Berta clarissima femina* iugale fiiis & nepotibus nostris ante omne litis initium aut interpellacionem pene nomine auri obrizo uncias duas & post pene solucionem manente ec peticio in sua valea persistere firmitate. Quam vero paginam fraude vi metum & circumvencionem testante *Petrus tabellio* civitatis *Ravenne*

✠ Signum manus Ugone petitore

✠ Signum manus *Berta* iugale petitrice ad omnia supradicta cui relectum est.

Adelberto uic pagina peticionis sicut supra legitur rogatus teste fui & subscripsi.

Amavili uic paginam peticionis sicut supra legitur rogatus teste fui & subscripsi.

Amelricus uic paginam peticionis rogatus teste fui & subscripsi.

Petrus tabellio civitatis *Ravenne* scriptor uius paginam peticionis sicut supra legitur post roboracionem testium complevi & absolvi.

Noticiam testium idest

Adelbertus ut supra teste.

Amavili ut supra teste.

Amelricus ut supra teste.

I V.

Emphyteuticus libellus Paulli Episcopis Liviensis, & Abbatis s. Mariae in xenodochio Ravennae 939. 4. octobris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Stephani summi Pontificis* & universalis Pape

 in apo-

in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede primo & domno *Ugone Regis* anno quartodecimo, & domno *Lotharius* item *Regis* eius filius anno decimo die quarto menſis octuber indictione tercia decima *Ravenne*. Petimus a vobis domno *Paullo* per Domini miſericordiam vinerabilis *Epiſcopus ſancte Livienſis eccleſie* & *Abba monaſterii ſancte Dei genitricis virginis Marie* qui eſt fundata in ſuperiore domi que vocatur *imperialis* & *xenodochio* una cum conſenſum cuntis deſervientibus eiuſdem monaſterii uti nobis *Ceſario* qui vocatur *de curulo* ſeo filiis & nepotibus tuis livellario nomine concedo & largior, atque conferimus vobis rem iuris ſupradictis monaſterii noſtris & *xenodochii imperialis* ideſt omnes ſortes & porciones principales in integrum quantaſcumque fuit de *Leo* qui vocabatur *Titulo de Ferraria* & que nos modo ad manibus noſtris in domnicata tenere videmus qui eſt poſſita in fundo *ſalepta* qui vocatur *caſtelana* in terra fines de is omnibus ut ſupra legitur ab uno latere *curulo* percorrentem & ab alio latere *ſaletta* qui vocatur *guidoni* tercio latere media *foſſa* que vocatur *gradicaria* percorentem atque a quarto latere *maſſa* que vocatur *ruvina* cum terra campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacionalibus arbuſtis arboribus & cum omnibus ad eaſdem pertinentibus *territorio Ferrarienſe plebe ſancti Georgii* qui vocatur in *tamara* abendum retinendum cultandum laborandum defenſandum vos aut omine veſtro ſuperſedendum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum ſalvas ſanacionem domnico dando ita ſane ut inferatis domnice racionibus mihi meiſque ſubceſſoribus de ſupradicto monaſterio ſingulis quibuſque annis hoc eſt terratico tritico faba ſicelo de lavore maiore ſeminato atque ligumina vel omnem & ex omnibus modio nono etſi vineam paſtenaveritis redere exinde debeatis ſecundum inter locos exenio vero per unoquoque anno puilo uno grano ℔ X. quartario uno lino manna nona. Sed ut vero omnia & in omnibus per vos ſupradictis petitoris unquam ad *ripam Padi* ubi nave domnica noſtra potuit pervenire maioreque domnico noſtro vel noſtrum dominacionem cummonere & obediencia ſurripere debeatis & ſubreptionem ei facere & brachiaticum ei perſolvere ſine dono vel fraude. Si quis vero pars noſtrum contra hos livellos ire temtaverimus antequam fines tempus ſicut ſupra legitur det pars parti fidem ſervante ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine uncias duas & poſt pene ſolucionem hos livellos in ſuo rubore per eos vero libellos in uno tenore conſcripto. *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *curialis* chuius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavimus unum alterius nobis contradimus quod conſecutis agunt Deum & maxima gratiam.

Paullus Dei omnipotentis miſericordia humilis *Epiſcopus ſancte Livienſis eccleſie* & *Abbas monaſterii ſancte Marie xenodochi imperialis* in hoc libello ſubſcripſi.

V. *Li-*

V.

Libellus emphyteusis Honesti Abbatis ss. Iohannis & Barbatiani Ravennae anno 953. 15. octobris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Agapiti summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quinto sitque regnante *Berengarius Rex* anno secundo die quinto decimo mense octuber indictione undecima in *territorio Corneliensi plebe sancte Marie castro* qui vocatur *Tiberiacis* in loco qui vocatur *puozo*. Petimus ad vobis *Honesto subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie* sit filius quondam *Iohannis Dativus* & pater eius & *Abbas monasterii sanctorum Iohannis & Barbaciani*, uti nobis *Isenardo* qui vocatur *Bonezo* filius quondam *Iohannis* seu filiis & nepotibus meis per infiteuticario iure a presenti die concedistis nobis rem iure predicto monasterio vestro idest omnes sortes & porcionem ad que pertinenciam vestram in integrum de quantacumquam ego iam dicto *Isenardo* petitore ad manibus meis detinere & laborare viso sum ad predict. . . . monasterio vestro & que mihi ovenit per emicionis chartam de quondam *Petrus* filius quondam *Iohannis* qui vocatur *Franco* ad ipse iure qui est positus in fundo qui vocatur *monte fraprietorum castri* qui vocatur *Tiberiacis* omnia cum vineis terris campis pratis pascuis silvis salectis facionalibus sive cum arbustis arboribus & cum pertinencie de pomare tu que infra se tenere vel cum ingresso & regresso suo vel cum omnibus ad iisdem coto modo pertinentibus sicut supra legitur & ubi de ipsa sortem in antea invenire potuerimus ad ipso iure cum sui iustis & certis lateribus suis atque in terra finibus suis vos omnes superius nominati petitores seu filiis & nepotibus meis divina graciam in ac lucem iusserit permanere vitam concedistis michi abendum tenendum cultandum defensandum & in omnibus meliorandum ex vestris propriis expensis seu laboribus & nichilque aliud inferius adfixa pensionem reputare debeamus prestante caquem nos iam dicto *Isenardo* :. . . qui vocatur Bonezo petitore seu filiis & nepotibus meis singulis quibusque anni omne marcio mense infra indictione pro iam dicta, omnes sortes & porciones ad que pertinencias vestras in integrum qui est posita in supradicto fundo qui vocatur *monte* cum omnibus sibi pertinentibus sicut supra legitur idest in arientum denariis duos titulo pensi ut dictum est persolvatur & pro calciarie nos petitore de manibus meis in manibus tuis coram testibus idest solidi sex pro unocoque solidos anadinariorum duodecim. Ita & post transitum nostrum supradicto Isenardo petitore seu filiis & nepotibus meis munus expletum tunc ipsa supradicta omnes sortes & porcionem ad pertinenciam in integrum qui est

eft poffita in fupradicto fundo qui vocatur *monte fraprietorum caftri* qui vocatur *Tiberiacis* cum omnibus a fe pertinentibus ficut fupra legitur cultas defenfatas & in omnibus melioratas vel quitquit in ibidem adetum melioratumque ad ius dominium predicto *monaflerio* veftro *fancti Iohannis & Barbaciani* vocatur cuius eft iura proprietas revertatur. Quod fi Cod abfit & avertat divina potenciam omnia non obfervavetit vel adimpleverit cunta que fupra legitur contraire voluerit iuratum nos effe dicens per divinorum vitam fanctorum dominorum noftrorum ateftacionem confirmo ego iam dicto *Ifenardo* qui vocatur Bonezo petitore feu filiis & nepotibus meis tibi iam dicto Abbatis tuifque fucceffforibus ante omnem litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncia una & poft pene folucionem anc paginam peticionis perfiftere in fua firmitate. Quam vero paginam *Dominicus tabellio* de civitate *Ravenne* fcribendam rogavit in quam & ego fubter manus propria mea firmavi & teftibus que ad nobis rogitis obtulit confirmanda eorumque prefenciam eam tibi qui fupra contradidit die menfe indictione fupradicta undecima.

Signum ✠ manus fupradictus *Ifenardo* qui vocatur *Bonezo* petitore ad omnia ut fupra cui relectum eft.

✠ *Gifulfo* rogatus me tefte fubfcripfit.

✠ *Adelberto* rogatus &c. ✠ *Iohannes confule* rogatus &c.

✠ *Dominicus tabellio* de civitate *Ravenne* fcriptor huius paginam peticionis ficut fupra legitur poft roboracionem teftium complevi & abfolvi.

Noticia teftium ideft *Gifulfi* filius *Ragimbaldo confulis*.
Adelbertus ut fupra *conful*. *Iohannes* ut fupra *conful*.

V I.

Emphyteufis facta ab Abbate s. Zachariae Ravennae Iohanne anno 957. 20. martii.

Ex tabulario Pompofiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus fancti anno Deo propicio pontificatus domini noftri *Iohannis fummi Pontifici* & univerfalis Pape in apoftolica facratiffima beati Petro fede anno primo fitque regnante vero domno *Berengario excellentiffimo Rege & Adelberto* feptimo die vigefimo menfis marcio indictione quintadecima *Ravenne*. Petimus a vobis in Dei nomine domnus & venerabilis *diaconus* & *camerario fancte Ravennatis ecclefie & Abbas monafterii fancti Zacharie* una per confenfum defervientibus eiufdem monafterii, uti nobis *Martinus* filio quondam *Leo* qui vocabatur *de Ruffi* & conius quam fortitus fuero feo filiis & nepotibus noftris per enfiteuticario iure a prefenti die concediftis nobis rem iuris ipfius monafterii veftri ideft faluciola pede plana in integrum murotis cum

clau-

clausa tegulis & inbrintibus seo sind sua ante se & iuxta se posita seo & porcionem de pureo infra ipsam integram iuxta supradicta curte verum eciam cum omni petra que in ibi supra & subtus terra vel cum ingresso & egresso suo & cum omnibus sibi pertinentibus cominus in ac civitate *Ravenne* iuxta *basilice sancti Vitalis martiris* abentem ipsa saluciola in longitudinem suam pedes plus minus quinquaginta duos & semisse uno & in laritudinem suam cum supradicta curticella pedes plus minus quinquaginta & sex in terra fines eius ab uno latere possidentem *Paldo* filio quondam & ab alio latere possidentem nos ipsi petitoris a tercio latere possidentem eredes quondam *Andreas consulis* filio quondam *Andreas de Teofillatus* atque a quarto latere platea publica percorentem & ipsa res abentem in longitudinem suam pedes plus minus nonaginta & in latitudinem suam pedes plus minos ab uno capite quadraginta & quatuor & da pedes plus minus sexaginta & in terra fines eius ab uno latere iuris ipsius *monasteri sancti Zacharie* & ab alio latere iuris *monasterii sanctorum Iohannis & Barbaciani* a tercio latere possidentem eredes quondam supradicto *Andreas consulis de Teofillattus* atque a quarto latere possidentem *Ivaldo* vel omnibus ad eas res pertinentibus cum suis iustis & certis in terra finibus dum nos supradicto petitoris & filiis & nepotibus nostris divina graciam in ac lucem iubserit permanere vitam concedistis supradictis eam nobis abendum tenendum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum & ex nostris propriis expensis seo laboribus nichilque vobis vestrisque subcessoribus in inferius adfixam pensionem quoquomodo reputare debeatis. Prestantem quotque nos supradicti petitori seo filiis & nepotibus nostris indesinenter secundum paginam peticionis nostre pensionem nomine singulis quibusque annis omnis marcio mense infra indictionem pro predictis omnibus rebus que supra legitur cum omnibus sibi pertinentibus idest in argentum denarios tresdecim & alia pensionem ut dictum est persolvatis. Pro eo quia exinde accepisti calciarii de manibus meis supradicto petitore in manibus tuis de nomine Abbas in presentia testium qui ic subterscripturi sunt idest mantello uno pro in argentum solidos duos & per unoquoque solidos ana denarios duodecim. Ita & post transitum nostrum comunem supra nominato petitore & conius quam sortitus fuero seo filiis & nepotibus nostris post munus expletus quando Domino placuerit tociens dicta saluciola pede plana in integrum cum curticella ante se & iusta se posita & porcionem de puteo atque & omne apodismo destinatum cum omnibus ad eas res pertinentibus ut supra legitur restauratas defensatas & in omnibus melioratas que fuerit at ius dominiumque predicto monasterio vestro sancti Zacharie cuius est iuras & proprietas modis omnibus seu vestrum dominium & potestatem promittentes pro nullis diebus nullisque temporibus

poribus vite mee meisque filiis & nepotibus per quibuslibet argumentis aut exquisitis occasionibus testus uius paginam peticionis violare seu inviolabiliter modis omnibus revertatur dominium & potestatem iurantes per divina omnia misterium sedemque sanctam apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum atestacione confirmo ego supradicto Martino & conius quam sortitus fuero seo filiis & nepotibus nostris a vobis supradicto domno *Iohannes diaconus & camerarius sancte Ravennatis ecclesie & Abbas* supradicto monasterio tuisque successoribus ante omnis litis initium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncias duas & post pene solucionem anc paginam peticionis in sua firmitate. Quam vero paginam *Iohannes* in Dei nomine *tabellio* civitatis *Ravenne* scribendum rogavi & subter manus mea propria firmavi testibusque erogitis obtuli roborandam eorumque presenciam eam tibi contradidit sub die mense & indictione quintadecima *Ravenne*.

. manus mea supradicto *Martinus* filio quondam *Leo* iam dicto petitore at omnia supradicta cui relectum est.

. uic paginam peticionis *Dominicus* sicut supralegitur rogatus teste subscripsi & calciari dante & accipiente.

. filio *Iohannes consulis* uic paginam peticionis de omnibus sicut supra legitur rogatus teste calciarii dante & accipiente vidi.

. filio *Anestasius* uic paginam peticionis &c. *ut supra*.

Iohannes in Dei nomine *tabellio* uius civitatis *Ravenne* scriptor uic paginam peticionis de omnibus sicut supra legitur post roboracionem testium atque traditam complevi & absolvi.

Noticiam testium idest *Petrus* ut supra *consulis de Anatoli*.

Iohannes ut supra filio *Iohannis consulis*:

Urso ut supra filius *Anestasius*.

V I I.

Emphyteusis facta a Iohanne Abbate s. Zachariae & s. Iohannis Baptistae Ravennae anno 957. 9. aprilis.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Iohannis summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede primo sitque regnante vero domni *Berengarius & Adelbertus* eius filius gratia Dei regnantes anno regni eorum septimo die nono mensis aprilis indictione quintadecima *Ravenne*. Petimus a vobis domnus *Iohannes* per Dei misericordiam *diaconus & camerarius sancte Ravennatis ecclesie & Abbas monasterii sancti Zacharie & sancti Iohannis Baptiste* uti nobis *Romanus* qui vocatur *de Saliano* & *Maria iugale* seu filiis nostris livellarii nomine cedisti & confirmasti & largisti nobis rem iuris supradicti monasterii vestris idest una uncias & medietatem principalem in integrum in fundo qui

qui vocatur *ſarzano* quod eſt omnem medietatem & de ſortes & porciones in integrum que tibi iam ante os dies obrenunciari *Alberto* cum terris vineis campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacionalibus arbuſtis arboribus & cum omnibus ad eaſdem pertinentibus ſitas territorio *plebe ſancti Thome Apoſtoli* cum ſuis iuſtis & certis in terra finibus & in terra fines de ſupradicto fundo qui vocatur *ſarzano* in quo reiacet ipſa res que ſupra legitur ab uno latere fundo qui vocatur *luſiriano* iuris ipſius monaſterii noſtris ab alio latere fundus *arcariano* a tercio latere caſam a quarto latere fundo qui vocatur *midiliano* aut iuris tui ſupradicto patrono ec omnia abendum detenendum cultandum poſſidendum propaginandum inibi detinendum nos aut homine noſtro ſuperſedendum & tu ſupradicto Abba cum tuis ſubceſſoribus ab omni homine nobis defenſare promittimus. Et nos autem in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum ſalva ſanacione domnica danda. Ita ſane ut inferre debeamus domnice racionibus tibi tuiſque ſubceſſoribus ſingulis quibuſque annis hoc eſt terratico tritico faba ſicala de lavore maiore & minore ſeo ligumina omnia & ex omnibus modio ſeptimo lino manna ſeptima etſi vineam in ibidem paſtenaverimus atque in tres annos in integrum exinde redere debeamus vino anfora tercia arbore pacto ponentem ſemel pi poſtea ſit nobis cedentem. Exenio vero per unoquoque anno inter exenio & glandatico denarios tres & de nucces ſicca quartario uno aducto ipſo terratico de lavore & lino & ipſis denariis per nos ſupradictis colonis uſque in civitatis Ravenne in veſtra & ipſo terratico de vino diebus, vite tue ſupradicto Abbas aducere tibi debeamus uſque in *caſtrum* veſtrum qui vocatur *Rivaſsian* & ad tuis ſubceſſoribus ſulvere debeamus inibi aput locum uſque dum carrus domnica venerit eam exinde tolendo arbore fructiferum non abeamus licentiam incidere nec in alia finem re ſine iuſſione domnicum veſtrum & inſuper non abeamus licenciam tritulare nec vindimiare ſine iuſſionem domnicum veſtrum aut de maiore domico maioreque domnico veſtro vel veſtra dominacione cum honore & obediencias ſurripere debeamus & ſubiectionem detinere & brachiaticum ei perſolvere de lavore ſecundum conſuetudinem ipſius locis. Et de vino per omnem canale ſextaria ſextam ec omnia cum fide & puritate ſine dolo vel fraude. Si quis verum pars noſtrum contra hos livellos ire temtaverimus antequam finitum tempus ſicut ſupra legitur det pars partis fidem ſervantem ante omnes litis inicium autem interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionem livello in ſuo rubore. Cos vero livellos in uno tenore conſcriptum *Dominicum* in Dei nomine *tabellionem* huius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavimus unus alterius nobis contradimus quod conſecutis agamus Deum & maxima graciam.

Signum ✠ ✠ manus mea ſupradicto *Romanus* tam pro me & pro ſupra-

supradicta *Maria* conius mea item petitrice ad omnia supradicta cui relectum est.

VIII.

Libellus emphyteuticus Honesti Abbatis ss. Iohannis & Barbatiani Ravennae anno 957. 15. *iunii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Iohannis summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede primo sitque regnante vero domnus *Berengarius & Adelbertus* eius filius gracia Dei Reges anno regni eorum septimo die quintodecimo mense iunius indictione quintadecima *Ravenne*. Petimus a vobis *Honestus reverentissimus subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie & Abbas monasterii sancti Iohannis* qui & *Barbaciani* vocatur una per consensum cunctis deservientibus eiusdem monasterii uti nobis presenti in Dei nomine *Benedictus* qui vocatur *Baroaldo* seu filiis & nepotibus meis & si filio aut filia non ab vero liceat michi dare & derelinquere in uno subcessore meo qualiter michi placuerit seu filiis suis & si michi placuerit delinquere cadant in meo proximiores heredes item seu filiis suis per enfiteuticario iure a presenti die concedisti & largisti nobis rem iuris supradicti *monasterii* vestris *sancti Iohannis* qui & *Barbaciani* vocatur. Idest mansionem pede plana in integrum cum curte sua in integrum ante se posita & orticello in integrum retro ipsa mansionem ponzato secundo podismo longo latoque designato extendentem in longitudinem suam ipsò horticello una cum ipsius mansionem & cum supradicta curte usque in platea publica pedes plus minus novaginta & in lato ab uno capite ipsius spacium terre quod est *da cuntelata** platea publica pedes plus minus viginti & nove & ab alio capite quod est da ipso horticello pedes plus minus quadraginta & sexta simul & cum usum puteo qui modo clausum esse videtur qui est ante regie supradicti monasterii vestris. Et liceat nobis hostium facere iusta ipso horticello nostro propter usum de ipso puteo abendum & quando nostros carras de feno & ligne vel vestris bestiis in ipsius horticello nostro quem nobis largistis mittere voluerimus licenciam dedisti michi usum de ipsa porte vestre maioris eundi & redeundl usque in plathea publica & cum omnibus ad easdem pertinentibus sitas in civitate *Ravenne* in regionem *basilice sancti Vitalis martiris* cum sua racione iustis & certis in terra finibus & in terra fines de ipsius mansione in integrum cum curte & orto in integrum & cum omnibus sibi pertinentibus ab uno latere alio horticello iuris ipsius monasterii vestris qui ad vestris reservatur manibus & ab alio latere iuris *monasterii sancti Zacharie* seu a tercio latere plathea publi-

(*) *Sive potius* curte lata *divisim*.

publica percorrentem a porta que vocatur *teguriense* atque a quarto latere introitum & exoitum cumune qui pergit ad supradicto monasterio vestro & pergit ad *basilice sancti Stefani* qui vocatur *maioris* dum nos supradictis *Benedictus* qui vocatur *Beroaldo* petitore seu filiis & nepotibus meis aut ipso uno meo subcessore seu filiis suis & sit michi non placuerit derelinquere cadet in meos proximiores parentes seo filiis suis divina graciam in salutem iusserit permanere vita concedisti nobis eas abendum tenendum possidendum defensandum & tu supradicto Abbas cum tuis subcessoribus ab omni homine nobis defensare promisistis & ex nostris propriis expensis seu lavoribus nichil aliquod inferius adfixam pensionem reputari debeamus. Prestante quoque nos indesignenter secundo paginam peticionis nostre pensionem nomine singulis quibusque annis hominis marcio mense infra indictione pro homnia & ex omnibus que supra legitur hoc est in argentum denarios quatuor titulo pensium ut dictum est persolvatur pro eo quia exinde accepistis calciarii in manibus tuis supradicto *Honestus subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie* & *Abbas* supradicti monasterii de manibus meis supradicto *Benedictus* qui vocatur *Beroaldo* petitore in presencia testium qui hic subter subscripturi idest iumenta una bona & optima pro in argento solidos viginti & pro unoquoque solidos anas denarios duodecim ita & post transitum meum cum nominato petitore seu filiis & nepotibus meis aut pro uno meo subcessore qualiter michi placuerit seu filiis suis & si michi derelinquere non placuerit cadant in meo proximiores parentes seo filiis suis munus expletem quando Domino placuerit tunc tociens dicta omnia que supra legitur restauratas defensatas melioratas vel quitquid in ibi aditum melioratumque fuerit ad ius dominiumque supradicti *monasterii* vestris *beati Iohannis & Barbaciani* cuius est iura & proprietas revertatur. Quod si quod absit & avertat divina potenciam ec omnia que supra legitur non observaverimus pro quibus iurata voce dico per Deum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum attestacionem confirmata quia daturo me promitto ego supradicto *Benedictus* qui vocatur *Beroaldo* seu filiis & nepotibus meis aut ipso uno meo subcessore seu filiis suis & si michi non placuerit derelinquere & in dare meo proximiores parentes seu filiis suis tibi supradicto *Honestus* gracia Dei *subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie & Abbas monasterii sancti Iohannis* qui & *Barbaciannio* cum tuisque subcessoribus ante omnis litis inicium aut intepellacionem pene nomine auri ebrizo uncias duas & post penem solucionem ec paginam peticionis in sua firmitate quam vero paginam *Dominicum* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* scribendum rogavi & subter manibus meis propriis firmavi testibusque ad me rogatis obtuli scribendum eorumque presencia eam tibi etiam contradidit sub die mense & indictione supradicta quintadecima *Ravenne*.

Signum ✠ manus mea supradicto *Benedictus* qui vocatur *Beroaldo* petitore ad omnia supradicta cui relectum.

✠ *Petrus magister militum* uhic paginam peticionis de omnibus sicut supra legitur rogatus testis & supradicti calciarii dante & accipiente vidit.

✠ *Andreas magister militum* uic paginam peticionis de omnibus sicut supra legitur rogatus testis subscripsi & supradicto calciarios dante & accipiente vidi.

✠ *Dominicus* filio conda *Bonio* calciarii uic paginam peticionis de omnibus sicut superius legitur rogatus testis & supradicti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Dominicum* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* scriptor huius paginam peticionis de omnibus sicut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & absolvi.

Noticiam testium idest:
Petrus magister militum.
Andreas testis *magister militum*.
Dominicus filius quondam *Bonio* calciarii.

I X.

Venditio mansionis Comacli facta a quodam Gregorio Stancario presbytero fideicommissario Dominici Pettorussolo anno 963. 1. decembris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Iohannis summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Hapostoli sede octavo sitque imperante domnus piissimo perpetuo Augusto *Otto* ha Deo coronato pacifico magno *Imperatore* imperante in Italia anno tercio die primo mense december indictione septima *Cumiaclo*. Scripsi ego quidem *Leo* in Dei nomine ha domno *Agapitus* holim *Papa sanctissimus* urbem *Roma* & cuna Romanorum ordinatus *tabellionem* rogatus & petitus *a Gregorio presbyterum* qui vocatur *Stancario* qui sum institutus fideicommissario de quondam bone memorie *Dominico* qui vocabatur *Pettorussolo* a rebus suis dandum & venumdandum & in precium quem exindet. Vere potuero distribuere debeo pro eius anima quod atimplere cupio. Vendidis & vendidit atque tradidis & tradidit pure & absolute bone sue voluntatis me presente in Dei nomine *Iustus* qui vocatur *de cornacerbina* qui manere viso estis istius *Cumiaclo* supradicto comparatore tuisque filiis & heredibus presenti in perpetuum pro futuris temporibus possidendum. Idest medietatem in integrum de mansione una axibus & columnellis constructa ascindolis tecta cum via & acesso suo & cum omni sua per-

pertinencia qui eſt poſita hic in *Cumiaclo* platea da *campo* que vocatur *da curo in regione monaſterii ſancte Marie fermonſa* & habentem in longitudinem ſuam pedes plus minus duodecim & ſemiſſe uno & in latitudinem ſuam pedes plus minus numerus triginta huna cum ſuis iuſtis & certis in terra finibus & intra fines eius poſſidente a ſingulis lateribus ideſt a duobus lateribus poſſidente *Hadelberga* iam dicto teſtatore atque ha quarto latere platea publica maiore cum ingreſſo & hegreſſo ſuo & cum omnibus at. eaſdem pertinentibus ut ſupra legitur. Omnique enim iuris proprietatis fuit de quondam ſupradicto *Domicus Pettoruſſolo* teſtatore quas ei ovenit per ſua monimina cartarum de quondam *Helzabet* celeſti Deo dicata *ancilla Dei* aut per cacumque modum vel titulum vidique ab eo pertinere vel ovvenire potuiſſet. Omnes ſuos indeſiſet & diſceſſiſſet equam diſtraccionis iuris & adicionis per cauſam accepit ſupradicto fideicomiſſario venditore in manibus ſuis de manibus prelato comparatore iuſta placitum & diſtriccionem ſuarum ſicut inter eis bene convenit precium nominatum ideſt de dinarios argenteos bonos & helectos ſolidos viginti per hunumquemque ſolidum ana dinarios duodecim ad omnis deceptionis ſeo deliberacionis calumnie & in preſenciam teſtium qui hic ſubter ſubſcripturi ſunt perſolutum eſt dantem numerantem & ab eodem fideicomiſſario venditore ſuſcipientem & in eius hutilitatibus perportantes & nihil amplius exinde rediberint vel remanſiſſe dixit libera autem ipſa ſupradicta manſionem in integrum ut ſupra legitur & inlivata eſſe dixit atque promiſſit nec nullius perſonas iam antea eſſe donatas aut diſtractas aut cuiquam in fiduciarius uſu abere aſſereruit de quas hab hac die legitur ut recte liceat tibi ſupradicto comparatorem per hec tradicionis paginam nibidem introgire & preoccupare atque ingredere tamquam per legitimam & meam corporalem tradicionem quiheto tramite habendi dominium & poteſtatem habeas teneas & poſideas hecinam vindendi donandi vel comutandi & more quod volueris cum tuis filiis & heredibus iuris proprietatis exinde in perpetuum faciendi etſi quoquo maioris vel minoris perſonas omnium puſatas vel victas fuerit emtor vel ſuis filiis & heredibus tunc ſupradicto fideicomiſſario venditore ipſo teſtamento in placito oſtendere promiſit & cum ipſo teſtamento deſenſare debeat abſque omni ſua damnietatem vel de ſuis ſucceſſoribus etſi fortitaſſi ipſo fideicomiſſario venditore & contra hanc paginam inſtrumenti agere aut rere voluerit tunc ſub obligacionem duplum precium ſolidos viginti ſette ei dare placuit huna cum omnem melioracionem & cum quantum emtor interfuerit damnum vel detrimentum aut ire vel in perſonis omni re ſimilis modi antur & poſt pene ſolucionem hanc paginam inſtrumenti vendicionis in ſua firmitate huic regi vindicionis abſol iuris & adicionis per dolo malo obeſt futurum pergeſſi eſtis heciam uniti palibus ſi aliter vol. de quas & de quibus omni-

omnibus bonis ſupradicta ſtipulacionem & ſponſionem ſolemniter interpoſito atto *Cumiado* ſub die & menſe & indictione ſupradicta ſeptima *Cumiado*.

✠ *Gregorius presbyteri* & fideicomiſſario huic paginam vindicionis ſicut ſupra legitur a me facta rogatis teſtibus ſcribere rogavi & ſupradicto precio a me recepit.

✠ *Martinus* filio *Enoc* huic paginam vindicionis ſicut ſupra legitur rogatus teſtibus ſubſcripſi, & ſupradicto precio dante & accipiente vidi.

✠ *Adamo* filio quondam *Petrus* uic paginam vindicionis ſicut ſuperius legitur rogatus teſtis ss. & ſuperiore precio dante & accipiente vidi.

Signum ✠ manus *Martini* qui vocatur *de Remedio* teſte rogatus at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

Signum ✠ manus *Leo Mucerio* teſte rogatus at omnia cui relectum eſt.

Signum ✠ manus *Mauricius cancellario* teſte rogatus at omnia cui relectum eſt.

✠ *Leo* in Dei nomine *tabellionem* ſcriptor huius paginam inſtrumenti vindicionis de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque tradita complevit & abſolvit.

Noticiam teſtium ideſt:
Martinus ut ſupra filio *Henoc*.
Hadam ut ſupra filio quondam *Petrus de Puplia*.
Martinus ut ſupra qui vocatur *de Remedio*.
Leo ut ſupra qui vocatur *Mucerio*.
Mauricius ut ſupra qui vocatur *Cancellario*.

X.

Commutatio bonorum inter Petrum Archiepiſcopum Ravennae, & Georgium Abbatem s. Stephani iunioris de Ravenna anno 970.

Ex annal. Camald. tom. I. in append. col. 84. *& ſeqq.*

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus Domini *Iohannis ſummi Pontificis* ſeu univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede ſexto, ſitque imperante domno piiſſimo Auguſto *Ottone* Deo coronato pacifico magno Imperatore anno regni pietatis eius in Italia vero anno decimo, & domno *Ottone* item a Deo coronato *Imperatore* eius filio anno quarto die indictione quartadecima *Ravenne*. Bonum & licitum eſt omnibus comutantibus &c. Profitens profiteor ego quidem *Georgius* reverendus *diaconus ſancte Ravennatis ecclesie & Abbas monaſterii ſancti Stephani*, qui vocatur *iunioris*, qui ſit die quinta feria, qui eſt fun-

fundatus in civitate *Ravenne* prope mo arbani non longe a ponte copto (*vel* cooperto) per huius paginam proferſionis ſponſionis ſimulque commutationis necnon transferſionis tibi preſenti in Chriſti nomine domnus *Petrus* ſanctiſſimo, & *coangelico ſancte Ravennatis ecclesie Archiepiſcopus* tuiſque ſucceſſoribus Pontincibus in perpetuum dans do, & comuto, ſeo trado & transfero de iuris ſuprascripti monaſterii in iura & dominium ſancte veſtre *Ravennatis eccleſie* in perpetuum, ideſt omnem medietatem in integrum deſuper totum locum in integrum, qui vocatur *li cabali*, cum medietatem in integrum de argere qui vocatur *pogioli*, ubi caſtrum hedificatum eſt, verum etiam cum medietatem in integrum de tumbis & de capannis & de areguis inibi poſitis cum campis ſuis ſeu fontis & lagis atque camporas, & de pedulibus necnon de coculuriis ſitque duabus & butinis, verum etiam & de gurguras, ſeo de coriari, & de parcis omnibus, venationibus atque aucupationibus ſeo minzonibus & medietatem in integrum de ponto in integrum qui degit in *cabalis* cum omnibus medietatem de iam dicto ponto, & inſuper duabus partibus in integrum de tota altera cultas vel incultas ſeo vineis & caſamentis, necnon & vacuam & domnicatam & colonicatam, quod extenditur *da bumilia ſancte Marie* que vocatur in *cabalis* uſque ad ipſo pogio qui vocatur *argele*, hubi ipſum caſtrum hedificatum eſt cum arbuſtis arboribus cum ingreſſu & egreſſu earum cum pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſationalibus arbuſtis arboribus & cum omnibus a ſe vel infra ſe circum circa ſe & quod obvenit da *Imeltruda*, que vocatur *Imiza* relicta quondam *Teodaldus*, & da *Ugo de Bernardo* ſeo da *Ingelramo*, qui vocatur *Ingizo*, & *Berta* conive ſua, ſeo da *Iohannes ſubdiacono ſancte Ravennatis eccleſie* filio & nurus ipſius quondam *Theodaldo*, ſitque da *Berardo* filio ſuo aut undique in ibidem nobis obvenit, quas ipſis prenominatis perſonis dederunt in ipſo ſancto *monaſterio* noſtri *beati Stephani*, qui vocatur *iunioris*. Et ego ſuprascripto *Georgius diaconus & Abbas ipſius monaſterii* exinde inveſtitus ſum ad iura ipſius ſancti mei monaſterii, unde vero nunc autem placet bona & ſpontaneam meam voluntatem a preſenti die dare comutare ſeo transferre de iuris ipſius monaſterii in iura & dominium ſancte noſtre *Ravennatis eccleſie* &c. Pro eo quia vos ſuprascripto domnus *Petrus* divina gratiam *Archiepiſcopus* dediſtis & comutaſtis de iuris ſancte veſtre *Ravennatis eccleſie* per aliam paginam comutationis in iura & dominium ſuprascripti ſancti *monaſterii* noſtri *ſancti Stephani*, qui vocatur *iunioris*, qui ſit die quinta feria, meiſque ſucceſſoribus Abbatibus ipſius monaſterii in perpetuum ſimiliter a preſenti die ideſt omnem pertinentia in integrum in loco qui vocatur *vico de capeli* ſeo *Guilari*, & in locum qui vocatur *ponte de forcula* cum terris vineis &c. Quam vero paginam *Dominicus* in Dei nomine & *tabelionem* huius *ſancte Ravennatis eccleſie* ſcribendam rogavimus, & ſubter manus mea propria firmavimus ſub die &c.

Li-

X I.

Libellus emphyteuticus Sergii Abbatis s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 972. 11. septembris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spirirus fancti anno Deo propicio domni *Iohannis fummi Pontificis* & univerfali Pape in apoftolica facratiffima beati Petri fede feptimo fitque imperante domno piiffimo propicio Auguftus *Ottoni* a Deo coronato pacifico magno *Imperatore* anno regni pietatis eius in Italia vero anno undecimo & domus *Ottone* item a Deo coronato *Imperatore* eius filio anno quinto die undecimo menfe feptember indictione quintadecima *Ravenne*. Petimus a vobis *Sergius* per Domini mifericordiam *presbiter fancte Ravennatis & Abbas monafterii fancte Marie* qui vocatur *fenodochio* qui eft fundata iufta *porta* que vocatur *fancti Laurencii* una per confenfum & auctoritatem domnus *Honefto fanctiffimo & coangelico Archiepifcopus fancte Ravennatis ecclefie* uti mihi prefenti in Chrifti nomine *Vrfus publicus iudex* civitatis *Ferrarienfis* & filiis & nepotibus meis per enfiteuticario iure a prefenti die concediftis & confirmaftis feo largiftis nobis rem iuris fupradicti *manafterii* veftris *fancte Marie* que vocatur in *fenodochio* ideft fundum in integrum qui vocatur *corneto* cum omnibus a fe pertinentibus exfcripto at *ecclefiam* cui vocabulum eft *fancti Petri* cum omnem fua pertinencia qui eft fundata in ipfo fundo *corneto* qui antea ordinatam abetis in *Bernardo diacono fancte Ferrarienfis ecclefie* filio meo nam alia omnia ipfa res de iam dicto fundo *corneto* in integrum dediftis & confirmaftis fubeft mihi cum terris vineis campis pratis pafcuis filvis falectis facionalibus cum aquis padulibus pifcacionibus venacionibus atque occupacionibus fuis & cum omnibus ad eas rem pertinentibus conftitutis *territorio Ferrarienfis plebe fancti Stefani* qui vocatur in *villa marciana* in *falto* in terra fines eius ab uno latere *Mediogurgo de Vitello* qui eft iuxta latere fundo *launiano* & ab alio latere *ruvereto* qui vocatur *pilara* hubi termine eius adeft tercio latere fundo *graniano* quarto latere *foffa* in integrum que eft iuxta fundum qui vocatur *tamara* dum ego fupradictus *Vrfus publicus iudex* feo filiis & nepotibus meis divina graciam in ac lucem iufferit permanere vitam concediftis nobis eam abendum tenendum poffidendum ordinandum & tu fupradicto Abbas cum tuis fucceffloribus ab omni homine exinde nobis cumftare & auctoriare debeatis & ex noftris propriis expenfis feo laboribus nihil aliquod inferius adfixam penfionem reputari debeamus. Preftante quoque nos indefinenter nec unde in paginam peticionis in noftre penfionem nomine fingulis quibufque anni omnis marcio menfe infra indictione pro predicta & fupradicta res que fupra legitur hoc eft in argentum denarios decem tantum penfium ut dictum eft perfolvatur pro

pro eo quia exinde accepiſtis calciarii in manibus tuis ſupradicto Abbas de manibus meis ſupradicto petitore in preſencia teſtium qui hic ſubter ſubſcripturi ſunt calciariis nomine ideſt de mobilibus rebus uſque ad valientem ſolido centum octuaginto & per unoquoque ſolido ana denarios duodecim ita & poſt tranſitum noſtrum nominato petitore Urſus publicus iudex ſeo filiis & nepotibus meis munus expletum quando Domino placuerit tunc tociens dicto fundo corneto qui ſupra legitur cultas laboratas defenſatas & in omnibus melioratas vel quitquid inibi ad nobis aditum melioratumque fuerit ad ius dominiumque ſupradicti *monaſterii* veſtris *ſancte Marie* que vocatur in *ſenodochio* ſitas *a porta* que vocatur *ſancti Laurencii* cuius eſt iura & proprietas revertatur. Quod ſi quod abſit & averta divina potenciam & omnia que ſupra legitur non obſervaverimus pro quibus iuratas voce dico per Deum omnipotentem ſedemque ſanctam apoſtolicam & vitam ſanctorum dominorum noſtrorum ateſtacionem confirmo quia daturo me promitto ego ſupradicto *Urſus publicus iudex* ſeo filiis & nepotibus meis a tibi ſupradicto Abbate tuiſque ſucceſſoribus ante omnis litis initium aut interpellacionem penem nomine auri ebrizo uncias duas & poſt penem ſolucionem ec paginam peticionis in ſua firmitate quam vero paginam *Dominicus* in Dei nomine *tabellionem* huius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavit & ſubter manus mea propria firmavit teſtibuſque ad me erogitis obtuli ſubſcribendum eorumque preſenciam eam tibi unus alterius contradidit ſub die menſe & indictione ſupradicta quintadecima *Ravenne*.

✠ Preſentem dicto iudex uic paginam peticionis ſicut ſupra legitur a me facta ſubſcripſi, & teſtes ſubſcribere rogavit & ſupradicti calcarie dedit.

✠ *Petrus* qui vocatur *Teucio negociatore* filio quondam *Leo* uic paginam peticionis ſicut ſupra legitur rogatus teſtis ſubſcripſi & ſupradicti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Iohannes* filio *Vitalis negociatore* huic paginam enfitecicionis de omnibus ſicut ſupra legitur rogatus teſtis ſubſcripſi & ſupradicti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Leo* filio *Petrus negociatore* uic paginam peticionis de omnibus ſicut ſupra legitur rogatus teſtis *&c. ut ſupra*.

✠ *Dominicus* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* ſcriptor huius paginam peticionis de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque & traditam complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt:

Petrus ut ſupra qui vocatur *Teucio negociatore* filio quondam *Leo*.
Iohannes filio *Vitalis negociatore*.
Leo filio ſupradicto *Petrus negociatore*.

XII. *Emphy-*

X I I.

Emphyteusis facta a Gherardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravenne anno 976. 15. novembris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede quinto sitque imperante domno piissimo propicio Augusto *Ottone* a Deo coronato pacifico magno *Imperatore* in Italia vero anno decimo die quintodecima mense november indictione quinta *Ravenne*. Petimus a vobis in Dei nomine domnus *Garardus clericus & notarius sancte Ravennatis hecclesie & Abbas venerabilis monasterii sancte semperque virginis Dei genitricis Marie* que vocatur *e xenodochio* huna per consensum domni *Gerardus ex genere ducis* genitori vestro, uti nobis *Iohannis & Barutto* qui vocatur *Agiprando & Perpetro* petitoris in una parte sup potestate & dominium *Iohanni presbiter* diebus vite mee singulis sitque *Gerardus* necnon *Petrus & Georgius* sitque *Baldo* cum fratribus suis nos omnes petitores seo filiis nostris singulis livellarii nomine concedistis nobis rem iuris supradicti monasterii vestri idest fundum hunum in integrum qui vocatur *granario* cum terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis socionalibus arbustis arboribus necnon cum venacionibus & piscacionibus seu & aucupacionibus suis vel omnibus ad easdem pertinentibus ut supra legitur constituto *territorio Adriensi plebe sancti Stefani in villa marciana* huna cum suis iustis & certis in terra finibus in terra fines heius hoc est hab uno latere termine qui decurrit in lacunas usque ad *fossa* que vocatur *busavetere* & hab alio latere *fossa* corrente inter *cenosa & pradale* seo a tercio latere *cornito* atque a quarto latere *tareni* vel cum ingresso & regresso suo & cum omnibus ad easdem pertinentibus ut supra legitur habendum tenendum roncandum postenandum propaginandum ateguo & canalis in ibidem faciendum & restaurandum superfedendum ad renovandum & in omnibus meliorandum si iuste & racionabiliter a vobis petivimus & ab aliis minime detinentur in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum salva sanacione domnica dandum. Ita sane ut inferamus domnice racionibus vobis vestrisque successoribus de quitquid inibi Dominus condonare iusserit hoc est terratico tritico sicale cappas quarta traendum per nos ad harea & triturandum fava in area modio quarto mixtura modio quinto tritico milio panico seo haresticio modio septimo lino manna decima gramulata per nos vino anfora quarta duabus vicibus piciolo inciso postea sit nobis coloni cesso & si vinea pastenaverimus fruere eam debeamus unus novem postea reddere debeamus sicut de cetera vinea & si ronco facerimus fruere eam

eam debeamus annis tribus poſtea reddere debeamus terraticum ſicut de alia terra pullatica vero dare debeamus omnique anno per hunoquoque petitore pullos duos hovas quinque glandatico vere dare debeamus decimum porcum ſi glande habuerimus de duorum omnem terraticum in integrum per nos colonis uſque ad ripa hubi nave domnica potuerit pervenire maiore quidem domnico veſtro vel veſtra dominacione ſuſcipere debeamus & ſuſceptionem ei facere & brachiaticum ei perſolvere cum honore & obediencia & non habeamus licenciam nos ſupradictis colonis hunc livellum aut ſupradictas res halicui homini dare vel vendere ſeu transferre authoponere vel quo mutuare aut in alio loco relinquere per nullum ingenium vel argumentum niſi inter nos petitores nec eciam non habeamus licenciam ad nullum publicum miniſtrum ire racione mitendi aut aliqua funccionem facere de ipſas res ſub veſtram diſtricionem vel veſtro miſſo ſupripere debeamus. Hec omnia ſicut ſupra legitur cum fide & puritate ſine dolo vel fraude ſi quis verum pars noſtrum contra hos livellum ire tentaverimus ante perfinitum tempus ſicut ſupra legitur det pars partis fidem ſervantis ante omnis litis initium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionem manentem hanc peticionem huno tenore conſcripto *Sergius* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavi in qua & nos ſubter manus noſtra propria firmavimus & hunus alterius pariter contradimus quod conſecuti ſumus agamus Deum & vobis maximas gracias.

Signum ✠ manibus noſtris *Iohannis & Barutto* qui vocatur *Agiprado* ſitque *Gerardus & Petrus & Georgius & Baldo* cum fratribus noſtris nos omnes petitores ſicut ſupra legitur ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

XIII.

Emphyteuſis facta a Georgio Abbate s. Stephani iuniori Ravennae Conſtantino diacono Ravennati anno 978. 30. maii.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Benedicti ſummi Pontificis* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli ſede ſexto ſitque imperante domino piiſſimo propicio Auguſto *Ottone* ha Deo coronato pacifico magno *Imperatore* in Italia vero anno undecimo die trigeſimo menſe madio indictione ſexta *Ravenne*. Petimus & vobis in Dei nomine *Georgius* umilis *archidiaconus* & *primicerio notariorum ſancte Ravennatis ecleſie* & *Abbas* venerabilis *monaſterii ſancti Stefani iunioris* qui ſit die quinta feria una cum conſenſum & auctoritatem cuncta congregacionem & deſerviencium eiuſdem monaſterii uti nobis preſentibus in Chriſti nomine *Conſtantinus* umilis *diaconus ſancte*

Ravennatis ecclesie filio quondam *Iohannis* qui vocabatur *de Constantinus* & in duobus successoribus meis qualiter assignare voluerimus una post unum per enfiteuticario iure a presenti die concedistis & largistis mihi rem iuris supradicti monasterii ideft duabus caminatas in integrum de mansione pede plano in integrum cum porcione curte & puteo & cum ingressi & regressi suo & cum hominibus sibi pertinentibus sita in ac civitate *Ravenne* in regione *basilice sancti Petri Apostoli* qui vocatur *maioris* una cum suis iustis & certis in terra finibus & in terra fines eius hoc est a duobus lateribus possident heredes quondam . . . *lus* qui vocabatur *sartanio* seu a tercio latere possident quondam *Leo* qui vocabatur *de petronacius* atque a quarto latere iuris monasterii vestri dum ego superius nominato petitore seo & duobus successoribus meis unu post unum divina graciam in hac luce iusserit permanere vitam comedistis & largistis mihi eas habendas tenendas possidendas defensandas & in omnibus meliorandas & ex nostris propriis expensis & laboribus nihilque vobis vestris successoribus in inferius & adfixam pensionem reputantes. Prestante ego superius nominato petitore & duobus successoribus meis unum post unum indefinenter secundo paginam peticionis nostre pensionem nominatam singulis quibusque anni hominis * marcio mense infra indictione pro ea homnia que supra legitur ideft in argentum denarios tres titulo pensionem ut dictum est persolvatur. Pro eo quia exinde accepistis de manibus meis in manibus tuis supradicto Abbas in presencia testium qui hic subter subscripturi sunt calciarii nomine ideft mantellos duos pro in argentum solidos quindecim & per unumquemque solidos ana denarios duodecim. Ita & post transitum nostri supradicto petitore seo & duobus successoribus unus post unum munus expletus quandoque Domino tuo sancte magestatis placuerit tunc ipsa rem que supra legitur laboratas defensatas & in omnibus melioratas vel quitquit a nobis inibi aditum melioratumque fuerit aut ius dominiumque predicti monasterii nostris cuius est iura & proprietas modis omnibus revertatur dominium & potestate promittentes propterea nunc nullis diebus nullisque temporibus vite nostre vos aut e vestrisque successoribus per quibuslibet argumentis aut exquisit hocansionibus testus huius paginam enfiteusin violare set inviolabiliter modis omnibus conservare & custodire promitimus iurantes per divina homnia misteria sedemque apostolicam & vitam sanctorum dominorum nostrorum atestacione confirmo & hec peticione ut nobis in vobis facta minime valere nequiverint tunc daturo me esse promitto cum duobus successoribus meis at tibi supradicto Habbas tuisque successoribus ante homnis litis inicium aut interpellacionem penem nomine auri ebrizo uncias duas & post penem solucionem manentem hanc paginam enfiteusin in sua fines. Quam vero paginam *Iohannis* Dei nuto *ex genere*

(*) *Hoc est*: omni.

nere consulis & *tabellio* huius civitatis *Ravenne* scribendum rogari in qua & ego subter manus mea propria scripsi testibusque at me rogitis hoptulit roborandam eorumque presencia eam tibi qui supra contradidit unus alterius sub die & mense & indictione supradicta sexta *Ravenne*.

✠ *Constantinus sancte Ravennatis ecclesie diaconus* huic pagina peticionis de omnibus sicut supra legitur a me facta scripsi & testibus scribere rogavi & supradictos calciarios dedi.

✠ *Romanus* in anc paginam rogatus testis subscripsi & supradicti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Teubaldo* in anc paginam *&c. ut supra*.

✠ *Petrus* filio quondam *Petrus Dativus* uic paginam peticionis rogatus *&c. ut supra*.

✠ *Guinibaldo* filio quondam *Martinus* uic paginam peticionis rogatus *&c. ut supra*.

✠ *Iohannes* Dei nuto *ex genere consulis* & *tabellio* huius civitatis *Ravenne* hanc peticione ut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevit & absolvit.

Noticiam testium idest: *Iohannes consul* qui vocatur *de posterula*.
Petrus filius quondam *Petrus Dativus Ravennas*.
Guinibaldo filio quondam *Martinus*.

XIV.

Diploma, quod datum dicitur ab Ottone II. Imperatore monasterio s. Salvatoris Papiae anno 981. 30. septembris.

Ex bullar. Casinen. Margarini tom. II. constit. 60. pag. 53.

Pax. In nomine sanctae, & individuae Trinitatis. Otto divina miserante clementia Imperator Augustus. Ad hoc omnipotentis Dei pietas culmen nostrae imperialis maiestatis ad tantam provehere dignatus est celsitudinem, quatenus ecclesiarum Dei curam habentes, devote inibi famulantes sublimare studeremus. Universitatem qua propter omnium nostrum fidelium praesentium videlicet & futurorum nequaquam latere volumus: quia domina, & genetrix nostra *Adeleyda* serenissima Imperator Augusta, materna fiducia confisa, adiit nostram imperialem audacter maiestatem, & filiationem orans quatenus pro Dei amore, nostrique imperii stabilitate, eiusque debita veneratione, ecclesiae in honore Dei salvatoris nostri Iesu Christi haud procul a moenibus Ticinensis urbis fundatae, in qua coetus coenobitarum incessanter Deo famulantur pervigili cura, & sollicitudine, eiusdem nostrae genitricis moratur, praeceptum confirmationis conscribi iuberemus de omnibus, quae dici, & nominari possunt tam immobilibus, quam mobilibus, quae dicto monasterio collatae, & oblatae sunt non solum a nobis, verum etiam a bonae memoriae genitore nostro *Ottone* Imperatore, & a praefata nostra

genitrice. Cuius non ſpernendis vocibus aures noſtrae pietatis accomodantes quod petiit, merito promeruit. Atque praeceptum donationis, & confirmationis fieri decrevimus de omnibus rebus &c. Inſuper *monaſterium ſanctae* Dei genitricis *Mariae* in loco *Pomposo* conſtructum, & omnes ſalinas, quae in *Comaclo* eidem monaſterio pertinentes tam infra caſtrum, quam extra, oliveta, curtem corvini cum manſis triginta &c.

Data pridie kal. octobris anno Dominicae incarnationis DCCCCLXXXI. indictione X. regni domini ſecundi Ottonis vigeſimoquarto, imperii quoque XIV. actum *Capuae*. Amen.

X V.

Emphyteuſis facta a Paullo Abbate ss. Iohannis & Barbatiani Ravennae anno 983. 7. maii.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Benedicti ſummi Pontifici* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede undecimo ſitque imperante piiſſimo propicio Auguſto *Otto* a Deo coronato pacifico magno *Imperatore* in Italia anno vero ſexto decimo die ſeptimo menſe madio indictione undecima *Ravenne*. Petimus ad vobis in Dei nomine *Paulus* gracia Dei *ſupdiaconus ſancte Ravennatis eccleſie* & *Abbas monaſterii ſancti Iohannis* qui & *Barbaciani* vocatur filio *Paulus dux* qui vocatur *de Traverſaria* huna cum conſenſum cunctis deſerviencium eiuſdem monaſterio. Uti nobis preſente in Chriſti nomine *Mercurius* eſt filius vero *Romualdus* & *Columba* iugale ſeo filiis noſtris libellarii nomine concediſtis & largiſtis ſeo confirmaſtis nobis rem iuris ſupradicti monaſterii veſtri ideſt omnes ſortes & porciones principales in integrum quantaſcumque abuit & detinuit *Rodolandus* at iure ſupradicti monaſterii in fundum qui vocatur *villare* cum terris & vineis campis pratis paſcuis ſilvis falectis ſacionalibus huna cum arbuſtis arboribus & cum omnibus at eaſdem pertinentibus conſtitutis *territorio Faventino plebe ſancte Marie* que vocatur in *curilina* cum ſuis iuſtis & certis in terra finibus ec omnia abendum tenendum cultandum paſtenandum prepaginandum at equo & canale in ibidem faciendum & reſtaurandum ſuperſedendum defenſandum & in omnibus meliorandum in annis atvenientibus viginti & novem at renovandum ſalva ſanacione domnica dandum. Ita ſane ut inferatis domnice racionibus vobis veſtriſque ſubceſſoribus ſingulis quibuſque anni oc eſt terratico de omni labore maiore & minute ſet ligumina de omnia & ex omnibus modio ſeptimo lino manna ſeptima vino medietatem arbore pecto ponente ſemel poſtea ſit nobis coloni ceſſo exenio vero annis ſingulis grano manoharile quartario huno pullo huno & pro glandatico dare vobis debeamus omni-

que

que anno denarium unum tantum de dua per ipſo terratico denarios vero in integrum de labore & lino per nos colonis atque exenio uſque in civitatem *Ravenne* in domum veſtram reliquo vino ſalvare eum debeamus in vaſo veſtro uſque dum curras domus veſtras venerit exinde at tollendum & deducere vobis debeamus omnique anno de ſiſerie ciſto uno uſque in ac civitate *Ravenne* in domo veſtra & non abeamus licenciam tritulare neque vindemiare ſine iuſſione domnica veſtra. Maiore quidem domnico veſtro veſtra dominacione cum onore & obediencia ſuſipere debemus & ſubſeptionem ei facere & brachiaticum ei dare debeamus de grano quartario hunum ec omnia cum fide & puritate ſine dolo vel fraudem aut malum ingenium. Pro eo quia exinde accepiſtis calciarii de manibus meis ſupradicto *Mercurius* petitore in manibus tuis ſupradicto Abbas ideſt mantello huno pro in argentum ſolidos duodecim & per hunumquemque ſolidum ana denarios duodecim. Si quis vero pars noſtrum contra os libello ire temtaverimus antequam finitum tempus ſicut ſupra legitur det pars partis fidem ſervantis ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionem maneat unc libellum in ſuo rubore. Cos vero libello huno tenore conſcripto *Petrus* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavimus quorum contradidit hunus alterius quot conſecuti ſumus agamus Deum & vobis magna referatis gracias.

✠ Signum ✠ manus mea *Mercurius* eſt filius *Romualdus* & *Columba* iugale in petitoris at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

XVI.

Conceſſio domus cuiuſdam olim Iuliani monachi Pomposiani facta in quodam iudicato Martino Abbati monaſterii Pomposiani anno 986. 1. decembris.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Iohannis ſummi Pontifici* & univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede die primo menſe december indictione quintadecima. Cum itaque gum enim confirmat tua actoritas & divalium inſtitutionum ita munit preceptio & aguſtorum divorum ſic precipiunt ſanctione ut ea que traduntur & uſum capionibus ponuntur plus legem teneat vigorem quam illam que nudis pactis transferunt quaſi ſimulate concipiunt itcirco cum ex quibus rebus corporaliter fiunt tradicionem neceſſarium eſt ut ea ſcriptis mandentur & teſtium in eorum fiunt preſencia ſcriptionibus roborentur ſicut quondam bone memorie dominus *Iuſtinianus Auguſtus* & primis legislatoribus in conſtitucionibus

nibus suis inter ceteras in secundo libro codicis edicet sic tradicionibus & usucapionibus positum dum ego qui d.... *Mainfredus* in Dei nomine *tabellio* & *Dativus* istius civit..... que fuit de quondam *Iulianus diaconus & monachus monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* ibique me cum bonis omnibus * & bone opinionis & laudabilis fame viris corum nomina ec sunt in primis *Iohannes Dativus* qui vocatur *Caltiapele Stefanus tabellio & Riculfo* nepote suo *Martinus da ripa Iulianus de angua & Iohannes de angua Laurencio de isola Petrus de marina Iohannes de maria Iohannes de fermosa Leonisso Dominicus Inganna massaria Dominicus caltiacrispa Petrus de Guarino cancellarius* & aliis plures quod longum est at scribendum in nostrum supradictorum omnium presencia accedens *Albina* conius presenti & consencienti *Petrus* qui vocatur *de gaitruda* ** & apreendit manibus suis guazonem de ipsa terra & colomnello de ipsa mansione que fuit de *Iulianus diaconus & monachus sancte Marie* & misit in manum de *Martinus presbiter & monacus* atque *Abate regule sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* & dixit ecce investio te de supradicta mansionem cum solo terre suo & curticella sua in capite de ipsa mansionem & per ista invisticione sic investicio te & in tuis successoribus de una pecia terre quod est orto istius *Cumiaccho in regione* ipsius *sancte Iustine* iusta latus terre *Petrus Ruffo* & *Donatus presbiter* sic investicio te tuisque successoribus pro remedium anime de quondam *Iulianus diaconus & monacus regule monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* at iura salario permanenda de ipso *monasterio sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* ut dominium abetis tenetis atque potestatem omnia ordinandi & disponendi & quiquit nobis placuerit faciendi at iura ipsius monasterii in perpetuum & ipso supradicto *Martinus Abas* cum oc audisset & recepit ipsa supradicta invisticionem in manus sua & clara voce dixit & deprecor vos omnes qui ibi estis pro futurum testimonium oc factum est sub die & mense & indictione quintadecima *Cumiaccho*.

✠ *Iohannes* Deo annuente *iudex* in ac investicione ut supra legitur interfui & subscripsi.

✠ *Stefanus* in Dei nomine *tabellio* de in ac investicione ut supra legitur interfui & subscripsi.

✠ *Oddo* filio condam *Oddoni* in ac investicione *&c. ut supra*.

Signum ✠✠✠✠✠ manibus nostris *Martinus de ripa & Iulianus de angua Iohannes de angua Laurencius de isola Petrus de marina* testibus rogatis at omnia supradicta cui relictum est.

✠ *Mainfredus* in Dei nomine *tabellio* & *Dativus* scriptor huius paginam invisticione de omnibus sicut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & assolvi.

No-

(*) *Hoc est* hominibus: (**) *Lacuna hic notarii*.

Noticiam teſtium ideſt:

Iohannes Dativus qui vocatur *Caltiapele* teſtis.
Stefanus tabellio de teſtis.
Oddo filio quondam *Oddonis* teſtis.
Martinus de ripa teſtis.
Iulianus qui vocatur *de angua* teſtis.
Iohannes qui vocatur *de angua* teſtis.
Laurencii qui vocatur *de inſola* teſtis.
Petrus qui vocatur *de marina* teſtis.

XVII.

Donatio vineae facta monaſterio Pompoſiano & Martino Abbati anno 988. 8. *februarii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Iohannis ſummi Pontificis* univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede tercio die octavo menſe februario indictione prima in vico qui vocatur *rere*. Domina ſancta & merita ter beatiſſima *monaſterii ſancte Marie* qui vocatur *in Pompoſia* in qua nunc Deo protegente *domnus Martinus presbiter* & *monachus* atque *Abete* ipſius monaſterii beatiſſime *ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſia* pro oblatione & illuminacione anime noſtre donatoris anime de quondam *Benedictus presbiter* filio noſtro nos quidem in Dei nomine *Petrus* qui vocatur *de ſtadio* & *Petronia* iugalium donatoris pro remedio anime quondam *Benedictus* filio noſtro no ... ruum *Martinus presbiter* & *monachus* atque *Abate regule monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſia* tuiſque ſucceſſoribus Abbatibus & monachis ac iura *monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſia* ideſt una pecia terre cum tulpas vinearum ſupra ſe abentem qui eſt poſitum in vico qui vocatur *rere* in loco qui vocatur *trumbulo* abente ipſa pecia terre in longitudinem ſuam perticas decimpedas viginti & due & in lato perticas decimpedas quinque & pedes ſex ab uno latere iuris *monaſterii ſancte Marie* que votur *in Pompoſia* & ab alio latere iuris *ſancti Silveſtri* ſeo a tercio latere *Andreas de Martinus de Andrea* & a quarto latere rem *Dominicus de Maria de Iohannes* cum ingreſſo & egreſſo ſuo cum omnibus ac eaſdem pertinentibus ſicut ſupra legitur ut liter nobis inibi dominare ire & preoccupare atque ingredere & poteſtatem tanquam per legitimam & noſtram corporalem tradicionem quam noſtris manibus in tuis mittimus in preſencia teſtium qui hic ſubter ſubſcripturi ſunt & ſecundum iſtam paginam donacionis transfercionis a nobis in te facta atque tradita quietum & mire abendi dominium & poteſtatem abetis tenetis atque poteſtatem utendi fruendi ordinandi & diſponendi ex more quod volueritis exinde faciendi quo-

quo-

que at iura *regule monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* plenum dominium de legibus sorciariis effectum contra quameciam donacionis nunquam nos in posterum de eredes successoresque nostros non quam nos neque per nostris filiis & heredibus neque a nostra sumissa persona maioris vel minoris propinquis vel exteris ad non adeundum iudicium & non supplicandum principibus sed immo òmnes secuti & quieti exinde manetis in omnibus quia legibus cautum est ut quod semel donatum vel cesso fuerint nullo modo revocetur etsi coco tempore quem pias persona omnium insurserit qui vobis exinde expellat aut quamlibet calumnia generare voluerit nos supradicto *Petrus de stadio* & *Petronia* iugale donatoris pro remedium anime de quondam *Benedictus presbiter* filio nostro cum nostris filiis & heredibus ab omni persona omnium * in omnibus stare & defensare promittimus. Quodsi quod apsi ** & avertat divina potencia ec omnia que supra legitur non observaverimus vel atimpleverimus & contra exire vel agere aut contendere voluerimus per quemlibet modum vel titulum pro quibus iuratas voces dico per Deum omnipotentem sedemque sancta Apostoli eius tam sanctorum dominorum nostrorum confirmo quia daturi nos esse promittimus nos supradictis *Petrus de stadio* & *Petronia* iugale donatoris una cum nostris filiis & heredibus at tibi *Martinus presbiter* & *monachus* atque *Abate regule monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* tuisque successoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncias sex & post pene solucionis manentem hanc paginam donacionis transfercionis in sua firmitate. Quam vero paginam *Mainfredus* in Dei nomine *tabellio* & *Dativus* scribendum rogavimus in qua & ego subter manus mea propria firmavi testibusque erogitis obtulit nobis orandum eorumque preces eam tibi qui supra contradidit sub die & mense & indictione supradicta prima in vico qui vocatur *rere*.

Signum ✠ ✠ manus nostra *Petrus de stadio* & *Petronia* iugale donatoris ac omnia supradicta cui relectum est.

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manus nostra *Iohannes* & *Bonio genere* filii *Petrus de stadio* & *Iohannis de Vitalis Urso dc Leo de Iustino Ttetdaldo Dominicus de Benata* & *Paulus generi Vitalis de Andrea Petrus* filio *de Iohannes dc Stefanus* testibus rogatis at omnia supradicta cui relectum est.

✠ *Mainfredus tabellio* & *Dativus* scriptor huius pagine donacionis transfercionis de omnibus sicut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & absolvi.

Noticiam testium idest: *Iohannes* & *Bonio generi* filii *Petrus de stadio Iohannes de Vitalis Urso de Leo de Iustino Tedaldo Dominicus de benata* & *Paulus generi Vitalis de Andrea Petrus* filio *de Iohanne de Stefanus*. Em-

(*) *Hoc est*: hominum. (**) *Hoc est*: absit.

XVIII.

Emphyteusis facta a Paulo Abbate ss. Iohannis & Barbaciani Ravennae anno 988. 20. maii.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Iohannis summo Pontifice* ac universali Papa in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli sede anno tercio Imperatore nondum abemus *Otto secundo Imperatore* defuncto nullo in Italia imperante die vigesimo mense madio indictione prima *Ravenne*. Et ideo ego in Dei nomine *Bruchardo* qui vocatur *Buca* & *Petrus* germano suo filii quondam sancte memorie *Petrus* qui vocabatur *de Gregorio* qui vocati estis istius civitatis *Ferrarie* in nomen nostrum & in filiis & in nepotibus vestris & si filiis & nepotibus non abueritis in duobus subcessoribus vestris cui vos per vestrum testamentum aut per qualibet scriptum designaverit per paginam peticionis iuste a presentem diem concedimus & largimur a vobis dicte *domnus Paulus* qui vocatur *subdiaconus* per Domini misericordiam *sancte Ravennate ecclesie* & *Abbas monasterii sancti Iohannis* qui & *Barbaciani* vocatur: Idest unum fundum principalis in integrum qui vocatur *tricenta* cum terris silvis salectis sacionalibus arbustis arboribus & cum omnibus ad eundem pertinentibus vel subgiacentium sibique sunt iustis sito *territorio Ferrariense* subto *ficariole plebem sancte Marie* que vocatur *in trenta* in unum cum suis iustis & certis in terra finibus & in terra fines eiusdem fundo integro qui vocatur *tricenta* hoc est a duobus lateribus *leganiano* & *fussione* seu a tercio latere *Palestrina* adque a quarto latere possedentem iugale *de decoro* qui vocatur *de curnedo* qui nunc sunt etsi quis alia fines sunt vel ab origine fuerunt propriis finibus terminis vel omnibus ad eadem pertinentibus ut supra legitur dum superius vobis nominavimus *Bruchardo* qui vocatur *Buco* & *Petrus* germano suo seo filiis & nepotibus vestris aut duobus subcessoribus vestris quas vobis ipse designaverit per quocumque modum vel titulum divinam graciam hin an lucem iusleri permanere & vitam concedimus & largimus ei habendum tenendum cultandum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum & ex suis propriis expensis seo laboribus meisque filiis & nepotibus vel duobus subcessoribus inferius adfixa pensione reputantes. Prestante quoque vos superius dictus indesinenter secundum paginam peticionis vestre quam vos cuncti cos paginam peticionis tenemus da iure ipsius *monasterii sancti Iohannis* qui vocatur *Barbaciani* & represensionem * nominavimus singulis quibusque annis omnes marcio mense infra indictione pro ipso supradicto fundo in integrum qui vocatur *tricenta* cum omnibus sibi pertinen-

(*) *Hoc est:* pensionem.

tinentibus ſicut ſupralegitur ideſt in argientum denarios duo titulo penſio ut dictum eſt perſolvatur. Pro eo quia exinde accepit de manibus noſtris ſupradicto *Bruchardo* qui vocatur *Buco* & *Petrus* germano ſuo petitori de manibus meis iam memorato *Paulo* venerabilis *ſubdiaconus ſancte* iam dicte *Ravennate ecclesie Abbate* predicte monaſterii in preſencia teſtium qui ic ſubter ſubſcripturi ſunt calciariis nominavimus ideſt in argientum de denarios ſolidos viginti & quinque & pro hunc quoque ſolidos ana denarios duodecim: ita ut poſt die tranſitum illorum ſuperius dictus munus expletus quandoque Domino placuerit tunc ipſum predictum fundum unum in integrum qui cognominabitur *tricenta* cultum reſtauratum defenſatum & in omnibus melioratum vel quidquid ad nobis inibi aditum melioratumque fuerit ad iuris dominiumque pre iuris ſupradicti *monaſterii* veſtris *beati Iohannis* qui & *Barbaciani* vocatur cui eſt iura & proprietas modis omnibus revertatur dominium & poteſtatem. Promittens preterea nunc nulli diebus nullique temporibus vite illorum ſuperius dictus ego autem meiſque ſubceſſoribus per quibuslibet argumentum aut exquiſitis ocanſionibus certas huius paginam peticionis inviolate ſeo inviolabiliter modis omnibus conſervare & cuſtodire promittimus iurantes per divina omnia miſteria ſedemque ſanctam apoſtolicam & vitam ſanctorum dominorum noſtrorum ateſtacionem confirmamus & expeticionis ad vobis in nobis factam minime valere neque agierint tunc daturo me eſſe promitto ego ſupradicto *Paulo* gracia Dei *ſubdiaconus* & *Abate* monaſterii noſtris hunam cum meis ſubceſſoribus ad vobis ſuperius denominatis *Bruchardo* qui vocatur *Buco* & *Petrus* germano tuo vocatis *ſancte Ferrarienſis ecclesie* ſeo filiis & nepotibus veſtris aut duobus ſubceſſoribus veſtris cui vos deſignaverit per cocumque modum vel titulum ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncias duas & poſt penam ſolucionem maneat hanc paginam peticionis in ſua firmiſſima: quam vero ec pagina *Iohannes* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ferrarie* ſcribendo rogavimus in qua nos ſubter manus noſtra propria firmavimus teſtibuſque ad nobis rogitis obtullimus roborando eoromque preſenciam tibi co ſupra contradimus & indictione prima *Ravenne*.

✠ *Brochardus* filio condam *Petri* uius paina peticionis ſicut ſupra legitnr manu mea ſubſcripſi.

✠ *Iohannes* d vino lumine * annuente *Dativus* huic membrane peticionis de omnibus ſicut ſupra notatum eſt rogatus teſtis ſubſcripſi & ſupernotati calciarii prebente & recipiente cerni.

✠ *Tribanus* filio *Dedit conſuli* uic peticionis de omnibus ſicut ſupra notatum eſt *&c. ut ſupra*.

✠ *Gerardus* filio quondam *Dominici negociatoris* huic peticionis de omnibus *&c. ut ſupra*.

✠ Ego

(*) *Hoc eſt*: numine.

✠ Ego *Arardo* filio *Rostedi* huic peticionis ſicut ſupra legitur me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego *Adrianus* filio *Wido* huius peticionis rogatus a ſupradicto ſicut ſupra legitur me teſte ſubſcripſi.

✠ *Iohannes* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ferrarie* ſcriptor huius paginam peticionis de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque traditam complevi & abſolvi & dedit.

Noticiam teſtium ideſt:

Iohannes teſte.
Tribunus teſte.
Gerardus teſte.
Garardo teſte.
Adrianus teſte.

XIX.

Emphyteuſis facta a Gherardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae de capella s. Petri de corneto anno 988. die 20.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Iohannis ſummi Pontificis* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede tercio die vieſimo indictione prima *Ravenne*. Petimus a vobis in Dei nomine *Gerardus clericus* & *notarius ſancte Ravennatis eccleſie* & *Abbas monaſterii ſancte Marie* que vocatur *a ſenodochio* qui eſt ſitus in civitate *Ravenne* prope non longe *porta* que vocatur *ſancti Laurencii*. Uti nobis in Dei nomine *Bernardus diaconus ſancte Ferrarienſe eccleſie* filio quondam *Urſus iudex Ferrarienſe* ſeo & in duobus ſubceſſoribus meis unum poſt unum qualiter mihi placuerit dare vel derelinquere ſitque *Everardus conſul* gener eius petitore me quamque & pro perſone in *Ingillo* & *Rainerio* & *Ivilla* germani mei filii quondam ſupradicto *Urſus iudex* ſeo filiis & nepotibus noſtris & qualis de ex nobis ſupradicti germani unum ante de alterum ſine filio aut nepote mortuum fuerit tunc eius porcionem cadant at illi qui ſupravixerit ſeu filii noſtris per enfiteuticario iure a preſenti die concediſtis & largiſtis nobis rem iuris ſupradicti monaſterii veſtris ideſt quam concediſtis & largiſtis mihi ſupradicto *Bernardus diacono* ſeo & in duobus ſubceſſoribus meis ſicut ſupra legitur *capella* in integrum cui vocabulum eſt *ſancti Petri* cum ingreſſo & egreſſo ſuo & cum omnibus ſibi pertinentibus qui eſt poſita in fundum qui vocatur *cornito* & inſuper & concediſtis & largiſtis nobis ſupradicto *Bernardus diaconus* item & in duobus ſubceſſoribus meis ut ſupra legitur ſitque *Everardus* & *Ingillo* & *Rainerio* germani atque filii & nepotibus noſtris ut ſupra legitur ideſt predicto fundum unum principale in integrum qui vocatur *cornito* cum terris & vineis campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacio-

Hhh 2

facionibus una cum arbuftis arboribus & padulibus cum pifcacionibus & venacionibus atque ocupacionibus fuis & cum omnibus fibi pertinentibus fitas *territorio Ferrarienfe plebe fancti Stefani* qui vocatur *in villa marciana in falta* in tera fines de fupradicto fundum in integrum qui vocatur *cornito* cum omnibus fibi pertinentibus ut fupra legitur hoc eft ab uno latere *mediogurgo* qui vocatur *de vitullo* & ab alio latere *pire* qui vocatur *pillara* ubi termine effe videtur feo a tercio latere fundum qui vocatur *graviano* atque a quarto latere *foffa* in integrum que vocatur vel omnibus ut fupra legitur. Dum nos fuperius nominati germani atque filiis & nepotibus noftris & ipfis fubcefforibus ficut fupra legitur divina graciam in ac lucem iufferit permanere vitam concediftis & largiftis nobis eas abendum tenendum poffidendum defenfandum & in omnibus meliorandum & tu fupradicto Abbas una cum tuis fubcefforibus de fupradicto monafterio at nobis fupradicti germani petitoris & at noftris filiis & nepotibus & ipfis fubcefforibus ficut fupra legitur ab omni perfonas omnium * in omnibus exinde ftare & auctoriare debeatis & ex noftris propriis expenfis feo laboribus nihil aliquod inferius atfixa penfione reputari debeamus. Preftante quoque nos fuperius nominati germani atque filiis & nepotibus noftris & ipfis fubcefforibus ut fupra legitur indefinenter fecundum paginam peticionis noftre penfionem nomine fingulis quibufque anni omnis marcio menfis infra indictione pro ipfo fupradicto fundum in integrum qui vocatur *cornito* cum omnibns fibi pertinentibus ut fupra legitur ideft in argentum denarios treginta & fex & pro ipfa capella cum omnibus fibi pertinentibus ut fupra legitur hoc eft in argentum denarios tres tantum penfionem ut dictum eft perfolvatur. Pro eo quia exinde accepiftis in manibus tuis fupradicto Abbas de manibus tuis fupradicto *Bernardus diaconus* & de manibus tuis fupradicto *Everardo* tam pro me & pro fupradicti germani in prefenciam teftium qui fubter fubfcripturi funt calciarii nomine ideft libro uno pro in argentum folidos feptem & per unoquoque folido ana denariorum duodecim. Ita & poft tranfitum noftrorum fupradicti petitori feo filiis & nepotibus noftris & ipfis fubcefforibus ut fupra legitur munus expletum quandoque Deum placuerit tunc fupradicta res que fupra legitur cultas laboratas defenfatas & in omnibus melioratas que fuerit at ius dominiumque fupradicto monafterio veftro cuius eft iura & proprietas modis omnibus revertatur. Quod fi quod abfit & avertat divina potencia ec omnia que fupra legitur non obfervaverimus iuratas voce dico per Deum omnipotentem fedemque fanctam apoftolicam & vitam fanctorum dominorum noftrorum.... ateftacione confirmo quia daturis nos effe promittimus nos iam dicti petitoris feo filiis & nepotibus noftris & ipfis fubcefforibus ut fupra legitur at tibi fupradicto Abbati tuifque fubcefforibus ante omnis

(*) *Hoc eft*: hominum.

omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncias duas & post pene solucionem maneat hanc paginam peticionis in sua firmitate. Quam vero paginam *Petrus* Dei nutu *ex genere consulum* & *tabellionem* huius civitatis *Ravenne* scribendum rogavi & subtus manu mea proprie firmavi testibusque a nobis rogitis dedi roborandam eorum presenciam eam vobis ut supra tradit unum alterium die mense indictione supradicta *Ravenne*.

✠ *Bernardus diaconus sancte Ferrariensis ecclesie* huic pagina peticionis a me facta subscripsi & testibus scribere rogavi & supradicte calciarie dededi.

✠ *Everardo consul* huic painam peticionis pro me & pro persone *Ingizo* & *Rainerio* germani mei a me facta subscripsi & testibus scribere rogavit & supradicte calciarie dedit.

✠ *Petrus* filius quondam *Pauli* qui vocabatur de *Traversaria* huic pagine peticionis de omnibus sicut supra legitur rogatus testis subscripsi & supradicte calciarie dante & accipiente vidi.

✠ *Constantinus* in Dei nomine *tabellionem* huius civitatis *Ravenne* huic pagine peticionis sicut supra legitur *&c. ut supra*.

Gregorius filio *Dominicus* qui vocatur *Baldo* huic paginam peticionis *&c. ut supra*.

✠ *Petrus* Dei nutu *ex genere consulum* & *tabellionem* huius civitatis *Ravenne* scriptor hanc peticionem ut supra legitur post roboracionem testium complevi & absolvit.

Noticiam testium idest: *Petrus &c.*

X X.

Iudicatum Iohannis Archiepiscopi Placentini de bonis quibusdam in territorio Liviensi anno 990. 13. martii.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini *Iohannis summi Pontificis* & huniversalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede quinto die terciodecimo mensis marcii indictione tercia foris civitatem *Ravenne* in loco qui dicitur *sablonaria* post *tribunal palacii* quod olim construere iussit domnus *Hotto Imperator*. Ea enim que iesta * esse videntur in futuris pro hisque temporibus memoriter retineri non possunt quapropter necesse est scripture vinculo anotari. Igitur dum resideret Deo annuente *Iohannes Archiepiscopus sancte Placentine ecclesie* in generali placito simul cum eo *Hugo* gracia Dei *Episcopus burgiensis* iussione domne *Theophana Imperatricis* residentes & adstantes cum eis nobiles viri laudabilesque fama nomina quorum sunt hec idest *Paulus dativus Petrus dativus Andreas dativus de Utilis Iohannes dativus* filius quondam *Iohannis consulis* & alter *Iohannes*

(*) *Hoc est*: gesta.

nes dativus calcianpelle Petrus de Traversaria & *Paulus* & *Petrus* germani filii sui *Paulus de Traversaria* & *Petrus* usque *Deusdedit* filii sui *Iohannes dux Iohannes consul* & *pater civitatis Paulus* & *Petrus* germani filii quondam *Pauli* qui vocabatur *de Traversaria Gerardus de Farualdo* & *Farualdus* qui vocatur *Paulus* filius iam dicti *Pauli iudicis Petrus consul de Cristoduli Gerardus consul Iohannes de Guandilo Vitalis* filius quondam *Vitalis* neque *Constantinus de Laloario Iohanne de Tenda* & *Mauricius* filius suus *Mauricus consul de Romano* & *Paulus Rastaricus Andreas tabellio Apollinaris tabellio* & *Addo tabellio* & ego *Iohannes* Deo largiente *tabellio* civitatis *Ravenne* & alii quorum recordari non possum. In eorum iam dictorum presencia reclamaverunt & interpellaverunt supradicti germani *Paulus* & *Petrus* filii quondam *Petri* qui vocabatur *de Traversaria* semel & bis & tercia vice *de Iohanne* qui vocatur *de Mariana* & de *Iohanni de strati* & de *Gisulfo* & *Dominico* germani suo de omni re integra quam ipsi detinent in fundo *scamno* & in fundo *lisiniana* & in fundo *peritulo* & *roveritulo* sitis in *territorio Liviensis* & *plebe sancte Marie in aqueducto* que res nobis pertinet & nobis contendunt. Hoc audito a predicto *Iohanne Archiepiscopo* & ab *Hugone Episcopo* stipulati sunt supradictis iudicibus que de hoc lex esset & ipsi iudices dixerunt facite eos vocare per publicum cancellarium in eodem placito & ita factum est & minime eos habere potuit. Item iam facti * *Iohannes Archiepiscopus* & *Hugo* dixerunt ipsis iudicibus quid rectum esset de hoc iudices vero dixerunt postquam eos vocare fecistis & ad placitum non venerunt rectum est ut vos istis germanis *Paulo* & *Petro* de ipsis rebus investiatis salva querela & ita fecerunt per virgam quam in suis denitebant manibus. Hoc autem facto apreenderunt manu *Riculfum cancellarium* & miserunt in manus iam dictorum germanorum ut cum illis ad eas res pergeret & corporaliter illis exinde investiret deinde miserunt bandum super capita eorum ut nullus sit ausus eis de illa re disvestire sine legali iudicio & qui facere presumpserit sit se compositurus centum mancosos aureos medietatem camere Imperatricis & medietatem ipsis germanis eorumque heredibus. Hoc factum est sub die & mense indicione supradicta tercia foris civitatis *Ravenne* in loco qui dicitur *sablonaria* post *tribunal palacii* quod construere iussit domnus *Hotto Imperator*.

✠ *Petrus* Deo donante *dativus* in hac investicione & bandicione interfui & ss.

✠ *Andreas* Deo favente *dativus* in hac investicione ut superius legitur interfui & ss.

✠ *Petrus* filius quondam *Petri consullis* in hac investicione ut superius legitur interfui.

XXI. *Em-*

(*) *Hoc est*: fati.

XXI.

Emphyteusis facta ab Araldo comite in confinio bonorum monasterii Pomposiani anno 997. 5. octobris.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Gregorii summi Pontificis* & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede secundo atque imperii domini piissimo atque augusto *Otto* a Deo coronato pacifico magno Imperatori in Italia anno secundo die quinta mense octuber indictione undecima *in ripa sancte Marie* que vocatur *in Pomposia*. Petis a me in Dei nomine domnus *Arardus* gracia Dei *comes* uti vobis in Dei nomine *Bonzio* filio quondam *Amizo* tuisque filiis & heredibus livellario nomine condimus & largimur atque confirmamus vobis rem iuris mei supradicto patrono ideſt una pecia terre casali celo tecta qui est posita *iu Cumiaclo in regione sancte Marie* que vocatur *fermonsa* abente ipsa pecia terre in longitudinem suam pedes undecim & in lato pedes novem a duobus lateribus posita iuris *monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* seo a tercio latere plathea publica percorente atque a quarto latere sevalia ad comune & sibi pertinentibus qui decurrit a plathea publica & a supradicta sevalia pro non accesso & ipso accesso gribo quamque per terra andito a *canale del campo* qui vocatur *da core* cum ingresso & egresso suo & cum omnibus ab easdem pertinentibus sicut supra legitur eas ad abendum tenendum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum in annis avenientibus viginti & novem at renovandum salvas sanaciones domnico dandum ita sane ut inferatis domnice racionibus nobis nostrisque filiis & heredibus dare debeatis omnes marcio mense denarios quatuor atque pensionem ut dictum persolvatis & quia exinde accepi ab manibus tuis petitorem manibus meis domnus *Arardus comes* in presencia testium qui hic subter subscripturi sunt calciari monasterii ideſt in argentum solidos quatuor & per unumquemque solidos ana denariorum duodecim & non habetis licenciam vos colonis de ipsa terra at alium ominem neque placitum ambulare nisi ante nostram presenciam aut si quis vero pars nostrum contra os libello ire tentaverimus antequam finitum tempus sicut supra legitur dat pars parti fidem servantis ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & post pene solucionis manentem os libello in suo rubore: quos vero libello uno tinore conscripto *Mainfredus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* scribendum rogavimus & unus alterius nobis pariter iubemus quod consecuti sumus agamus Deum & vobis massimas gracias.

Signum ✠ manus mea domnus *Arardus comes* qui ei facere rogavi

gavi & manibus meis firmavi at omnia fupradicta cui relectum eft.

Signum ✠✠✠✠✠ manibus noftris *Verardo gener Leomurgo* & *Vrfo de Teveia* & *Iohannes* qui vocatur *dux de* *Domizo* filio *Domizo Riperto* filio Maulfo *Petrus de Duleia* teftibus rogatis at omnia fupradicta cui relectum eft.

✠ *Mainfredus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* fcriptor huius libellum de omnibus ficut fupra legitur poft roboracionem teftium atque tradita complevi & affolvi.

Noticiam teftium ideft: *Verardo gener Leomurgo Vrfo de Teveia* & *Iohannes* qui vocatur *dux de* *Domizo* filio *Domizo Riperto* filio *Maulfredi Petrus de Duleia*.

X X I I.

Emphyteufis facta a Gherardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 998. 24. martii.

Ex tabulario Pompofiano.

In nomine fancte & individue Trinitatis pontificatus vero domini noftri *Gregorii fummi Pontificis* & univerfalis Pape in apoftolica facratiffima beati Petri Apoftoli Domini fede anno fecundo fitque imperante domno *Ottone* piiffimo propicio augufto a Deo coronato pacifico magno *Imperatore* regnante in Italia anno fecundo in Dei nomine die vigefimo quarto menfe marcio indictione undecima in vico qui vocatur *Runginano*. Petimus ad vobis quidem in Dei nomine *Gariardo clericus* & *notarius* & *Abbas monafterii fancte* femperque virginis Dei genitricis *Marie* que vocatur *in fenodochio* una per confenfum eiufdem *Datibo* qui vocatur *de Furaldo* uti nobis prefente in Dei nomine *Mauro* filio quondam bone memorie *Ebdoino* nominatis petitorem feum filii & heredibus meis libellum nomine concediftis di rem iuris proprietatis *monafterii fancte Marie in fenodochio* ideft tota & integrum medietatem defuper totum fundo qui vocatur *tuffini* cum duabus monafteriis fupra fe abente & funt nominati *Defiderius* & *Iulius maffaricia Leo presbiter* qui vocatur *de Laugignano* cum omnibus fupra ipfa medietate fupra fe & hinfra fe abente ipfius fundo qui vocatur *tuffini* ab uno latere foffa que vocatur qui vocatur de *corneto* & ab alio latere ter de *Petrus* qui eft in fine inter *laugnano* & *tuffini* feum ad tercio latere foffa & argele que eft inter *tuffini* & *filbule* atque a quarto latere fundo qui vocatur *gragnano* omnia cum terris & vineis campis pratis pafcuis filvis falectis padulibus pifcacionibus venacionibus arbuftis arboribus pumiferis & infructiferis cafeteum & cafalibus atque omnibus eifdem pertinentibus conftituto territorio fundo qui vocatur *tuffini* ec omnia concediftis mihi predicto patrone abendum tenendum laborandum cultandum & quicquid mihi predicto petitore fecundum paginam peticionis libellum faciendum in annis adve-

advenientibus vihinti & novem ad renovandum ad altero libellum renovemus si iuste & racionabiliter ad vobis petimus & ab aliis omnibus detinemus. Ita sane ad inferamus domnice racionibus & tuisque successoribus ego predicto petitore meisque filiis & heredibus omnes mense marcio dare debeamus pro idum & amictum in ariento denaris sex titulo pensio ut dictum est persolvamus. Pro eo quia dedimus calciarie in manibus vestris predicto *Gairardo clericus* & *Abbas* de manibus meis predicto *Mauro* petitore in presenciam testium qui ic subter subscripturi sunt idest per estimado ex valiente denariorum so per unoquoque solidos ana denariorum duodecim boni utili & sibi placabili & nihil amplius rediberi de ipse maiore quidem domnico nostro vel nostra dominacione cum onere & obediencia subsipere debeamus. Et si quis vero pars nostrum supradicto petitore vel meis filiis & heredibus contra anc peticionis paginam libellum ire temtaverimus aut non observaverimus omnia vero ut supra legitur per codris modis aut ingenium quia daturo me esse promitto ego predicto *Mauro* petitore una cum meis filiis & heredibus in omnibus pe & defensare promittimus & sit facere non presunserimus componere & solvere tibi predicto domnus *Gariardo Abbas* atque ad vestrisque subcessoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizi uncie tres & post pene solucionem manente os libello in suo omnia robore & firmitatis. Cos vero libellum uno tinore conscripto *Andreas* in Dei nomine *tabellio de comitato Gavello* & de vico qui vocatur *cepurio* scribendum rogavi & subter manus nostre proprie firmavimus testibusque ad me erogitis obtuli subscribenda eosque presenciam eam tibi contradidit sub die mense & indictione supradicta undecima.

Signum ✠ manus supradicto *Mauro* petitore ad omnia predicta cui relectum est.

Signum ✠ predicto *Eldoino* qui vocatur *de Rudige* & *Dominicus* qui vocatur *de Gragnano* & *Iohannes* filio *Petrus* qui vocatur *de Cornedo* & *Arnulpho* filio quondam *Petrus* qui vocatur

✠ *Andreas* in Dei nomine *tabellio de comitato Gavello* & de vico qui vocatur *cepurio* scriptor huius paginam peticionis paginam libellum sicut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & absolvi.

Noticiam testium idest:
Iohannes teste.
Arnulfo teste.
Eldoino teste.
Dominicus teste.

XXIII.

Diploma, quod datum dicitur, ab Ottone III. Imperatore monasterio s. Salvatoris Papienſis anno 999. 10. aprilis.

Ex Bullar. Caſinen. tom. II. conſtitut. 52. pag. 44.

In nomine domini Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. *Otto* gratia Dei Imperator Auguſtus, anno imperii eius, Deo propitio, duodecimo, die duodecima menſis aprilis, indictione duodecima. *Monaſterio domini Salvatoris*, quod eſt fundatum foris, & prope civitatem *Papiae* a domna *Adeleyda* Imperatrice Auguſta &c. Ego ipſa *Adeleyda* Imperatrix relicta bonae memoriae domni *Ottonis* Imperatoris &c. offertrix, & donatrix &c. dono, & offero a preſenti die in eodem *monaſterio domni Salvatoris* pto anima predicti bonae memoriae domni Imperatoris *Ottonis*, qui fuit vir meus, ſeu item *Ottonis* ſimiliter Imperatoris, qui & filius meus, atque pro anima tertii *Ottonis* Imperatoris mei abiatici, ſeu pro anima mea &c. ſicut infra legitur &c. Inſuper *monaſterium* in honorem ſanctae Dei genitricis virginis Mariae conſtructum in loco qui dicitur *Pomposa*, & omnia quae in *Comaclio* ſunt, quae intra caſtrum ſunt, quae vel extra cernuntur, tam in *Reda*, quam in *Quinto*, in *Corda*, *Cervino*, & in *Figariolo*, *Zuonza*, *Zunziano*, *Sariano*, & omnes ſalinas, & oliveta, quae vel omnia iam dicto monaſterio ſanctae Dei genitricis Mariae pertinent &c. Actum infra caſtrum quod dicitur Aſterna iudiciaria Alſatienſe feliciter &c.

IV.

Diploma, quod datum dicitur ab Ottone III. Imperatore Leoni Archiepiſcopo Ravennae anno 999. 27. ſeptembris.

Ex annalib. Camald. tom. I. in append. col. 155.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. *Otto* ſuperna favente clementia Romanorum *Imperator* Auguſtus. Si locis divino cultui mancipatis &c. Qua propter agnoſcant omnes fideles noſtri preſentes atque futuri, qualiter nos pro Dei omnipotentis amore, animeque noſtre abſolutione, necnon interventu ac petitione domni *Leonis ſancte Ravennatis eccleſie* venerabilis *Archiepiſcopi* ſue ſancte ſedi per hanc noſtram preceptalem paginam confirmamus & firmiſſime corroboramus omnes illos pertinentes epiſcopatus *&c.* Inſuper *&c. maſſam* que vocatur *fiſcalia* cum *cornacervina*. *Monaſterim ſancte Marie in Pompoſia* &c. Inſuper de *portu Volane* cum piſcariis ſuis uſque ad *portum Cervie* &c. &c. quod ut verius credatur &c.

Signum domni Ottonis &c. Heribertus cancellarius &c.

Data v. kalendas octobris anno Dominice incarnationis DCCCC. XC. VIIII indictione XII. anno tertii Ottonis regni XVI. imperii IIII.

Actum Rome feliciter.


XXV. *Di-*

X X V.

Diploma Ottonis III. Imperatoris datum monasterio Pomposiano anno 1001. 31. *martii.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine sancte & individue Trinitatis. *Otto* superna favente clemencia Romanorum *Imperor* Augustus. Omnium fidelium nostrorum tam presencium quam & futurorum noverit universitas quod nos pro Dei omnipotentis amore animeque nostre remedio ac peticione domni *Wilelmi* Deo amabilis *heremite monasterio sancte Marie* quod dicitur in *Pomposia* nostra imperiali auctoritate confirmamus omnia que illo pertinent: in quocumque loco maneant in terris vineis silvis piscariis pascuis & ceteris pertinenciis. Statuimus itaque & precipimus firmiter concedentes ut nemo ibidem ponatur in Abbatem nisi quem heremite ibidem Deo militantes eligunt communi consilio fratrum. Igitur si quis hoc consilium fregerit componat centum libras auri cocti medietatem camere nostre & medietatem predictis fratribus heremitis. Quod ut verius credatur hanc paginam manu propria roborantes sigillare precepimus

Signum domni Ottonis  Cesaris invicti

Heribertus cancellarius vice *Petri Cumani Episcopi* recognovit.

Data II. kal aprilis anno Dominice incarnationis M. primo indictione XIIII. anno tercii Ottonis regni XVII. imperii V.

Actum Ravenne feliciter amen.

Plumbeum fortasse sigillum pendebat deperditum.

X X V I.

Placitum Ravennae habitum ab Silvestro II. Romano Pontifice, & Ottone III. Imperatore pro Pomposiano monasterio anno 1001. 4. *aprilis.*

Ex annalib. Camald. tom. I. in append. col. 160.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Anno Deo propitio pontificatus domini nostri *Silvestri summi Pontificis* & universalis

Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede ſecundo. Sicque imperante domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto *Ottone*, a Deo coronato, pacifico, magno *Imperatore* in Italia vero anno v. die quarto menſis aprilis indictione quartadecima, infra clauſtra *monaſterii ſancti Apollinaris*, qui vocatur *in claſſe*. Ea enim que geſta eſſe videntur, prolixis temporibus memoriter retineri non poſſunt: ideo ſcripture vinculo anotari equum eſt. Igitur cum Chriſti auxilio dum reſiderent predicti domni *Silveſtri ſummi Pontifici* & univerſali Pape una cum eo domno *Ottone* ſereniſſimus Romanorum *Imperator* Auguſtus in predicta clauſtra *monaſterii ſancti Apollinaris*, qui vocatur *in claſſe*, iuſtitiam faciendam & altercationes deliberandos reſidentibus & aſtantibus cum eis Epiſcopis, Abbatibus, diaconibus, monachis, & eremitis, clericis, comitibus, iudicibus, atque conſulibus & aliorum ſublimium, quorum nomina hec ſunt. Ideſt in primis domnus *Petrus* gratia Dei *Epiſcopus Cumienſis ecclesie*, *Otbertus Epiſcopus ſancte Veronenſis ecclesie*, *Leo* prudentiſſimus *Epiſcopus ſancte Vercellenſis ecclesie* & *logotheta ſacri palatii*, *Dominicus Epiſcopus Sutrienſis ecclesie*, *Sergius Epiſcopus ſancte Ceſinenſis ecclesie*, *Odilo Abbas monaſterii ſancti Petri Cluniacenſis*, *Andreas Abbas monaſterii ſancti Salvatoris Ticinenſis*, *Robertus oblacionarius ſancte ſumme ſedis apoſtolice Romane ecclesie*, *Fridericus presbiter ſancte Romane ecclesie Cardinale*, *Giſilbertus*, qui vocatur *Bonizo presbiter & monachus ſancti Salvatoris Ticinenſis*, *Anaſtaſius Abbas monaſterii ſancte Marie Selavanenſis provincie*, *Giribaldus Abbas monaſterii ſancte Criſtine Ticinenſis*, *Arderardus Abbas monaſterii ſancti Apollinaris in claſſe*, *Bonizo Abbas monaſterii ſancti Severi*, *Romualdus Abbas* & *eremita*, *Guillielmus presbiter* & *eremita*, *Iohannes presbiter* & *eremita*, & alius *Iohannes monachus* ſimiliter & *eremita*, *Bonifacio eremita*, *Baldericus clericus* & *capellanus Imperatoris*, *Guazo diaconus* ſimiliter *capellanus* domni *Imperatoris Ottoni*, *Poppo* item *capellanus*, *Conſtantinus archidiaconus ſancte Ravennatis ecclesie*, *Guarinus presbiter* eiuſdem ſancte Ravennatis, *Morenatius ſubdiaconus* eiuſdem, *Petrus clericus* & *notarius ſancte Ravennatis ecclesie*, *Petrus ſacroſancti palatii Lateranenſis comes*, *Arardus comes*, *Tarvaldus*, qui vocatur *Paulus iudex* & *ex genere ducum*, *Petrus iudex ſacroſancti palatii*, *iudex & advocator ſancte Ravennatis ecclesie*, & alius *Petrus iudex* filius quondam *Pauli ex genere ducum*, qui vocatur *de Traverſaria*, *Andreas iudex*, qui vocatur *Utile*, & alio *Andrea dativo*, qui vocatur *de Severo*, *Iohannes dativus calciapelle*, *Almericus* filius quondam *Iohannis ducis*, *Paulus* filius quondam *Petri de Traverſaria*, & alius *Paulus* filius *Petri de Traverſaria*, & alius *Paulus* filius *Petri de Traverſaria*, *Petrus* filius *Iohannis ducis*, *Petrus de Adelberto*, *Iohannes conſul*, qui vocatur *de Guanchilo*, *Gofredus de Bagno*, *Tetbertus de Atiliano*, *Apollinaris*, qui vocatur *Habertus*, filius quondam *Deuſdedit conſulis de ponte auguſti*, *Mauritius negotiator*, filius quondam *Iohannis de Teuda*, *Bonizo de Leucio*, *Linzo negociator* filius quondam *Vitalis negotiatoris* qui vocatur

catur *de Marino*, *Rainardus Ticinensis*, *& advocator* supradicti *Abbatis sancti Salvatoris*, *Iohannes* filius quondam *Iohannis de Andrea de amabili*, *Andreas tabellio ex genere consulum*, *Lazarius tabellio*, *Iohannes* qui vocatur *de vera* & *vicedomini sancte Ravennatis ecclesie*, *Adalbertus de uficia*, & me presentem *Constantinus* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne*, & alii plures, quos longum est ad scribendum. In istorum omnium suprascriptorum presentia relecta est cartula petitionis, quas petivit quondam *Constantinus presbiter* & *Abbas monasterii sancte Marie*, qui vocatur in *Pomposia*, ad quondam domnus *Iohannes* sanctissimo *Archiepiscopo sancte Ravennatis ecclesie* de supradicto *monasterio sancte Marie* & de *monasterio sancti Vitalis martiris* in ipsius *insula* posito cum omnibus ad ipsi monasterii pertinentibus, sitas in *territorio Comiaclensis*, a summo usque ad expletam roborationem testium. Et cum relecta eius ter interrogavit supradictus *Petrus sacrosancti palatii iudex* & *advocatus sancte Ravennatis ecclesie* predicte *Andreas Abbati monasterii sancti Salvatoris Ticinensis* una cum supradicto *advocatore* suo nomine *Rainaldus ex genere Longobardorum*, si aliquid diceret, ipsam cartulam petitionis an non. Et ipse Abbas pariter cum supradicto advocatore suo dixerunt: Laudamus eam, quia bona est, & volumus, ut sit firmam & stabilem in perpetuum, statimque adprehendiderunt in manibus suis virgam, & miserunt in manu supradicto *Petro iudex sacrosancti palatii*, & *advocatus sancte Ravennatis ecclesie*, & dixerunt: ecce refutamus tibi invice *sancte Ravennatis ecclesie*, ipsum *monasterium sancte Marie*, qui vocatur in *Pomposia*, & *monasterium sancti Vitalis martiris* in ipsa *insula* posito, & omnibus rebus, que in ipsa carta petitionis relegitur, ut habeant *sancta Ravennas ecclesia*, ipsum *monasterium sancte Marie*, qui vocatur *in Pomposia*, & *sancti Vitalis martiris* in perpetuum. Et spopondit se ipse supradictus *Andreas Abbas* supradicti *monasterii sancti Salvatoris* una cum *advocatore* suo nomine *Rainardus ex genere Longobardorum*: Si unquam in tempore ille aut sui successoribus, aut sua summissa persona, de ipso *monasterio sancte Marie*, quo vocatur in *Pomposia*, & *sancti Vitalis martiris*, secundum quod relegitur in ipsa cartula petitionis, se intromiserit, aut agere, vel contendere presumpserit: sciat se compositurus auri optimi libras decem ad *sanctam Ravennatem ecclesiam*, suisque Archiepiscopis, & hanc refutationem, & sponsionem in sua firmitate permaneat. Et similiter interrogatus est *Georgius Episcopus sancte Comiaclensis ecclesie* cum *advocatore* suo nomine supradicto *Andreas ex genere consulis* & *tabellio*, & *Albericus Episcopus sancte Adrianensis ecclesie* cum *advocato* suo nomine *Apollinaris* qui vocatur *Vbertus de ponte augusti*, a prefato *Petro iudex sacri palatii*, & *advocatus sancte Ravennatis ecclesie*, si aliquid vellent dicere de ipsa carta petitionis de supradictis *monasteriis sancte Marie* & *sancti Vitalis*, que in eorum presentia relecta est. Et ipsi Episcopi pariter cum advocatoribus suis dixerunt. Laudamus eam, quia

quia bona eſt, & volumus ut ſit firmum & ſtabilem in perpetuum. Et ſpoponderunt ſe predicti Epiſcopi cum ſupradictis advocatoribus ſuis, ut ſi umquam in tempore illi aut illorum ſucceſſorum vel illorum ſummiſſa perſona de prefatis monaſteriis cum omnibus ſibi pertinentibus contra voluntatem *Archiepiſcopi ſancte Ravennatis eccleſie* auri optimi pro unuſquiſque libras decem; & hanc ſpoſionem & laudationem in ſuam firmitatem permaneat. Hec audiente prenominato domnus *Petrus ſacroſancti palatii iudex* & *ſancte Ravennatis eccleſie advocatus* dixit: Deprecor vos omnes qui hoc auditis & videtis pro futuro teſtimonio. Hoc factum eſt ſub die, menſe, & indictione ſupradicta quartadecima in iſta clauſtra *monaſterii ſancti Apollinaris*, qui vocatur *in claſſe*.

☧ Ego *Silveſter* ſancte catholice, & apoſtolice *eccleſie Romane preſul* huic refutacioni & ſponſioni, ut ſupra legitur, prefui & ſubſcripſi.

✠ *Otto ſervus Apoſtolorum* ſubſcripſi.

✠ Ego *Rodbertus* ſancte catholice & apoſtolice *eccleſie Romane diaconus* & *oblationarius* interfui.

✠ Ego *Dominicus* gratia Dei *ſancte Sutrine eccleſie Epiſcopus* interfui & ſubſcripſi.

✠ Ego *Petrus Cumanus Epiſcopus* ſubſcripſi. ✠ *Otbertus Veronenſis Epiſcopus* interfuit.

✠ *Georgius Epiſcopus ſancte Comaclienſis eccleſie* interfuit.

✠ Ego *Andreas Abbas monaſterii ſancti Salvatoris* interfui.

✠ Ego *Arderatus presbiter* & monachus & Abbas ſancti Apollinaris interfuit.

✠ *Urſus presbiter* & *monachus* & *Abbas monaſterii ſancti Andree*, qui vocatur *maioris* interfuit.

✠ *Romualdus monachus* interfuit.

✠ *Conſtantinus* in Dei nomine *tabellio* civitatis *Ravenne*, & Dei gratia *ſacri palatii iudex* huic refutationi & ſponſioni interfui & ſubſcripſi. ✠ Ego *Petrus* Deo annuente *dativus* huic refutationi *&c. ut ſupra*.

. & *logotheta palacii* affuit, voluit, laudavit, decrevit, & in eternum valere precepit.

Andreas Chriſti miſericordia *tabellio* interfuit & ſubſcripſit.

. in Dei nomine *tabellio* civitatis *Ravenne* ſcriptor huius refutationis & ſponſionis, de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roborationem iudicum & teſtium :. . . . abſolvi.


XXVII. *Di-*

XXVII.

Diploma alterum datum ab Ottone III. Imperatore monaſterio Pompoſiano anno 1001. 22. *novembris*.

Ex tabulario Pompoſiano.


In nomine ſancte & individue Trinitatis. *Otto tertius ſervus Apoſtolorum*. Omnium fidelium noſtrorum tam preſentium quam & futurorum noverit univerſitas quod nos a domno *Frederico ſancte Ravennatis eccleſie Archiepiſcopo monaſterium ſancte Marie in Pompoſia* per concambium accipientes e contra donavimus *ſancte Ravennatis eccleſie* omnia placita & diſtrictus & bannum de omni *terra ſancti Apollinaris* & de omnibus epiſcopatibus ſive comitatibus de quibus precepta habentur in *ſancta Ravennati eccleſia*. Unde *abbaciam ſancte Marie in Pompoſia* ab omni ſubiectione Archiepiſcoporum ſive aliorum excutimus ut regalis ſit nulli dominatui perſone ſubiecta ſintque monachi eius ab omni ſecularis ſervicii infeſtacione ſecuri. Qui de ſuis qualem voluerint Abbatem eligant ab *Epiſcopo Comaclenſi* conſecrandum. Qui ſi ſibi pro pecunia vel pro aliqua humana poteſtate moleſtus eſſe voluerit veniat ad *Archiepiſcopum* ſuum *Ravennatem* ab eo benedicendus. Et ſi hoc in iſto quod in priori invenerit ad qualemcumque Epiſcopum deſideret cauſa conſecracionis properet. Si quis hoc praeceptum fregerit componat centum libras auri cocti medietatem kamere noſtre & medietatem prelibato monaſterio. Quod ut verius credatur hanc paginam manu propria roboratam ſigillari iuſſimus.

Signum domni Ottonis  Ceſaris invictiſſimi

Heribertus cancellarius vice *Petri Epiſcopi* recognovit.

Data x. kal- december anno Dominice M. incarnationis primo indictione xv. anno *tertii Ottonis* regni xvII. imperii vI.

Actum *Ravenne* feliciter.



Extant

Exſtant in eodem Pompoſiano tabulario non pauca diplomatis huius exemplaria antiqua, inter quae duo omnino authentica, quorum primum ſaeculi eſt XIII. in membrana, cui atteſtationes notariorum adnectuntur, ut ſequitur.

L. S. Et ego *Albertus* Dei gratia *ſacri palatii notarius* huic exemplo legendo & abſcultando ad autenticum privilegium domini *Ottonis tertii Romanorum Imperatoris*. eiuſque ſigilli munimine corroborato. quia audivi vidi legi & abſcultavi. Ideo me teſtem rogatum ſubſcripſi.

L. S. Ego *Pamphilus Frederici Imperatoris notarius* huic exemplo legendo & abſcultando *&c. ut ſupra*.

L. S. Ego *Benedictus de portu* Dei gratia *ſancte Ravennatis ecclesie notarius*. ut vidi in originali privilegio ſupradicti domini *Ottonis tertii Romanorum Imperatoris* ſuo ſigillo apertiſſime corroborato. Ita hoc exemplum ſcripſi. & cum autentico legi & abſcultavi ſupradictis duobus notariis. nihil penitus immutando. ſed quod in eo inveni ita bona fide ſcripſi & complevi. nihil adens vel minuens quod mutet ſenſum.

Alterum vero apographum eſt in membranaceo regeſto ſaeculi XVI. ſignato V. F. pag.12. cum ſubſequenti notarii atteſtatione.

L. S. Ego *Iacobus* filius preſtantis viri *Naſcimbene de Riponariis notarii* apoſtolica & imperiali auctoritate *notarius publicus Ferrarienſis* hoc exemplum exemplavi anno Dominice nativitatis milleſimo quingenteſimo vigeſimo indictione octava die vigeſimo menſis decembris nil addens mutans vel minuens ut in eius autentico reperii complevi roboravi & in premiſſorum fide hic me ſubſcripſi ſignumque mei tabellionatus a capite mei nominis appoſui conſuetum.

XXVIII.

Emphyteuſis facta ab Iohanne Abbate s. Mariae in Pompoſia cuiuſdam domus, & agri anno 1002. 8. *ianuarii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio. pontificatus domini noſtri *Silveſter ſummi Pontificis* & univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede ſeſto * die octavo menſe genaio indictione prima *Cumiado*. Petimus a vobis in Dei nomine domnus *Iohannes presbiter* & *monachus* atque *Abbate regule monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſia* uno per conſenſum & auctoritatem cum at congregacionem eidem ſervien-

cium

(*) *Hoc eſt*: quarto.

cium eiusdem monasterii uti nobis in Christi nomine *Leo* qui vocatur *sancto* & *Marie* iugale petitionis nostrisque filiis & heredibus livellarii nomine concedistis & largistis atque confirmastis nobis rem iuris vestris supradicti monasterii idest una pecia terre cum casali celo tecta qui est posita istius *Cumiado* in *regione sancti Laurentii* habentem in longitudinem suam pedes quinquaginta & quinque & in latitudinem suam pedes quindecim hab uno latere & ab alio latere andrenella sibique pertinente seu a tercio latere heredes quondam *Guarini* atque a quarto latere plathea percorente cum ingresso & egresso suo & cum omni sua pertinencia sicut supra legitur eas ad abendum tenendum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum in annis avenientibus viginti & novem at renovandum salva sanacione domnica dandum ita sane ut inferatis domnico ce & omnibus vobis vestrisque successoribus dare debeamus singulis quibusque anni omni festivitate sancte Marie mense augusto infra indictionem pro is omnia que supra legitur oc est in arientum solidos quatuor denariorum duodecim pensionem ut dictum est persolvatur quia exinde accepistis de manibus nostris petitoris in manibus vestris supradicto domno *Iohanne Abbate* in presencia testium qui ic supter supscripturi sunt calciarii monasterii idest in arientum solidos quatuor tantum pensionem ut dictum est persolvatis. Si quis vero pars nostrum contra os libello ire tentaverimus antequam finitum tempus sicut supra legitur det pars partis fidem servantis ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & post pene solucionem maneat os libello in suo rubore cos vero libello uno tinore conscripto *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* scribendum rogavimus & unus alterius nobis pariter contradimus cot consecuti sumus agamus Deum & vobis maximas gracias.

Signum ✠✠✠✠✠ manibus nostris *Verardus Iohannes Carllo* & *Dominicus Generus Petrus de Dominico Samoino Pellegrino* testibus vocatis at omnia supradicta cui relectum est.

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* scriptor huius paginam libelli de omnibus sicut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & absolvi.

Noticiam testium idest:

Verardus Gener Leomurgo.

Iohannes qui vocatur *Carllo* & *Dominicus* germani.

Petrus de Dominicus Samoino.

Pelegrino.

Iohannes filio quondam *Bruno*.

XXIX.

Emphyteusis facta a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1002. 17. *novembris.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini *Silvestri summi Pontificis* & huniversalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri sede quarto die septimo decimo mense november indictione prima *Ravenne*. Petimus ad vobis in Dei nomine *Gerardus clericus* & *notarius sancte Ravennatis ecclesie* & *Abbas monasterii sancte Marie* que vocatur e *xenodochio* filio previa & consencienti *Gerardus* & cum genitori meo consensu tibi in Christi nomine *Cristina* seo filiis meis quos dudum abuit de quondam *Petrus* qui vocabatur *de Cetvercus* livellarii nomine concedistis & confirmastis seu largistis nobis rem iuris supradictis monasterii vestris idest mansionem pede plana in integrum cum ara portico uno & meteurio uno in integrum da plathea publica apodismum designatum extendentem in longitudinem suam pedes semissa ☧ treginta & in latitudinem suam da uno capite da platea publica pedes viginti & semisse uno & da alio capite de curte pedes semissa ☧ quaturdecim & semisse uno & insuper concedistis mihi horticello in integrum apodismum designatum extendentem in longitudinem suam pedes treginta & quinque & in lato pedes quindecim & uno vacuamento in capite ipsius orticello posito apodismum designatum extendentem in longitudinem suam pedes novem & in lato pedes hocto una cum porcionem de curte & portionem de puteo seu de capello marmoreo vel cum ingresso & egresso subperprisca * curte usque in androne que pergit *a sancto Pullionem* & usque in platea publica quod est iuxta pinna muris huna cum suis iustis & certis in terra finibinibus * in terra fines eius de supradicta mansionem in integrum que supra legitur hoc est ab uno latere possident heredes quondam *Dominicus Pillinio* & ab alio latere platea publica seu a tercio latere iuris ipsius *monasterii sancte Marie* qui vocatur *as senodochio* atque a quarto latere curte de comune hec omnia abendum tenendum possidendum restaurandum supersedendum defensandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum salva sanacione domnica dandum ita sane hut inferere debeamus domnice racionibus vobis vestrisque successoribus singulis quibusque anni homni marcio mense infra indictione pro is omnibus que supra legitur hoc est in argentum denarios octo titulo pensium ut dictum est persolvatur. Pro eo quia exinde accepistis calciariis in manibus tuis de manibus meis in presencia testium qui hic subter subscripturi sunt idest libro uno pro in ar-

(*) *Hoc est*: supradicta. (*) *Hoc est*: finibus.

in argentum denarios bonos electos solidos viginti & per uno quoque solidos anas denariorum duodecim & tu supradicto Abbate una cum tuis successoribus mihi supradicta *Cristina* seo filiis meis ab omni persona hominum in omnibus exinde nobis constare & desensare seo autoriare promitto. Si quis verum pars nostrum contra hoc libellum ire temtaverimus antequam finitum tempus sicut supra legitur det pars partis fidem servantis ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & post pene solucionis manente de libellum in suo robore quos vero libellum in uno tenore conscripto *Petrus* in Dei nomine *tabellio negociator* uius civitatis *Ravenne* scribendum rogavimus & subter manus mea propria firmavimus testibusque ad nobis rogitis obtulimus subscribendum eorumque presenciam eam nobis omnibus unus alterius nobis contradimus quod consecutis agamus Deum & maxima graciam.

Signum ✠ manus mea supradicta *Cristina relicta* quondam *Petrus de Cetvertus* iam dicta genitrice * ad omnia supradicta cui relectum est.

✠ *Iohannes* filio *Petrus tabellio* in ac peticione sicut supra legitur rogatus testis subscripsi & supradicti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Gualfredus* filio *Mauricius negociatore* in ac petitione *&c. ut supra.*

✠ *Iohannes* filio *Andreas dativus* in ac petitione *&c. ut supra.*

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *negociator* huius civitatis *Ravenne* scriptor in ac peticionem sicut supra legitur post roboracionem testium atque traditam complevi & absolvit.

Noticiam testium idest:
Iohannes filio meo.
Gualfredus filio *Petrus tabellio*. *
Iohannes filio *de Andreas dativus de Duero*.

XXX.

Confessiones receptorum canonum factae nomine Georgii, & Iohannis Comaclensium Episcoporum anno 1003. *& sequentibus mense augusti.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Domini. Constat me *Becio archidiaconum sancte Comiaclensis ecclesie* iubente domno *Georgio Episcopus* dicte *sancte Cumiaclensis ecclesie* accepisse & accepi a vobis *Albino presbitero* pensionem de una mansione & cum curte iuxta se habentem que est posita in *Cumiaclo in regione sancte Marie* que vocatur *Fermosa*. Quem per enfiteusin tenere viso estis at iura nostra ecclesia. Omnique anno in fe-

(*) *Forte*: petitrice. (*) *Sed melius*: Mauricius negociatore.

in festivitate sancti Cassiani pensionem denarios tres tantum. Unde pro munimine vestro feci vobis hoc de accepto in mense augusti indictione prima in *Cumiaclo*.

In nomine Domini constat me *Petrus presbiter Titulo sancte Cumiaclensis ecclesie* iubente Domino meo *Iohannes Episcopus* dicte *sancte Cumiaclensis ecclesie* accepisset & accepi a vobis *&c. ut supra*. In mense augusti indictione secunda *Cumiaclo*.

In nomine Domini constat me *Becio archidiaconum sancte Cumiaclensis ecclesie* iubente domno *Iohannes Episcopus* dicte *sancte Cumiaclensis ecclesie* accepisse & accepi a vobis *&c. ut supra*. In mense augusti post transacta indictione usque in ista quarta *Cumiaclo*.

In nomine Domini constat me *Becio* &c. ut supra. In mense augusti indictione quinta.

In nomine Domini constat me *Becio* &c. ut supra. In mense augusti indictione septima. *

X X X I.

Emphyteusis facta a Gerardo Abbate s. Mariae in xedonodochio Ravennae anno 1004. *vel sequenti* 9. *aprilis*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine sancte & individue Trinitatis pontificatus vero domno *Iohannis summo Pontifice* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli sede anno secundo regnante domno *Enrigo sexto* in Italia anno secundo in Dei nomine die nono mense aprelis indictione tercia in vico qui vocatur *gragnano*. Petimus a te in Dei nomine domno *Gairardo* venerabilis *Abas monasterii sancte* senper virginis Dei genitrices *Maria* qui vocatur *in senodochia* filio presente domno *Gairardo duci feraldi* qui manere visi estis in civitatis *Ravenna*. Uti nobis *Dominicus* qui vocatur *de gragnano* & *Maria* iugale seu filiis nostris livellarii nomine concedisti nobis de rem iure vestram predicto trone ** idest omnes sortes & porcione integram quanta vobis predicti iugalis petitoris per anteriore livello a manibus nostris tenere laborare visi sumus ipsa vero sorte & porcione in integrum que est posita iusta tota fundo qui vocatur *gragnano* per singulis vel diversis locis altum vel planum idest terris campis pratis pasculis silvis salectis sacionalibus atque padulibus piscacionibus casis seu casalibus venacionibus arbustis arboribus pomiferis & infructiferis cultis vel incultis bedustis & cum omnibus sibi pertinentibus in integrum sicut supra legitur ubi de predictam sortes & porcione invenire potuerimus constituto *territorio Ferrariense plebe sancti Andrei* qui vocatur in *arquada* in terra fines ipsius supradicte fundo ab uno latere termine qui decurrit in *lacorara* ad fossa que vocatur *buisovedere* ab alio latere fossa percorrente inter *cenesola* & padule seu

(*) *Sed fortasse*: sexta. (**) *Hoc est*: patrone.

ſeu a tercio latere fundo qui vocatur *farine*. hec omnia concediſti nobis abendum tenendum laborandum cultandum roncandum paſtenandum propaginandum caſa & caſale in ibidem faciendum ſuperſedendum defenſandum reſtaurandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & nove ad renovandum a ſalvam ſanacione domnica dandum a livello renovetur - Ita ſana ut inferamus nos ſupradicti iugalis petitoris ſeu filii noſtris ad vobis predicto patrone a tuiſque ſucceſſoribus annualliter de quidquid in ibidem Dictus * nobis condonare dignatus fuerit terratico dare debeamus tritico ſicale in area capa quintadecima faba in area modio quintodecimo tritico milleo panico in area modio quintodecimo lino manna quindecima gramulata & ſi vineam paſtenaverimus fruere debeamus anni dece poſtea redere debeamus vino modio quindecimo duobus vice arbore pecto ponendo poſtea ſi * * vobis patrone ceſſo & ſi roncaverimus fruere debeamus anni quinque poſtea redere debeamus modio quindecimo exenium vero pullatica dare debeamus pulli paria uno, & oves quinque in tempore glandi de viginti porci porco uno dare debeamus pervecta omne terratico veſtro domnico per nos petitoris uſque a porto ubi nave domnica potuerit pervenire veſtro maiorem domnico vel veſtra dominacione & ſubceſſionem facere debeamus hec omnia ſine dolo vel fraude & non abeamus licenciam ſupradicti iugalis petitoris neque veſtris filiis de ipſa res a nullum miniſtrum domnicum racione mitendi niſi a vos ſupradicto patrono vel tuis ſubceſſoribus & non abeamus licenciam ſupradicti iugalis petitoris noſtriſque filiis ipſa res vendere & donare vel comutuare niſi inter nos fratres conſortes ſi quis vero pars noſtra contra hoc livello ire temptaverimus uſque a prefinita tempus ſicut ſupra legitur non obſervare voluerimus det pars partem fidem ſervante ante omne litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pena ſoluta permaneat hoc livello ſicut ſupra legitur in ſuo robore firmitatis quam vero livello uno pari tenore ſcripto conſcribere *Martinus* in Dei nomine *tabellio de plebe ſancti Donati* ſubter manus mea propria firmavi & vobis pariter contradimus quam conſecuti rogamus Deum maxima gracia ſub die menſi indictione.

Signum ✠ ✠ manus ſupradicto *Dominicus* & *Maria* iugale hac peticione livello ſicut ſupra legitur a nobis facta at omnia cui relectum eſt.

XXXII. *Em-*

(*) *Hoc eſt*: Deus. (**) *Hoc eſt*: ſit:

XXXII.

Emphyteusis facta ab Iohanne Abbate Pomposiano anno 1005. 20. *decembris.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio *pontificatus domini nostri Iohannis summi Pontifici* & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede tercio regnante vero domino *Enricus Rex* in Italia sede anno tercio die vigesimo december indictione quarta *Cumiado*. Petimus a vobis in Dei nomine domnus *Iohannes* gracia Dei *presbiter monachus* atque *Abbate monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* una per consensum & auctoritatem congregacionem eidem serviencium eiusdem monasterii. Uti nobis in Christi nomine *Iulianus* qui vocatur *Venetico* & *Gualderada* iugales & si unum ante alio mortuo fuerit sine filio at ipsum qui supervixerit in nostrisque filiis & heredibus livellarii nominis concedistis & largistis atque confirmastis nobis rem iuris vestris supradicti monasterii idest una pecia terre cum etdifficio super se habentem a sibi clausa colonellis constructa canni cuius tecta qui est positus istius adest in *regione sancte Marie* que vocatur *Fermonsa* habentem in longitudinem suam pedes sedecim & simisse uno & in latitudinem suam pedes quindecim & simisse uno ha duobus lateribus positus *Romualdus* filio *Dominicus* seu a tercio latere iuris ipsius monasterii atque a quarto latere androna de commune & sibi pertinentibus qui decurrit a plathea publica & a supradicto sevalia pro non accesso & ipso accesso gribo quamque per terra andito & canale *da campo* qui vocatur *da boria* cum ingresso & egresso suo & cum omnibus ad eosdem pertinentibus sicut supra legitur eas habendum tenendum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem at renovandum salva sanacione domnica dandum ita ut inferatis domnico ceso & omnibus vobis vestrisque successoribus dare debeamus singulis quibusque anni omni festivitate sancte Marie in mense agusto infra indictionem solidos denariorum duodecim pensionem ut dictum est persolvatis pro quia exinde accepistis de manibus nostris supradictis petitoris in manibus tuis supradicto domnus *Iohannes Abbas* in presencia testium qui ic subter scripturi sunt calciarii monasterii idest caplarra pro in argentum solidos decem & per unumquemque solidum anam denariorum duodecim. Si quis vero pars nostram contra os libello ire tentaverimus antequam finitum tempus sicut supra legirur det pars partis fidem servantis ante omne litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias tres & post pene solucionem maneat os libello in suo robore. Os vero libello uno tinore conscripto *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dati-*

dativus ſcribendum rogavimus in qua & ego ſupter manus mea propria firmavi teſtibuſque cum erogitis optulit roborandam eorumque preſencia eam tibi qui ſupra contradidit ſub die & menſe & indictione ſupradicta quarto *Cumiado*.

Signum ✠ manus noſtra *Iulianus* qui vocatur *de Gualderada* & *Gualderada* iugales petitoris at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

Signum ✠✠✠ manibus noſtris *Petrus de Ravenna Verardus Gener Leomurgo Vitalis de Iohannis dux* teſtibus vocatis at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* ſcriptor huius paginam libelli de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque tradita complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt:

Petrus qui vocatur *de Ravenna*. *Verardus Gener Leomurgo*. *Vitalis de Iohannis dux*.

XXXIII.

Emphyteuſis facta a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1006. 7. *ianuarii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domni *Iohannis ſummi Pontificis* & huniverſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede tercio die ſeptimo menſis genuari indictione quarta *Ravenne*. Petimus at vobis in Dei nomine domnus *Gerardus clericus* & *notarius ſancte Ravennatis hecclesie* & *Abbas monaſterii ſancte* Dei genitricis glorioſeque *Marie* qui vocatur *a ſenodochio* filio domnus *Gerardus de Faraldus iudex*. Uti nobis in Dei nomine *Leo* qui vocatur *de Martinus* petitore tam pro me quamque & pro ex *nate* nepote meo ſeo filiis noſtris livellarii nomine concediſtis & largiſtis ſeo confirmaſtis nobis rem iuris ſupradicto monaſterio veſtro ideſt omnes res illas principales in integrum quantaſcumque abuit & detinuit atque laboravit *Leto* per libello at iura ſupradicto monaſterio veſtro qui eſt poſita in fundum qui vocatur *breuſi* cum terris campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacionalibus padulibus piſcacionibus venacionibus ſeo & hoqupacionibus ſuis & cum omnibus ſibi pertinentibus ſitas *territorio Ferrarienſe plebe ſancti Stefani* qui vocatur *in villa marciana* abendum, tenendum, cultandum, laborandum vinea in ibidem paſtinandum propaginandum ſuperſedendum defenſandum & in omnibus meliorandum in annis atvenientibus viginti & novem at renovandum ſalva ſanacione domnica dandum ita ſane ut inferamus domnice racionibus vobis veſtriſque ſucceſſoribus ſingulis quibuſque annis hoc eſt terratico de omni labore maiore quod eſt grano & ſigala & fava modio quinto lino manna decima gramata minuto vero

vero quod eſt mileo & panigo & tritico modio hoctavo etſi ronco in ibidem roncaveritis uſque ad ſex annos nullo terraticum exinde vobis dare debeamus poſtea redere vobis debeamus terraticum ſicut ſupra legitur vino anforas quinta etſi vineam in ibidem paſtenaverimus & poſt intorta pervenerit uſque at decem annos nos fruere debeamus & nullum terraticum exinde vobis dare debeamus poſtea redere debeamus vino anforas quinta arbore pecto ponente duas vice piazolo ſemel inciſo poſtea nobis coloni & pollatica omnique anno pullos duos & ovas quinque per unoquoque colone & omnis dare nobis debeamus omne quinto decimo porco ſi porci abuerimus etſi porci non abuerimus debeamus & sbrachiatica de grano ſtario uno per unoquoque anno pervectum hec omnia ſupradicti colonis uſque at ripa hubi naves domnica veſtra pervenerit & non abeamus licenciam tritulare nec vindimiare ſine iuſſione domnica veſtra. Et ita tamen ut non liceat nos ſupradicti colonis neque mihi filiis ipſa res nec vendere nec donare nec commutare nec quodquo modo alienare nec at nullum aliam venerabile loco derelinquere & at nullum placitum ire niſi a me vel a meis ſucceſſoribus per nullam ocanſionem neque ingenium. Maiore quidem domnico veſtro vel veſtra dominacione cum onore & obediencia ſuſcipere debeamus & ſuſepcionem * ei facere & brachiaticam ei perſolvere. Hec omnia cum fide & puritate ſeo umilitate ſine fraude vel dolo aut malo ingenium. Pro eo quia exinde accepiſtis in manibus veſtris ſupradicto ordinatore de manibus meis ſupradicto petitore tam pro me quamque pro ſupradicto *Leo* nepote meo calciarii nomine ideſt libro uno pro in argentum ſolidos viginti & pro unoquoque ſolidos ana denarii duodecim. Si quis vero pars noſtra contra hunc libellum ire tentaverit antequam finitum tempus ſicut ſupra legitur det pars partis fidem ſervantis ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionis manente hunc libello in ſuo robore cos vero libello in uno tenore conſcripto *Gregorius* in Dei nomine *tabellio* huius civitatis *Ravenne* ſcribendum rogavi & ſubter manus mea propria firmavi eorumque preſencia eam nobis ſuperius contradidit unus alterium ſub die menſe & indictione ſupradicta quarta *Ravenne*.

Signum ✠ manus ſupradicto *Leo* qui vocatur *de Martinus* iam dicto petitore pro me quamque & pro ſupradicto *Leo* nepote meo at omnia ſupradicta cui relectdm eſt.

XXXIV. *Li-*

(*) *Hoc eſt*: ſubiectionem.

XXXIV.

Libellus emphyteusis factus a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1006. 13. martii.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus vero domini nostri *Iohannis summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno quinto regnante domnus *Enrichus Rex* in Italia anno quarto die tercio decimo mense marcio indictione quinta. Petimus ad vos quidem in Dei nomine domnus *Giraldus clericus* & *notarius* sancte Ravennatis ecclesie & *Abba monasterii sancte Marie* qui vocatur *in senodochio*. Uti nobis *Iustino* & *Petro* germani petitoris seu filiis nostris tantummodo libellarii nomine concedistis & largistis de rem iuris *ecclesie* vestre *sancte Marie* que vocatur *in senodochio* idest primam fundo qui vocatur *brepsi* & secundo fundo qui vocatur *sanguinidulo* ab uno latere termine de a secundo latere *pzino* a tercio latere fossa percorrente in *fossalto* adque a quarto latere ec omnia cum terris campis pratis pasculis silvis salectis sacionalibus usualibus tibus padulibus piscacionibus venacionibus arbustis arboribus pumiferis infructiferis cultis vel incultis divisis & indivisis & cum omnibus eisdem pertinentibus constituto territorio *plebe sancti Andreas* qui vocatur in supradicta res sicut supra legitur at nobis abendum tenendum possidendum cultandum laborandum roncandum pastenandum superfedendum dum a defensandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad salvam calciariam domnica dandum qualiter vobis cum vel cum vestris subcessoribus convenire potuerimus ad corumlibet andum. Ita sane ut inferamus vestre dominacioni vestrisque subcessoribus nos supradicti petitoris vel nostris filiis sicut supra legitur omni annualiter de labore quem Dominus nobis condonare dignatus fueris oc est terraticum de tritico & sicale misturia in terra nata vel de faba in campo capas quinta per nos petitores a dare a .. . & tritulare debeamus tritico mileo panico in arca modio octavo de lino manna decima terra ta de vino modio quinto semo arbore pectus ponentem postea sit vobis patrone relictum cessum. Si vinea pastenaverimus fruere debeamus post intorta pervenerint annis decem postea rendere debeamus sicut supra legitur si roncaverimus fruere debeamus annis sex postea rendere debeamus sicut de cetera & glandaticum in domnico proferunt si glande abuerimus de viginti porci porco uno exenium vero pro casale dare debeamus nos supradicti petitoris pulli pario uno & ovas quina pervectum terraticum vestrum domnicum per nos petitores aridum vel liquidum usque

ad ripam ubi veſtra navis domnica potuerit vos maiorem domnicum vel veſtri ſubceſſoribus per clavas venerit ad tollenda cum onere & obedientia ſuſcipere debeamus ec omnia que ſupra legitur agere debeamus ſine dolo vel fraude nec abeamus licencia nos ſupradicti petitoris vel filiis noſtris de ſupradicta res ad aliam diſtricta ire niſi ad vos ſupradicti patrone vel veſtriſque ſucceſſoribus necnon abeamus licencia de ſupradicta res nec vendere nec donare nec ad alium venerabilem locum relinquere niſi inter nos ſupradicti petitoris. Si quis vero pars noſtra contra unc libellum ire preſumpſerit aut ea que ſupra legitur uſque ad prefinitum tempus ſicut ſupra legitur non obſervaverint det pars parte fidem ſervante ante omne litis inicium vel interpellacionis pene nomine auri ebrizo uncias duas & poſt penam ſolutam permanead iſte libellus in ſuo robore firmitatis. Quam paginam ſcribere rogavimus *Arnulfo* in Dei nomine *tabellio Criſpini* in qua manu noſtra propria ſignum ſancte crucis feci vel ſubſcriptionem feci & vobis contradimus ad roborandum ſub die menſe indictione ſupradicta quinta.

Signum ✠✠ manus ſupradicti *Iuſtino* & *Petrus* germani petitori que ſupra legitur electi ſunt teſtes.

X X X V.

Emphyteuſis facta a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1007. 20. *aprilis.*

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Iohannis ſummi Pontificis* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede anno quarto regnante domnus *Enricus inclitus Res* in Italia anno quinto in Dei nomine die vieſimo menſe aprelis indictione ſexta in loco qui vocatur *arguada plebem ſancti Andrei*. Petiſtis ad me in Dei nomine domnus *Gariardus clericus* & *Abas monaſterio ſancte Marie* qui vocatur *in ſenodochio* uti nobis in Dei nomine *Iohannes* filio qui vocatur *Urſo* in omnia * medietate ad omnes ſortes & pertinencia que fuit de *Natale diaconus* filio quondam *Dominicus montanario* in aliam vero medietatem abet ab *Urſu* & *Iulii* & *Maria* ſecum ** filiis & nepotibus in tali vero tenore qualis de ipſi petitoris ſive eredibus meis tuus fuerit cadat ad ipſi qui ſuperviſerit libellarii nomine concedimus & largimus ſeo confirmamus de rem iuris noſtro *monaſterio ſancte Marie in ſenodochio* ideſt tota & integra vel omnes ſortes & porciones quantacumque abet & detinet *Natale diaconus* in totum fundum qui vocatur *villa marciana*. Ideſt ab uno latere foſato qui vocatur *de corgnaria* & ſecundo latere *pagino* qui vocatur *de brenſi* & tercio latere *gorito* qui vocatur *nariagni* & quarto latere foſato de

(*) *Hoc eſt*: una. (**) *Hoc eſt*: ſeu.

de valle qui vocatur *loudogna* ec omnia cum terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis padulibus piscacionibus venacionibus & constituto *territorio Adriensi plebem sancti Stefani* ec omnia concedimus vobis predicti petitoris seum * filiis vestris abendum tenendum laborandum pastinandum roncandum capelandum pasculandum superſedendum defensandum in omnibus meliorandum in annis advenientibus viinti & nove ad renovandum. Ita sane ad ut inferatis domnice racionibus vobis vestris erede filiis de quitquit in ibidem Dominus omnem annualiter donare dignatus fuerit terratico dare debeatis de grano in capo ** capa quarta & sicale in capo capa quinta & faba in area seu modio quinto & mesturia in granata in capo capa quinta tritico mileo pagnico in area modio octavo traenda & tritulando per nos petitoris & lino magnipula decima gramulata & si vinea pastinaveritis fruere debeatis post intorta pervenerit annis nove & postea redere debeatis sicut de cet *** terratica exenio vero pro casale treinta perticas in longo & viinti in lato dare debeatis pullo uno & oves quinque si glande abueritis de porci decem porco uno & non abueritis licenciam de supradicta res ad nullo placito neque districtu andare nisi ad me supradicto patrone & meis subcessoribus pervectum omnem terratico domnico per vos supradicti petitoris *Ursu* ad nave domnica potuerit pervenire maiore quidem domnico vestro vel vestra dominacione cum onore & obediencia susipere debeatis ec omnia sine dolo vel fraude & si quis vero pars nostrum contra os libellum ire tentaverimus & omnia que supra legitur non observaverimus vel adimpleverimus & contra ec ire agere vel concedere aut minuere voluero per quemlibet medium vel titulum antequam finitum tempus sicut supra legitur det pars parte fidem servante ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obtimi uncie due & post penam soluta manentem os libellum in suo omnium robore & firmitatis quos vero libello uno pari tenore conscripto *Liuperto* in Dei nomine *tabellio* huius *comitato gavello* scribendo rogavimus & subter manus mea propria firmavimus & unus alterius nobis pariter contradimus quod quo asecuti estis Deum agamus & vobis maxima graciam.

Signum ✠✠✠✠ supradicto *Iohannis* & *Ursum* & *Iulii* & *Maria* germani peritoris ad omnia supradicta cui relectum est.

XXXVI.

Libellus emphyteuticus datus a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1008. 29. *octobris*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pon-

(*) *Hoc est*: seu. (**) Hoc est: *campo*. (***) *Hoc est*: ceteris.

pontificato domini nostris *Iohannis summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno septimo Imperatore in Italia nondum abemus in Dei nomine die vigesimo nono mense octuber indictione octava. Petimus ad vobis quidem in Dei nomine domnus *Gerardus* venerabilis *clericus* & *Abbas monasterius sancte* Dei genitrices *Marie* que vocatur *in senodochio* itemquem filius consenciente domnus *Gerardus ducis* conda *Farialdi* filii abitantis in civitate *Ravenne*. Uti nobis *Martinus* qui vocatur *de Vitalis* cum fratribus suis seum filiis nostris libellum nomine concedistis nobis rem iuris predicti *monasteriis sancte Marie*. idest fundo *orbana* in integro seum & fundo *bonisago* in integro iure vel coherente se hab uno latere *ructa* qui vocatur *de bonisdago* & ab alio latere fundo qui vocatur *cornedo* seum ad tercio latere fundo qui vocatur *arquada* atque a quarto latere *pelereina* percorrente omnia cum terris campis pratis pascuis silvis salectis padulibus piscacionibus seum & facionalibus vel omnibus eisdem pertinentibus constiture *territorio Adriensis plebem sancti Stefani* qui vocatur *in villa marciana* sit iuste & racionabiliter ad vobis petimus nec ab aliis minime detinetur ec omnia concedistis nobis abendum tenendum laborandum cultandum roncandum defensandum pastinandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viinti & novem ad renovandum ad salva sanacione domnica dandum ad alte libellum renovandum. Ita sane ud & inferamus domnice racionibus vobis vestrisque subcessoribus dec quidquid in ibi Dominus annualiter condonare iussio hoc est terratico tritico & sicale & faba & mesturia granata in area modio quinto trisico mileo panico in area modio octavo lino manipula decima gramulata per nos & sit vinea pastinaverimus fruere debeamus annis decem & postea redere debeamus anfora quarta semel arbore pecto ponendo piciolo inciso posteat sit nobis petitores recessum & si roncaverimus fruere debeamus annis quinque & postea redere debeamus terratico sicut de alia terra dedamnum * omnem terraticum domnicum in integro per nos predicti petitoris usque ad ripa ubi nave domnica potuerit pervenire maiore scilicet vestre ecclesie vel vestra dominacione subsipere debeamus & sepcione ** ei facere cum onore & obediencia & non abeamus licencia nos predicti petitoris unc libellum aut predicta res alicui omini dare vel vendere seum transferere aut oponere vel comutuare aut in alio locum relinquere per nullum ingenium vel argumentum nisi inter nos petitoribus & omnia sicut supra legitur cum fidem & puritate agere debeamus sine aliqua fraude vel dolum & non abeamus licenciam ad nullum publicum ministrum ire racione mitendi nec aliqua funcione facere de ipsa res seu sub usum distericione vel de actoribus sancte Ravennati ecclesie subsistere debeamus & braciatica eis persolvere de circa necnon nec licere seu alio

(*) *Hoc est*: deductum. (**) *Hoc est*: subiectionem.

alio uno & ininire vel veſtrum miſſum parere debeamus & ſi quis vero pars noſtrum contra anc paginam peticionis libellum ire tentaverimus aut omnia que ſupra legitur non obſervaverimus uſque ad prefinitum tempus ſicut ſupra legitut det pars parte fidem ſervante ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizi due & poſt penam ſoluta manente & anc paginam peticionis libellum in ſuo omnium robore & firmitatis quam vero paginam libellum ſcribendum rogavi *Andreas* in Dei nomine *tabellio* de *comitato gavello* & de vico qui vocatur *copario* ſcribendum rogavi & ſubter manus veſtre proprie firmavimus & unus alterius nobis pariter contradimus cod & ſecuti ſumus Deum agamus & vobis maxima gracia.

Signum ✠ manus predicte *Martinus* qui vocatur *de Vitalis* petitores ad omnia predicta cui relectum eſt.

XXXVII.

Donatio facta Guidoni Abbati, & monaſterio Pompoſiano anno 1010. 13. *ſeptembris*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio domini *Sergii ſummi Pontificis* & univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede ſecundo regnante vero domnus *Enricus Rex* in Italia anno ſeptimo die tercio decimo menſe ſeptember indictione decima *Cumiado*. Domina ſancta & merito ac ter beatiſſima *monaſterii ſancte Marie* qui vocatur *in Pompoſia* in qua nunc Deo protegente & per plurimum tempus in eiuſdem monaſterii domnus gubernante domnus *Guido presbiter* & *Monachus* atque *Abbas regule monaſterii ſancte Marie* qui vocatur *in Pompoſia* tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum nos quidem in Dei nomine *Abraham* filio quondam bone memorie *Oddo* & *Albegunda* iugale donatoris una propter Deum & remedium anime noſtre & de quondam ſupradicto *Oddo* & *Oneſta* genitori & ſocris noſtri preſens preſentem ſalutem magnus donationis ſanctarum ſcripturarum nos ratio premonet illius ſemperque conſiderare atque diſponere pro meritis celeſtis retribucionis merear promereris credimus ſine dubio in evangelica racione ſubſeguentem lectionem & in hoc ſeculo centuplum & in futuro eterne beatitudinis vite eſſe participes qua de re & nos ſupradictis iugalibus donatoris ſicut ſupra diximus pro remedium anime noſtre & de quondam genitori & ſocri noſtri ideſt unum logarium ſalinarum intus cum alitis & vaſis atque morario ſuo & cum omnis ſua pertinencia que eſt poſita in fundamentum qui vocatur *papatiano* hoc eſt ab uno latere poſitum * & ab alio latere poſitum * & inſuper damus donamus tibi ſupradicto *Wido Abbas* tuiſque

(*) *Lacunae in membrana*.

tuisque successoribus in perpetuum sicut supra legitur idest omnes sortes & porciones nostras intus quantamcumque nobis pertinent infra tota silva que vocatur *insula* per singulis locis tam terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis facionalibus padulibus piscacionibus venacionibus capelacionibus aucupacionibus seu & casalibus arbustis arboribus pomiferis & infructiferis diversisque generibus altum vel planum cultum vel incultum divisis & indivisis vel ubi de nostra iure invenere potueritis supradicto loco qui superius legitur de infradicta istis lateribus que hic subter relegitur inter affines eius hoc est ab uno latere desuper tota ipsa silva ubi reiacet ipsa res que superius legitur primo latere campo qui vocatur *de insula* & ab alio latere fossula que vocatur *gattula* seu a tercio latere fluvio *Pado* percurrente atque a quarto latere *valle de zemese* & *calle de vincarete* perexistente in *laterculo* cum ingresso & egresso suo & cum omnibus ad supradictas res pertinentibus si ... subiacentibus sicut superius legitur ut ammodo a presenti aut quandocumque volueritis liceat tibi supradicto *Wido Abbati* tuisque successoribus in ibidem introire & preocupare atque ingredere tanquam per legitimam & nostram corporalem tradicionem & per paginam donacionis & quam de nostris manibus in tuis mittimus in presencia testium qui hic subter scripturi sunt quietum & mite habendi dominium & potestatem abeatis teneatis atque possideatis eciam utendi fruendi ordinandi & disponendi ad iura salaria permanendi & nos qui bonus vel rectus fuerit exinde in perpetuum ad supradicto *monasterio sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* faciendum & heredibus nunquam liceat nobis suprascriptis iugalibus donatoris neque nostris filiis & heredibus pro ea omnia que superius legitur pro ex parte vel ex toto nunquam agimus neque contendimus aut invadimus neque agerimus quod defindere audeamus nec aliquod tibi exinde requistamus per nullam occasionem neque ingenium nec per nos neque per nostris filiis & heredibus neque per nostram submissam personam maioris vel minoris propinquis vel exteris & non adeundum iudicium & non supplicandum principibus neque per ecclesiastica interpellacione aut per regalem vel imperialem potestatem neque per ullo modo ullaque racionis contrarie de quibus humanum sensum cogitare potest sed magis ad nos vel da nostris filiis & heredibus securi & quieti atque pacifici exinde maneatis in omnibus in perpetuum . Etsi quoquo tempore quempiam personam hominum insurserit que tibi aut tuis successoribus exinde ex parte vel ex totam expellere aut quamlibet calumnia generare voluerit nos supradictis iugalibus donatoris una cum nostris filiis & heredibus ab omni persona hominum stare & defensare & auctorizare promittimus. Quod si quod absit & avertat divina potencia ec omnia que superius legitur non observaverimus vel impleverimus quia daturos nos esse promittimus nos supradicti *Abraham* & *Albegunda*

gunda iugales una cum nostris filiis & heredibus tibi supradicto *Wido Abbas* tuisque successoribus ante omnes litis inicium vel interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncias sex & post penam solucionibus maneat hec pagina donacionis in suo rubore firmitate. Quam vero paginam *Lupicinus* in Dei nomine *tabellio* scribendo rogavimus in qua & nos subter manibus nostris propriis firmavimus testibus qui a nobis rogati obtulimus roborandam eorumque presencia eam tibi qui supra contradidit sub die mense & indictione supradicta decima *Cumiado*.

✠ *Abraham* filio quondam *Oddoni* in hac pagina donacionis de omnibus sicut superius legitur a me facta subscripsi.

✠ Signum manibus meis supradictis *Albigunda* donatrice ad omnia supradicta cui relectum est.

Signum ✠✠✠✠✠ manibus nostris *Martinus* qui vocatur *de Berga Leo* qui vocatur *Rere Martinus* filio quondam *Lupicino Dominicus* cognato suo *Martinus* qui vocatur *Tarallo* testibus rogatis at omnia supradicta cui relectum est. *Ravennio* filio *Leo* huic paginam donacionis subscripsi. *Martinus* filio quondam *Martiano* in hac donacionis subscripsi.

✠ Signum *Lupicinus* in Dei nomine *tabellio* huius paginam donacionis de omnibus sicut superius legitur post roboracionem testium atque tradita complevit & absolvit.

XXXVIII.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pomposiano anno 1012. 22. *novembris*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede primo atque regnando domnus *Enricus secundus* in Italia anno regni eius nono die vigesimo secundo mensis novembris indictione undecima sub urbe *Ravenna* prupe *turre* que vocatur *umbratica*. Petivimus a vobis domno Guidoni religiosus *presbiter* & *monachus* atque *Abbas regule monasterii sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* una per consensum eiusdem monasterii uti nobis in Christi nomine *Iohannes* filius quondam *Martini* qui vocabatur *de Magno* seo filiis & nepotibus nostris per ec paginam peticionis concedistis & largistis seo confirmastis nobis rem eiusdem monasteris vestris idest una clausura vinearum cum solo terre & ta sua & cum ingresso & egresso suo & cum omnibus sibi pertinentibus quod est positum sub urbem *Ravenne* inter prata *saguriense* & omnes pertinencias vestra que vobis pertinent de uno prato posito inter prata *teguriense* & insuper concedistis nobis idest unum spacium terre quod est in longo pedes

pedes * & in lato pedes * huna cum ingreſſo & egreſſo & cum omnibus ſibi pertinentibus quod eſt poſitum territorio *Ravenne* in regionem que vocatur *arieſto* vel omnibus ut ſupra legitur dum nos ſuperius Dei nomine petitores ſeo filiis & nepotibus noſtris divina gracia in ac lucem iuſſerit permanere in ſupradicta conceſiſtis & largiſtis & confirmaſtis nobis eas abendum tenendum poſſidendum defenſandum & in omnibus meliorandum & ego ſupradicto petitore una cum meis filiis & nepotibus at vobis ſupradicto Abbas veſtriſque ſucceſſoribus ab omni perſonas hominum in omnibus exinde vobis cum ſtare & auctoriare ſeo defenſare debetis & ex veſtris propriis expenſis ſeo laboribus nihil alter quod in fixam penſionem per nos ſuperius Dei nomine petitore inde ſi ſecundum paginam peticionis noſtre penſionem nomine ſingulis quibuſcumque anni menſe marcio ſicut ſupra legitur hoc eſt in argento denarii duo & penſio ut dictum eſt perſolvatur pro eo quia exinde accepiſtis in manibus tuis ſupradictus Abbas de manibus meis ſupradicto petitore in preſenciam teſtium qui hic ſubter ſubſcripturi ſunt. calciarii nomine ideſt librum unum pro in argento ſolidos viginti ana denarii duodecim ita poſt tranſitum noſtro Dei nomine petitores ſeu filiis & nepotibus meis quando Domino placuerit cionis dictas res vel laboratas defenſatas & in omnibus melioratas quod pertineat ad ius domini atque ſupradicto monaſterio veſtro cuius iure & proprietas modis omnibus melioratas quod revertatur noſtrum Si quod ſit quod abſit & avertat divina potencia ec omnia que ſupra legitur non obſervaverimus vel atimpleverimus & contra hexire vel agere aut contendere voluerimus per quemlibet modum vel quia daturus me eſſe promitto ego ſupradicto *Petro* & cum meis filiis & nepotibus ad vobis ſupradictus Abbas veſtriſque ſucceſſoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri ebrizo unciam duas & poſt pene ſolucionem hec pagina peticionis in ſua firmitate. Quam vero paginam *Guido* in Dei nomine *tabellio* de urbe *Ravenna* ſcribendum rogavi & ſubter manu mea propria ſcripſi quorum contradidit ſub die menſe & indictione undecima.

✠ *Iohannes* in ac peticione ſicut ſupra legitur a me facta ac ſcribere rogavi.

✠ *Geremia* filio quondam *Lirefredo* in ac peticione rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ *Iohannes* filio quondam *Iohannis* in ac peticione viſu pleno rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ *Guidoni tabellio Ravenne* ſcriptor in ac peticione ut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque traditam complevi & abſolvi.

No-

(*) *Lacunae in membrana.*

Noticiam teſtium ideſt:
Geremias teſtis filius quondam *Gitefredus*.
Gerardus teſtis filius quondam *Gitefredus*.
Iohannes teſtis filius quondam *Iohannis*.

XXXIX.

Libellus emphyteuticus factus a Gherardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1013. *die* 13. *iunii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Domini temporibus domni *Benedicti Pape* ſede primo regnante domnus *Enrico Rege* in Italia anno nono die tercio decimo menſis iunii indictione undecima *Ravenne*. Petii a vobis in Dei nomine *Gerardo clerico* & *notario* ſancte *Ravennatis ecclesie* & *Abbas monaſterii ſancte Marie* qui vocatur *in ſenodochio* filio conſencientis domni *Gerardi dativi*. Uti nobis in Chriſti nomine *Leo* filius quondam *Ravenni* petitor pro me & pro *Marocia* iugale mea ſeu filiis noſtris libellarii nomine concediſtis nobis rem iuris ſupradicti monaſterii veſtri ideſt medietatem integram de una manſione ſolariata integra cum ſuperioribus & inferioribus ſuis cum ara portico ſuo da platea publica cum medietate de curte retro ſe & porcione de puteo & da lavello marmoreo cum medietate de orto & pomerio ſuo cum ingreſſo & egreſſo ſuo & cum omnibus ſibi pertinentibus ſitis in hac civitate *Ravenne in regione porte ſancti Laurencii* extenditur ipſa manſio cum ipſa curte & orto de quibus concediſtis nobis medietatem in longo pedes plus minus centum ſexaginta & in lato pedes plus minus novem inter ad fines de ipſa manſione & curte & orto a primo latere via publica a ſecundo latere poſſident heredes quondam *Petri Buttonis* a reliquis duobus lateribus iura ſupradicti monaſterii veſtri abendum tenendum ſuperſedendum defenſandum & in omnibus meliorandum in annis viginti & novem ad renovandum ſub penſione omnis marcio menſe denarios octo titulo. Pro eo quia exinde accepiſtis calciarios ideſt librum unum pro ſolidis viginti & ab omni homine eam nobis defenſare & auctoriare promiſiſtis. Si quis vero partis noſtre contra hanc peticionem ire temtaverit antequam finitum tempus quod ſupra legitur det pars parti fidem ſervanti ante omnem litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri optimi uncias duas & poſt pene ſolucionem maneat hec peticio in ſua firmitate quam *Martinus* in Dei nomine *tabellio Ravennatem* ſcribendum rogavi in qua ego manu mea propria ſignum ſancte crucis feci & rogatis teſtibus illam vobis tradidit ſub die menſe & indictione ſupradicta undecima *Ravenne*.

Signum ✠ manus ſupradicti *Leonis* petitoris ut ſupra legitur.
✠ *Iohannes* filius *Petri ducis* hin ac peticione ut ſupra legitur

rogatus teſtis ſubſcripſit & ſuper hoc ſcripti calciarii dante & accipiente vidi.

✠ *Iohannes* filius *Albertus* in ac peticione ut ſupra legitur rogatus teſtis ſubſcripſit & ſuper hoc ſupradicti calciarii *&c. ut ſupra*.

✠ *Iohannes* filio quondam *Acio* in ac peticione rogatus teſtis ſubſcripſi & ſupradicti calciarii *&c. ut ſupra*.

✠ Ego *Martinus* in Dei nomine *tabellio Ravennas* ſcripſi hanc peticionem ut ſupra legitur complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt: *Iohannes* filii *Petri de Alberto Iohannis* filii *Alberti de Sergio Iohannis* filii quondam *Acii de Guinigone*.

X L.

Diploma Benedicti VIII. Romani Pontificis datum Guidoni Abbati Pompoſiae anno 1013. *6. iulii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

☧ *Benedictus Epiſcopus* ſervus ſervorum Dei dilecto in Domino filio *Widoni* religioſo *presbitero* & *monacho* atque *coangelico Abbati* venerabili *monaſterii ſancte* & ſuperexaltate Dei genitricis ſemperque virginis *Marie* domine noſtre quod dicitur *in Pompoſia* tuiſque ſucceſſoribus Abbatibus veſtreque alme congregacioni perhenniter in perpetuum. Cum magna nobis ſollicitudinis inſiſtat cura pro univerſis Dei eccleſiis ac piis locis vigilandum ne aliquam neceſſitatis iacturam ſuſtineant ſed magis proprie utilitatis ſtipendia conſequantur. Ideo convenit nos paſtorali tota mentis aviditate eorumdem venerabilium locorum maxime racionabilitatis integritatem procurare & ſedule eorum utilitati ſubſidia illico conferre & Deo noſtro omnipotenti id quod eius ſancti nominis honore gracia & laude atque gloria eius divine maieſtatis eius venerabilis nos certum eſt contuliſſe locis ſicque acceptabilem nobiſque ad eius locupletiſſimam miſericordiam dignam huiuſmodi pii operis in ſideriis conferatur arcibus remuneracionem. Igitur quia petiſtis a nobis quatenus ex noſtrum largitate noſtroque dono concederemus veſtre religioſitati in *maſſecella* que vocatur *materaria* & in *maſſa* que dicitur *caputbovi* terram & vineam ſicuti modo vos tenetis ad iure beati Petri Apoſtoli necnon & ripam fluminis *Alemonis* iuxta *maſſam* que dicitur *prata* extendente ipſa ripa *a bigacciolo* uſque ad *campo bedulli* & terram & vineam iuxta muros civitatis cum *turre umbratica* in integrum & *maſſam* integram que vocatur *lacus ſanctus* cum omnibus rebus & pertinenciis ſuis cum plebe & capellis ac titulis ipſius vocabulo *ſancte Marie* & *ſancti Martini ſancti Petri ſanctique Venancii* cum *piſcara* que vocatur *tidini* & *foſſa archipresbiteri* & *piſcaria* que vocatur *falce* cum loco qui dicitur *monticello laciſico* cum ripis fluminis *Padi* & *Gauri* ex utriſque partibus uſque ad mare & a loco *conce agate* ex una parte uſque in mare cum loco integro qui dicitur *maſinzatica*

tica inter affines de toto loco ac territorio *masse* que vocatur *lacus sanctus* ab uno latere *fossa molendini de volta latercli* descendente in *aquiliolo* & a fluvio *Tribba* usque in *Helliam* & per paludem usque mediam *curbam* ultraque *curbam* usque *Padum* & ultra *Padum* usque *gazium episcopii sancte Cumacliensis ecclesie* indeque fluvium qui vocatur *Cesi* ab alio latere *curlo* descendente in *concam agatule* & per ipsum in *Gaurum* a tercio latere palude qui pergit inter *rivum angeli* & *masinzatica* usque *monticello* & *vedetoza* currente in *Padum* a quarto latere *vacolino* & *argere malo* & *calle de vincareto* pergente in *laterclum*. Insuper concedimus vobis *piscariam* integram que vocatur *Volanum* cum rivo *baderino* & *gavelena maiore* ad ipsam piscariam pertinente cum porticellis ex utriusque partibus sicut olim intraverunt in mare eidem similiter pertinentibus. Cuncta predicta loca cum omnibus suis integritatibus ac pertinenciis quantum sancte Romane cui Deo auctore presidemus ac deservimus pertinere videtur ecclesie vobis ad tenendum emissa preceptione concedimus inclinatis precibus vestris per huius precepti seriem predicta cuncta loca cum omnibus suis integritatibus & pertinenciis ut supra legitur a presenti XI. indictione vobis vestrisque successoribus singulis quibusque annis pensionis nomine racionibus in sancte nostre ecclesie ✠ tres ✠ argenti solidi difficultate postposita persolvantur omnemque quam indigent melioracionem seu de suis indiff. vel sine dubio curante efficiatur nullaque preterea ad dandum annue pensionis a vobis morem proveniant sed ultra actionariis sancte nostre ecclesie apto tempore persolvatur. Statuentes quippe apostolica censura ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis sub divine obtestacionis & anathematis interdictionibus ut nulli unquam nostrorum successorum Pontificum vel alie cuilibet magne parveque persone ipsa prenominata loca a potestate & dicione vestra vestrorumque successorum ac vestri monasterii auferre vel alienare quoquomodo liceat. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hunc nostrum privilegium agere presumpserit sciat se anathematis vinculo esse innodatum & a regno Dei alienum & cum omnibus impiis esterno * incendio ac suplicio condemnatum. At vero qui pio intuitu custos & observator huius nostri privilegii extiterit graciam & misericordiam vitamque eternam a misericordissimo Deo nostro consequi mereatur in secula seculorum amen.

Scriptum per manum *Benedicti regii* ** *notarii* & *scriniarii sancte Romane ecclesie* in mense iulio indictione undecima.

BENE VALETE

Datum prid. non. iulii per manus Dei gracia *Benedicti Episcopi Silve Cardinalis ecclesie* & *bibliothecarii sancte apostolice sedis* ss. S. VIII. PP. anno secundo ind. predicta XI. mense iulio die sexto.

Adest funiculus sericus albus & rubeus, cui adfixa erat plumbea bulla deinde avulsa, & deperdita.

XLI. *Li-*

(*) *Hoc est*: aeterno. (**) Hoc est: *regionarii*.

X L I.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pomposiae anno 1013.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus Domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & universalis Papae in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede primo regnante vero domnus *Henricus magnus* in Italia anno octavo die indictione undecima *Camiaclo*. Petistis a nobis in Dei nomine domnus *Guido* gracia Dei *Abbas monasterio sancte Marie* que vocatur *in Pomposia* una per consensum fratrum deserviencium eiusdem monasterii qui iuste & legaliter ducunt regulam beati Benedicti uti nobis in Dei nomine *Iohannes* qui vocatur *Callicaria* & *Boniza* iugale seu filiis & heredibus vestris libellario nomine concedimus & largimus atque confirmamus vobis rem iuris nostri supradicti monasterii idest una pecia terre aliquis cum tulpis vinearum super se abentem & aliquis esse videntur qui est positus istius *territorio Cumiaclensis* in loco qui vocatur *iusta fluvio aqua inversa minore* in longitudinem suam pedes * usque in valle quantum scutere & laborare potueritis & in latitudinem suam pedes triginta inter afines eius hoc est ab uno latere *Dominicus presbiter* quem detinet at iura *Episcopo sancti Cassiani Cumiaclensis* ab alio latere villicus at iura supradicto Episcopo seu a tercio latere valle sibique pertinente atque a quarto latere via publica percorente .. . qui vocatur *aqua inversa minore* cum ingresso & egresso suo & cum omnibus at supradictas res pertinentibus sicut supra legitur eas abendum tenendum possidendum defensandum & in omnibus meliorandum in annis avenientibus viginti & novem at renovandum salva sanacione domnica dandum ita sane ut inferatis domnice racionibus nobis nostrisque successoribus rendere debeatis omni anno anfora tercia arbore pecto ponente semel postea sit vobis coloni cesso & de ipsa pastinare & propaginare debeatis & fruere debeatis annis ses postea rendere debeatis siminati arbore pecto ponente postea sit vobis coloni cesso pervectum ipso terratico per vos co in mansione nostram *domnus Guido* pro eo quod exinde accepit de manibus vestris petitoris in manibus meis supradicto *Iohannes* in presencia testium qui ic supter supscripturi sunt calciarii nomine idest libro uno per in arientum solidos & per unumquemque maiore quidem domnico nostro vel nostra dominacione cum onore & obediencia susipere debeatis & cum puritate seu umilitate sine aliquam fraude vel dolo. Si quis vero pars nostrum contra os libello ire tentaverit antequam finitum

(*) *Lacuna in membrana.*

tum tempus ſicut ſupra legitur det pars partis fidem ſervantis ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine & poſt pene ſolucionem maneat hoc libello in ſuo robore. Cos vero libello uno tinore conſcripto *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* ſcribendum rogavimus & unus alterius nobis pariter iubemus quod conſecuti ſumus agamus Deum & vobis maſſimas gracias.

Signum ✠✠✠ manibus noſtris *Leo* qui vocatur *de Pompſia Leo de Rere Iuliano* teſtibus at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* & *dativus* ſcriptor huius paginam libelli de omnibus ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt: *Leo de Pompoſia Leo de Rere Iuliano* teſte *Leo* filio quondam *Rainiero Iohannes* filio quondam *Laurencii Inſola*.


X L I I.

Diploma Henrici almi favore Petri notarii anno 1014.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine ſanctae & individuae Trinitatis *Henricus Rex* invictiſſimus a Deo coronatus. Quoniam enim iuſtis petitionibus fidelium fidelium Rex regum in perpetuum regnans annuit. nos utique qui eius miſericordia temporalis regni regimen aſſequuti ſumus non debemus fidelium noſtrorum preces fruſtrari. Sed & eis annuere & improbis omnibus perniciosiſque ſumma virtute aequum eſt noſtram ſerenitatem reſiſtere. Pluribus enim fidelibus noſtris ut credemus patet *Petrum* quendam nequiſſimum *Sigezonis* quondam *de Accadeo* improbum filium. ſororem ſuam *Ravennam* ſcilicet nomine quae eciam vivens *Sigeza* vocabatur occidiſſe pro rerum ſuarum cupiditate cum in utero iam vivo filio. & ſororicidae nominis infandi incuriſſe periculum. Cuius omnes res mobiles & inmobiles ſeſeque moventes in noſtrum ſunt redactae dominium legis ſuae ipſius Langobardae ſcilicet premonſtrante capitulum. Cuius capituli totum teſtum in hac precepti noſtri pagina ſcribi duximus eſſe iuſtiſſimum capitulum. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem aut matrem fratrem aut ſororem vel aliquem propinquum ſuum occiderit. res interfecti ad alios ſuos heredes perveniant. interfectoris autem hereditas in fiſcum redigatur. Ipſi vero ordinante Epiſcopo publica poenitentia detur. Pro rebus gitur prefati ſororicidae iam dictus fidelis noſter *Petrus tabelio* miſericordiam noſtram flagitans & exaudiri promeruit & quod petiit interveniente *Heinric clerico* nobiliſſimo & *cancellario* noſtro amabili & fideliſſimo impetravit. Ei itaque prelibatas res omnes mobiles & inmobiles ſeſeque moventes quae praedicto ſororicidae antequam hoc infandum malum perpetraret quocumque modo pertinebant. & perpetrato ſcelere in noſtram poteſtatem ſunt redactae tam intra civitatem *Ravennatem* quam

quam extra in loco *albareto* & in alio *albareto* ſito in *comitato Faventino in plebe ſancti Iohannis* que vocatur *in aſiata* vel in *plebe ſancti Stefani* que vocatur *in collorito* . vel in aliis omnibus plebibus vel locis eo ordine concedimus ut liceat ei heredibuſque ſuis eas omnes quo voluerit modo tractare vel vendendo vel donando vel quicquid voluerint ex eis faciendo . nullius ei obſtaculo obiciendo. Hoc nempe ideo maieſtas noſtra decrevit . ut fideles ex detrimento infidelium remunerentur & infideles ad nichilum redigantur . Ne igitur hoc noſtrum preceptum cuiuslibet temeritate violetur . attendat unuſquiſque quod maieſtas noſtra inferius minetur. Nullus itaque dux . marchio . comes . Archiepiſcopus . Epiſcopus . & ut generaliter dicamus nulla perſona publica vel privata . maxima media . vel minima prefatum fidelem noſtrum de prelibatis rebus vel heredes eius inquietare . vel moleſtare preſumat . Si vero quod abſit huius noſtri precepti quiſpiam violator exſtiterit . centum libras auri componat . medietatem kamerae noſtrae . & medietatem eidem fideli noſtro vel heredibus eius . Quod ut verius credi & diligentius poſſit ab omnibus cuſtodiri . hanc paginam manu propria roborantes . ſigilli noſtri impreſſione inferius iuſſimus inſigniri .

Signum domni Heinrici  Regis invictiſſimi

Heinricus cancellarius vice Everardi Epiſcopi & archicancellarii recognovit .

Datum anno Dominice incarnationis M°XIIII°. indictione XII. anno vero domni *Heinrici Regis ſecundi* regnandi XII.° actum *Ravenne* feliciter amen .

Exſtat adhuc in membrana ſignum cerei ſigilli , quod in praeſentia deſideratur .

X L I I I.

Donatio facta a Petro notario Guidoni Abbati , & monaſterio Pompoſiano anno 1014. 26. *ianuarii* .

Ex tabulario Pompoſiano .

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus Domini noſtri *Benedicti ſummi Pontifici* & huniverſali Pape

Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede secundo sitque regnante domino *Enricus* in Italia anno decimo die viessimo sexto gennario indictione duodecima sub urbe *Ravenne*. Domino sancto & merito ac beatissima *regula monasterii sancte* semperque virginis Dei genitricis *Maria* que vocatur *in Pomposia* in qua nunc Deo protegente *domnus Guido* venerabilis *presbiter* & *monachus* atque *Abba* predicto monasterio & per te in predicto monasterio iure permanendas. Ego quidem in Dei nomine *Petrus tabellio* pro oblacione & remedium anime mee & pro salute anime *Inrici* invictissimo *Regi* presens presenti salutem mangnus donacionis sanctarum scripturarum nos racio premonet dicens pro animarum nostrarum celesti retribucionem mereor promereri heo quod abere & ac possidere & a meis manibus possidere videor quasi mihi ovenit per precepti paginam ab *Inrico* invictissimo *Regi* idest omnia medietatem integram de domo una in integrum cum superioribus & inferioribus suis in eo manere & abitare viso fuit *Sigizo* qui vocabatur *de Acatheo* cum *Maria* hanteriora cognum sua cum omni medietatem de mansionibus solariatis seo de vinea & ortis seu vacuamentis seo omni pertinencia de *capella* que vocabulum est *sancti Paterniani* cum ingresso & egresso eorum & cum omnibus sibi pertinentibus sitas in *territorio Ravenne* in *regione sanctorum Iohannis & Pauli* iterando in predicto monasterio omnia medietatem de omnem rem illam quantascumque mihi pertinet in loco qui vocatur *albarito* qui vocatur *de cancellari* iuxta quantascumque mihi pertinet infra tota *plebe sancti Iohannis* qui vocatur *in ersiata* & fra tota *plebe sancti Stefani* qui vocatur *in colorita* & fra tota *plebe sancti Martini in barsioni* vel infra totum *comitatum Liviense* & *plebe Liviense* infra tota *plebe sancti Victoris* qui vocatur *in valle* & in fundum qui vocatur *corizolo* vel quantascumque mihi pertinet tam in ac urbe *Ravenne* quam & extra ac civitate *Ravenne* aut quam mihi evenit per precepti paginam *Inrico* invictissimo *Regi* & omnia medietatem de fundum qui vocatur *cultula* ex predictis rebus & terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis facionalibus una cum arbustis arboribus & cum omnibus sibi pertinentibus sitas *territorio Faventino* ac *Corneliense plebe sancti Petri* qui vocatur *in brusita* ut admodo a presente die quandocumque volueritis liceat tibi supradicto Abba in iis omnibusque superioribus in ibidem introire & preoccupare atque ingredere ex potestate & pagina donacionis transfersionis ad me in vobis facta atque tradita tanquam per legitima & meam corporalem tradicionis quamque eciam per istum meum missum *Romanum tabellio* quem de meis manibus in tuis mipto in presenciam testium qui ic subter subscripturi sunt ut cuadam ad ipsa rem que supra legitur & corporaliter tibi trada vel tuo misso ad que investiam in me avi recto tramite abendi dominium & potestate abeatis teneatis possideatis utendi fruendi ordinandi & disponendi & quid-

& quidquid tibi placuerit exinde faciendi plenum dominium de elegi sociarii effectum contra quam eciam donacionem me a presente die policeor nunquam me in postero deese vel subcessoresque meos aliquam aliquando esse venturos non per me non per aliquacumque oposita etitia procuratoriave personam & non adeundum iudici & non suplicandum principibus quia legibus cautum est ut quod semel donatum vel cesso fuerit nullo modo revocetur in sancta & venerabile cum atestacione confirmo quia daturo me esse promitto ego supradicto *Petrus tabellio* una cum meis filiis & heredibus tibi supradicto Abbate tuisque subcessoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obrizo uncias sex & post pene solucionis manente ac pagina donacionis in suam firmitatem quam vero paginam *Romanus* in Dei nomine *tabellio* de urbe *Ravenne* scribendum rogavi in quam & ego subter manus meam propriam subscripsi & testibus que ad me erogitis obtulit roborandum & per presenciam & a nobis qui supra contradidit sub die & mense indictione duodecima suburbe *Ravenne*.

✠ *Ego Petrus tabellio Ravennas* hanc pagine donacionis ut supra legitur a me facta ss. & testes scribere rogavi.

✠ *Ursicinus* filio quondam *Anestasius* uic paginam donacionis ut supra legitur rogatus testis subscripsi.

✠ *Iohannes* filio quondam *Mainfredus* uic paginam *&c. ut supra.*

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* huic pagine donacionis *&c. ut supra.*

✠ *Benatus tabellio* huic paginam donacionis de omnibus sicut supra legitur rogatus testis suscripsi.

✠ *Alberto* filio *Zizo* uic paginas donacionis ut supra legitur rogatus testis subscripsi.

✠ *Romanus* in Dei nomine *tabellio* de urbe *Ravenne* scriptor huius pagine donacionis ut supra legitur post roboracionem testium atque tradita complevi & absolvi.

Noticiam testium idest: *Ursicinus* filius quondam *Anastasius Iohannis* filius quondam *Mainfredus Petrus tabellio Ravennatium Benatus tabellio Ravennantium Albertus* filius *Getius*.

X L I V.

Libellus emphyteuticus factus a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1014. 13. *maii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli sede secundo sitque imperante domnus *Enrico* in Italia anno primo die tercio decimo mense madii indictione duodecima *Ravenne*. Petimus a vobis

in Dei

In Dei nomine domnus *Gerardus* reverentiſſimo *clericus* & *notarius ſancte Ravennatis eccleſie* & *Abbas monaſterii ſancte* ſemperque virginis Dei genitrice *Marie* qui vocatur *in ſenodochio* filio preſente & conſenciente domnus *Gerardus dativus*. Uti mihi in Dei nomine *Vitalis* petitore pro me & pro *Cicilia* iugale mea ſeu filiis noſtris nominacorum ec ſunt *Iohannes & Domnica* libellarii nomine concediſtis rem iuris ſupradicto monaſterio veſtro ideſt terciam partem in integrum de manſionem pede plana cum pinna muris in integrum in capite ſuo poſita ſibi pertinentibus que ipſa manſione que ſupra legitur a noviter edificavit quod *Dominicus* & *Dominicia* iugalibus cum ſuis diſpendi genitori & ſocra noſtra verum eciam cum terciam partem de curticella retro ſe poſita que ad ipſam manſionem pertinentibus ſimul eciam cum terciam partem de ara portico ſuo ante ſe poſita de platea publica una cum uſum de puteo qui eſt poſita in curte ſupradicto monaſterio veſtro eundi & redeundi per ipſa curte de ſupradicto monaſterio veſtro ad ipſo puteo aqua ariendum * cum ingreſſo & egreſſo ſuo & cum omnibus ad ſupradictam terciam partem pertinentibus ſitas hic *Ravenne* civitatis in regione *porta* que vocatur *ſancti Laurencii* prope ipſo monaſterio inter afines eius de ſupradicta tercia parte de ſupradictam manſione cum omnibus ſibi pertinentibus hoc eſt ab uno latere iuris ſupradicti monaſterii veſtris quem detinet *Marina* had'iura ſupradicto monaſterio veſtro & ab alio latere platea publica percorentem ſeo a tercio latere androna qui pergit *a baſilice* cui vocabulum eſt *ſancti Polionis* ad que a quarto latere curte de comune ad iura ſupradicto monaſterio veſtro vel omnibus ut ſupra legitur hoc omnia abendum tenendum reſtaurandum nos aut noſtro miſſo ſuperſedendum defenſandum & in omnibus meliorandum in annis atvenientibus viginti & novem at renovandum ſalva ſanacione domnica dandum Ita ſane ut inferamus domnica racionibus vobis veſtriſque ſubceſſoribus ſingulis quibuſque annis omnis marcio menſe infra indictione pro eo omnia que ſupra legitur ideſt in arientum denarios monete venetiquos duos de penſione ut dictum eſt perſolvatur. Pro eo quia exinde accepiſtis de manibus meis ſupradicto petitore pro me & pro ſupradicta iugale mea in manibus tuis ſupradicto Abbate in preſencia teſtium qui hic ſubter ſubſcripturi ſunt calciarii nomine ideſt libro uno pro in argentum denarios ſolidos viginti & per unumquemque ſolidum ana denarii duodecim & vos ſupradicto Abbas una cum veſtris ſubceſſoribus a nobis ſupradicti iugalium petitoris noſtriſque filiis ut ſupra legitur ab omni perſona omnium ** in omnibus ſtare & auctoriare & defenſare debeatis det pars partis fidem ſervantis ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionem maneat ec pagina peticionis in ſua firmitate quam vero paginam *Stefanus* in Dei

(*) *Hoc eſt*: hauriendum. (**) *Hoc eſt*: hominum.

Dei nomine *tabellio* uius *Ravenne* civitatis ſcribendum rogavi in qua & ego ſubter manus mea propria firmavi & ſignum ſancte crucis feci teſtibuſque ad me rogitis obtuli roborandam eorumque preſenciam vobis qui ſupra contradidit ſub die & menſe indictione ſupradicta duodecima *Ravenne*.

Signum ✠ manus mea ſupradicti *Vitalis* petitore pro me vel pro *Cicilia* iugale mea ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

X L V.

Iudicatum Nannonis comitis, *& camerarii Henrici Imperatoris pro Guidone Abbate*, *& monaſterio Pompoſiae anno* 1014. 3. *decembris*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Benedicti ſummi Pontificis* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede tercio ſitque imperante domino piiſſimo auguſto *Heinricus* a Deo coronato pacifico magno *Imperator* in Italia anno ſecundo die tercio menſe decembri indictione terciadecima *Cumiaclo*. Ea quia geſta eſſe videntur prolixis temporibus memoriter retineri non poſſunt ideo ſcripture vinculo annotari equum eſt. Igitur cum Chriſti auxilio dum reſideret in iudicio & in generali placito domnus *Nannone comes* & *camararius* domni *Heinrici Imperatoris* in manſione de *Vitali de gaudioſa* & cum eo reſidentium quaque adſtancium fulti nobilitatis pollentibus & bone opinionis & laudabilis fama viri quorum nomina hec ſunt ideſt in primis *Alfredus iudex* & *Martinus iudex de Papia* & *Martinus iudex Ferrarienſis Sichelmus iudex Garialdus de Ficarolo Verardus iudex de Copario Gerardus clericus de Faroaldo Petrus iudex de Cumiaclo Romualdus & Licio* germanus filii quondam *ricis ex gene ducis Toriſindo* filio *Federicus Petrus* qui *Hugo* filio quondam *de Chriſtibuli Almericus de Ferraria Martinus Franco Raginelmo Cotifredus de Bononia Leo* filio quondam *Petri de Blata Verardus Petrus* filio *Andrea de Gatio Paulo* qui vocatur *de Argiale Adelbertus de Romualdo Bonaldo de Cumiaclo Dominicus Strambo Ioannes Calegario Leo de Rere Ioannes* genere ſuo *Leo de Reinierio Petrus Arnadorſo Stefanus de Ioannes clericus Verardus* gener quondam *Dominicus Tinea Martinus* qui vocatur *Storto Dominicus Ricio Ioannes Zadarino Guarino cancellarius Auneſto preconario* & me preſente *Lupicinus* in Dei nomine *tabellio* & alii plures qui longum eſſet adſcribendum in noſtrorum ſupradictorum omnium preſencia accedens domnus *Wido Abbas ſancte Pompoſiane eccleſie* & oſtendit ibi preceptum unum ubi continebantur locum unum qui dicitur *laco* & *piſcaria* una que dicitur *tidini* & locum unum qui dicitur *montone laſſiſico* & omnibus rebus quanta ab ipſo *laco* ſupradicto pertinet & dixit quod ſi aliqua perſona eſſet que adverſum illum preceptum

ceptum aliquid est tranctatum dicere vellet paratum esset cum eo litem legaliter finire & neminem invenit qui adversus eundem preceptum contrarius existeret. Et cum taliter supradicti iudices vidissent dixerunt rectum esse ut prefatus domnus comes eundem Abbatem cum *vocatore* suo nomine *Petro tabellione* desumptis omnibus vel predictum preceptum investiret & in centum mancosos aureos eos bandiret. Tunc ipse domnus *Nanno comes* per fustem qui suis tenebat manibus supradictum Abbatem cum prenominato advocatore suo de supradictis omnibus iusta predictum preceptum eos investivit & bannum domini Imperatoris super eos misit ut si aliqua persona esset que prenominato *Pomposiano monasterio* vel eidem domino Abbati aut suis successoribus sine legale iudicio contraria existeret centum mancosos aureos componeret medietatem camere predicti domini Imperatoris & medietatem predicto monasterio & statim apprehendis publicum *cancellarium Guarino* & misit in manum predicti domni Abbatis ut cum eo ad supradictis rebus pergeret & eum investiret in proprietatem. Hoc factum est sub die & mense & indictione supradicta terciadecima *Cumiaclo*.

Signum ✠ manibus meis supradictus domnus *Nanno comes* & *camararius* domini *Heinrici Imperatoris* in hac breve ut supra legitur & blandivi ad omnia suprascripta cui relectum est.

☧ *Martinus apostolice sedis & sancti palacii* interfuit.

☧ *Alfredus iudex sancti palacii* interfui & subscripsi.

Martinus iudex Ferrariensis interfui & subscripsi.

☧ *Petrus* Dei gracia *iudex Cumiaclensis* interfui & subscripsi.

✠ *Sichelmus iudex sacri palacii* interfui & subscripsi.

✠ *Gariardus iudex sacri palacii* interfui & subscripsi.

✠ *Everardus missus* ibi fui & subscripsi.

X L V I.

Libellus emphyteuticus factus a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1015. 16. *martii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedictus summi Pontificis* & universa Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno tercio regnante domnus *Enricus Res* inclitus Res Imperator in Italia anno undecimo in Dei nomine die sedecimo mense marcio indictione terciadecima in loco qui vocatur *Gragnano*. Petistis ad nos quidem in Dei nomine domnus *Gariadus clericus notario* qui est abitatore in civitate *Ravenniesse* de *monasterio sancte Marie* qui vocatur in *senodochio*. Uti presentibus in Dei nomine *Iohannes* petitores qui est habitatores in loco qui vocatur *Gragnano* seu filiis nostris tantumodo

 tumodo

tumodo libelli nomine concedere digneris de rem iuris perſcriptionis de *monaſterio ſancte Marie* que vocatur in *fenodochio* predicto patrone. Ideſt omnes ſortes & porciones in integrum quanta nos evenit perſcriptionis comparacionis de predicto petitores tenere & laborare viſi eſtis ad iure mea predicto patrone aut meis ſubceſſoribus per anteriore libello in fundo qui vocatur *laugnano* altum vel planum per ſingulis locis predicto *Iohannes* quata nos abuit per cartula comparicionis omnia cum terris & vineis campis pratis paſcuis ſilvis ſalecti padulibus piſcacionibus caſe & ſeu caſalibus arbuſti arboribus ſeu venacionibus cum egreſſo & egres ſuo & cum ſua iuſtis & certis in terra finibus ec omnia concede nobis predicto petitores abendum tenendum laborandum cultandum paſtinandum capelandum paſculandum rocandum ſuperſedendum aut per nos aut noſtro miſſo defenſandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viinti & nove ad renovandum ad ſalve calciarie domnice dandum. ad altero libello renovandum. Ita ſane ad ut inferatis domnice racionibus veſtre veſtriſque ſubceſſoribus ſingulis quibuſque annis de quitquit inibi det Dominus omnem anualiter terratico dare debetis de grano aut de ſigale in campo capa quinta & faba in area modio quinto triſigo mileo panigo in area modio nono lino magna * decima gramulata & ſi vinea paſtinaveritis fruere debeatis poſt intorta pervenerit annis dece & poſtea redere debeatis terratico ſicut de cetera terra & ſi porci graſſi abuerit de porcis decem porco uno exenio vero pro ipſo caſale dare debeatis omnem annualiter pario uno pulli cum oves quinque & non abeatis licencia vos predicto petitores de ipſa re ad nullum placito neque diſtrictum andare niſi ad me predicto patrone aut meis ſubceſſoribus nec vindere ne donare nec comutuare nec in alio & in venerabile locum relinquere perveєtum omni terratico domnico per vos predictos petitores uſque ad nave noſtra potuerit pervenire maiore quidem domnico noſtro vel noſtra dominacione cum onere & obediencia ſnbſipere debeatis ec omnia ſine dolo vel fraude & ſi quis vero pars noſtrum contra os libello ire tentaverimus vel adimpleverimus uſque ad perfinitum tempus ſicut ſupra legitur det pars partem fidem ſervantem ante omnis litis aut interpellacione pene nomine auri obtimi uncie due & poſt penam ſoluta manente os libello in ſuo omnium robore & firmitatis quos vero libello uno pari tenore conſcripto *Liuperto* in Dei nomine *tabellio* huius *comitato Gavello* ſcribendum rogavimus & ſubter manus noſtre proprie firmavimus & unus alterius nobis pariter contradimus quod codſecuti eſtis devina agatis & nobis maxima gracia.

✠ Signum predicto *Iohannes* petitores ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

(*) *Hoc eſt*: manna.

XLVII. *Li-*

XLVII.

Libellus emphyteuticus factus a Vitale Abbate Pomposiae anno 1016. *mense ianuario*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti *dicti summi Pontificis* Petri Apostoli Domini sede tercio sitque coronato pacifico magno Imperatore septimo genuarii indictione quarta * *talis* per divinam misericordiam *presbiter monachus* & *Abbas* Dei genitricis *Marie* que vocatur *in Pomposia* eiusdem monasterii. Uti nobis in Dei nomine & *Paulus* filio meo seu buerimus liceat nobis dare cum erit designatum . . . tis & largistis sexaginta fundum qui vocatur *de Anlega* monasterii vestri qui vocabatur *dragoli* cum *territorio Ravennate plebe sancti Stefani in teguria* supra legitur. Hec omnia habendum tenendum annos advenientes sexaginta sicut supra legitur. Ita tamen ut aut ipso vestro successori tibi predicto Abbas singulis quibusque anni omni marcio mense que supra legitur. Idest in arientum denarios Venetos Quam vero paginam *Petrus* in Dei nomine *tabellio* civitatis *Ravenne* huius scribere rogavimus in qua & nos unus alterius pariter contradimus sub die mense & indictione quarta

Signum ✠ manus mea supradicta *Atia* relicta quondam *Farualdi* qui vocabatur dicti petitricis ad omni ut supra legitur

Paulus filius quondam *Farualdi* ss. & *Iohannis* filius *Ursicini* in hec peticione ut supra legitur rogatus testis subscripsi.

Iohannes filius quondam *Laurencii* &c. *Deusdedit* filius quondam *Gregorii* &c.

✠ Ego *Petrus* in Dei nomine *tabellio Ravenne* scriptor hanc paginam peticionis post roboracionem testium atque traditam complevi & absolvi.

Noticiam testium idest: *Iohannes* filius *Ursicini Iohannes* filius *Laurentii Deusdedit* filius quondam *Gregorii*.

XLVIII.

Synodus habita Ravennae ab Arnaldo Archiepiscopo Ravennate in caussa inter Abbatem Pomposiae, & *Abbatem s. Adalberti de Pereo anno* 1016. 30. *aprilis*.

Ex annalibus Camaldulensibus in appendice.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propitio pontificatus domni *Benedicti summi Pontificis*, & universalis Pape in sacra-

(*) *In postica lacerae membranae parte clare & integre legitur* Vitalis.

ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli ſede quinto a Deo coronato pacifico, magno *Imperatore*, in Italia vero anno tertio die trigeſimo menſis aprilis indictione quartadecima *Ravenne* Quapropter -... *Arnaldus Archiepiſcopus ſancte Ravennatis eccleſie* *Petrus Epiſcopus ſancte Adrienſis eccleſie*, *Rodulfus Epiſcopus ſancte Livienſis eccleſie* *eccleſie* , *Marnacius Epiſcopus ſancte Ceſinatis eccleſie*, *Leo Epiſcopus ſancte Ficoclenſis eccleſie*, *Iohannes Epiſcopus ſancte Comaclenſis eccleſie*, *Iohannes archipresbyter ſancte Ravennatis eccleſie*, *Oneſtus diaconus ſancte Ravennatis eccleſie* *diaconus Ravennatis ſancte eccleſie*, & ... *diaconus ſancte Ravennatis eccleſie*, & *Paulus*, & *Tedaldus*, & *Paulus diacon* & *Deuſdedit* filius quondam *Deuſdedit* , *Paulus* qui vocatur *de Beobilla*, *Natalis* filius *Iohannis*, qui vocatur *Ermenius*, *Iohannes* *Lazarus conſul*, *Iohannes tabellio*, *Andrea* filius *Andreas tabellionis*, *Conſtantinus tabellio*, *Petrus tabellio* filius *Romualdus* & *Liutius* germani filii quondam *Enrici*, & plures alii clericorum, & presbyterorum ſeo monachorum. In eorum ſupradictorum omnium preſentia orta eſt litis, & altercatio inter *Vitalem Abbatem ſancti Adelberti* ſiti in inſula, que vocatur *Pereum* & *Guidone Abbate monaſterii ſancte Marie* , que eſt ſita in inſula , quae vocatur *Pomposa* , & oſtendit predictus *Abbas Vitalis* quod quondam *Otto Imperator* fecit in eodem monaſterium de terris , & de vineis , & de *portum*, qui vocatur *Volana* & relectum eſt per *Oneſtus diaconus ſancte Ravennatis eccleſie* a capite uſque ad finem. Lectum ſcilicet Tunc accedens *Guido Abbas monaſterii ſanctae Mariae* quae vocatur in *Pompoſia* , & oſtendit ſuum preceptum , quod fecit ei *Imperator Enricus* de terris *Volana* & lectum eſt per *Endricum capellanum domni Arnaldi Archiepiſcopi* relectum eodem a capite uſque ad finem & relectum eſt Abbas preceptum aliud, quod fecit eidem *Guidoni Abbati*, & *monaſterio ſanctae Mariae*, quae vocatur in *Pompoſa Papa Benedictus Romane eccleſie* de terris qui vocatur *Volana*, & relectum eſt per *Lazarum conſul* a capite uſque ad finem. Et cum oc factum eſſet ſurgens prefatus domnus *Arnaldus* & dixit ſeniores Epiſcopi, & clerici layci maiores & iudices ceteriſque ſeniores iſta precepta, quae relecta ſunt in pu monaſteriis petita & quiſita ſunt contra noſtram eccleſiam ſanctam Ravennatem, quoniam quondam *Iohannes Archiepiſcopus* iſtius eccleſie petivit, & aquiſivit *Benedictus Papa* de terris, & locis, & aquis, & piſcationibus, & de prefato portu *Volana* cum piſcatoribus, & litoribus ſuis Epiſcopi, & iudices adprobaverunt. Et dominus Archiepiſcopus : ſi vos oſtenditis ipſum preceptum, quod denuo volumus audire Archiepiſcopus oſtendit illud preceptum, & legere fecit per *Lazarum* a capite uſque ad finem, & relegebat ibi prefatum preceptum & venationibus veſtris ad locum, qui dicitur *arloga* cum omnibus litoribus, ſilviſque, vallebuſque inſtrumentis ibi conditis, & in in ceteris ſcripturis Epiſcopi, & iudices dixerunt, & laudaverunt, & iu-

& iudices iudicaverunt, at ceteris ecclesie prius aquisito cum omnibus rebus, quae ibi releguntur sit firmum, & stabile in perpetuum precipiatur autem *Abbas sancti Adalberti*, & *Gui* in *Pomposia* de supradictis piscationibus *portum Volane*, & de ceteris rebus, que in preceptum *sancti Apollinaris* releguntur, sit inanis, & vacua, & nullam atque Actum sub die, mensеque, & indictione supradicta quartadecima *Ravennae* a

.... *sancte Placentie ecclesie Episcopus* in hoc diiudicato consensi, laudavi, & propria manu subscripsi.

B ndus Episcopus sancte Faventine ecclesie in oc diiudicato consensi, laudavi, & propria manu subscripsi.

.... *clensis ecclesie* in oc diiudicato &c. *Teopertus sancte Populiensis* in oc diiudicato &c.

D nacius Episcopus sancte Cessenatis ecclesie in oc diiudicato &c.

E gratia *sancte Adriensis ecclesie Episcopus* in oc diiudicato &c.

I gratia *sancte Comiaclensis ecclesie Episcopus* in oc diiudicato &c.

Rodulfus gratia Dei *Episcopus sancte Liviensis ecclesie* in oc diiudicato &c.

Paulus Episcopus sancte Corneliensis ecclesie huic iudicio interfui & laudavi, & subscripsi.

✠ *Sergius sancte Ravennatis ecclesie Archidiaconus* in hoc diiudicato consensi, & subscripsi.

✠ *Iohannes archipresbyter sancte Ravennatis ecclesie* in hoc diiudicato consensi, & subscripsi.

Teobaldus Dei gratia *presbyter sancte Ravennatis ecclesie Cardinalis* huic diiudicatui interfui & ss.

✠ Ego *Henestus Ravennatis ecclesie levitarum humillimus* laudavi.

✠ Ego *Azo diaconus sancte Ravennatis ecclesie* laudans su

✠ *Vitalis presbiter*, & *prepositus sancte Ravennatis ecclesie* in hoc diiudicato consensi & ss.

✠ Ego *Deotmarus Abbas* quamvis indignus *sancti Apolenaris in classe* in hoc diiudicato consensi & ss.

✠ Ego *Leto presbyter*, & *Abbas monasterii sancti Severi* in hoc diiudicato consensi & ss.

✠ *Petrus presbyter & monachus* adque *Abbas monasterii sanctae Mariae* que vocatur in *Uriano* in hoc diiudicato consensi & ss.

✠ Ego *Andreas presbyter & monachus* adque *Abbas monasterii sancti Vitalis* in hoc diiudicato consensi & ss.

✠ Ego *Wido Abbas Pomposie* in hoc iudicatui interfui, & subscripsi.

✠ Ego *Andreas Abbas sancti Laurencii in Cesarea* in hoc diiudicatum interfui & ss.

✠ Ego

✠ Ego *Vitalis Abbas sancti Adelberti* in hoc iudicato consensi,
✠ *Deusdedit* ibi fuit.
✠ *Petrus* in hoc iudicatum subscripsi.
.... *Petrus ex genere ducis* interfui, & ss. cartam.
...... recensui, & ss.

XLIX.

Donatio facta Petro Monacho Pompofiano a Bellafemina vidua Iohannis Baldrici anno 1017. *ut quidem coniectamus*, 2. *februarii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Domini anno ab incarnatione eius millesimo secunda die mensis februarii in *claustro sancte Marie* *in Pomposia* ego *Rainutius* publicus *tabellio* testimoniorum qui investitor fuit in *calzoreleam* seu in *rivo cariza* in nostrorum omnium presentiam & aliorum accepit *Bellafemina* relicta *Iohannis Baldrigi* una cum *Petro Baldrigo* filio suo & aprendit baculum unum in manibus suis & misit in manibus domni *Petri monachi sancte Marie* qui vocatur in *Pomposia* & dixit damus atque donamus tibi tuisque successoribus in perpetuum pro redencione anime supradicti *Iohannis Baldrici* unam petiam terre in fundo qui vocatur *sesantala* a primo latere *Pitolum Aligritti* a secundo *Girisius* a tercio *Petrus Brusato* a quarto *Baldus* donamus tibi in omnibus sibi pertinentibus & damus tibi investitorem ut mittat te in possessionem & in translato in te dominio tibi tuisque succesoribus quicquid vobis exinde placuerit facere in perpetuum. Et nos cum nostris filiis & heredibus supradictam terram ab omni homine autorizare & defensare. Et hanc donacionem firmam tenere promittimus sub pena solidorum & pena soluta ab eo donacio maneat firma. Quam vero donacionem ego supradictus tabellio scripsi rogatus supradictorum donatorum in presentia supradictis testium.

L.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pomposiae anno 1017. 27. *februarii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & huniversalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede quinto sitque imperante domini *Errici* a Deo coronato in Italia anno quarto die vigesimo septimo mensis februarii indictione quintadecima *Ravenne*. Petisti a me in Dei nomine *Wido* gracia Dei religiosus *presbiter*

biter & *monachus* atque *Abbas regule* venerabilis *monasterii sancte* semperque Dei genitricis glorioseque *Marie* que vocatur in *Pomposia* huna cum consensum deserviencium eidem monasterio. Ego quidem in Dei nomine *Iohannes* qui vocor *de Walterius* petitore pro me & pro *Bunutia* iugale mea seu filiis & nepotibus nostris per enfiteuticario iure a presenti die concedistis & largistis seu confirmastis nobis rem in iuris supradicti monasterii vestri idest unum spatium terre in integrum quod est apodismum designato extendentem in longum pedes publicos quadraginta & in latitudinem suam pedes publicos triginta una cum porcionem de p..... & cum ingresso & egresso suo & cum omnibus ibi pertinentibus sitas in ac urbe *Ravenne* in regione *basilice sanctorum martirum Iohannis & Pauli* inter affines eius a duobus lateribus iuri predicti monasterii vestri a tercio latere possident heredes quondam *Sigizo* qui vocabatur *de Acateo* a quarto latere platea publica continet de uno superius nominato iugale petitoris seu filiis & nepotibus nostris divina gracia in ac lucem iuserit permanere vitam concedisti & largisti nobis eas rem abendas tenendas possidendas defensandas & in omnibus meliorandas & vos dictus Abbas una cum consensu & omnibus nobis supradictis petitoris nostrisque filiis & nepotibus ab omni personam omnium * in omnibus exinde orare & autoriare seu defensare debeatis & ex vestris propriis expensis seu laboribus nihil aliquod inferius & affixam pensionem reputantes prestante quoque nos superius nominatos singuli quibusque anni omnes marcio mense infra indictione pro is omnia que supra legitur idest denarios duodecim tam pensionem ut dictum est persolvatur pro eo quia exinde accepisti in manibus tuis supradictus Abbas de manibus meis & petitore pro me & pro dicta iugale mea in presencia testium qui hic subter subscripturi sunt calciarii nomine idest libro uno pro denariorum libras sex & per unaquamque libram denarios duo....ti quadraginta ita & post transitum nostrum supranominato iugale petitori seu filiis & nepotibus nostri munus expletum quandoque Domino sue sancte magestatis placuerit tunc tociens dictam rem que supra legitur laboratas defensatas & in omnibus melioratas que fuerint at ius dominium supradicti monasterii vestri cuius est iura & proprietas modis omnibus revertantur dominium & potestatem. Quod si quod absit & avertat divina potencia omnia ut supra legitur non hobservaverimus vel atimpleverimus & contra ec ire vel agere aut contendere voluerimus attestacione confirmamus quia daturi nos esse promittimus nos & *Iohannis* qui vocatur *Walterius* & *Bonutia* iugale una cum nostris filiis & nepotibus tibi dicto *Wido Abbas* tuisque successoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obrizi uncias duas & post pene solucionem hanc peticio in sua firmitate quam vero paginam

(*) *Hoc est*: hominum.

Petrus in Dei nomine *tabellio Ravennas* ſcribendum rogavi & ſupter manus mea firmavi teſtibuſque cum erogatis unus alterius ſup die menſis & indictione decima quinta *Ravenne* ſupſcripſi.

Signum ✠ manus dicti *Iohannis* qui vocatur *de Walterius* iam dicto petitore pro me & pro dicta *Bonutia* iugale mea at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

✠ *Ioannis* filio *Bonio* in ac peticione ut ſupra legitur rogatus teſtis ſupſcripſi.

✠ *Ioannes* filio quondam *Urſoni* in ac peticione *&c. ut ſupra*.

✠ *Petrus* filio *Iulianus* in ac peticione *&c. ut ſupra*.

✠ Ego *Petrus tabellio Ravennas* ſcripſit hanc peticionem ut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque traditam complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt:

Ioannis filius *Bonio* qui vocatur *Bonizo tabellio*.
Ioannes filius quondam *Urſoni*.
Petrus filius *Iulianus* qui vocatur *Ierbo*.

L I.

Libellus emphyteuticus factus a Petro Abbate Pompoſiae anno 1018. 10. *ianuarii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Domini temporibus domni *Benedicti Pape* ſede quinto ſitque imperante *Enrico Imperatore* in Italia vero anno quarto die decimo menſe ianuario indictione prima *Ravenne*. Petimus a vobis domno *Petrus presbiter* & *Abbas monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſa* uti nobis in Chriſti nomine *Siſilicus* petitore pro me & pro *Albiza* iugale mea ſeu filiis & nepotibus meis per emphiteuticario ius a preſenti die conceſiſti & largiſti nobis rem iuris ſupradicto monaſterio veſtro ideſt omnes res & pertinencia veſtras in integrum quantaſcumque pertinet ad ſupradicto monaſterio veſtro in fundo qui vocatur *luſirago* ſeu in *ſorte de Mauro* in loco qui dicitur *porto de Vetraria* cum terris vineis campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacionalibus arbuſtis arboribus paludibus piſcacionibus & venacionibus & occupacionibus ſuis & cum omnibus ad ſupradictas res in integrum pertinentibus ſcilicet in *plebe ſancte Marie* que vocatur *in porto* interafines de ſupradictas res a primo latere *lolba* a ſecundo latere *ſandalo* a tercio latere *maurixini* a quarto latere nomine petitoribus ea re que ſupra legitur habendum tenendum poſſidendum defenſandum & in omnibus meliorandum & vos cum veſtris ſucceſſoribus nobis noſtriſque filiis & nepotibus ipſa re que ſupra legitur ab omni perſona hominum defenſare & autoriare promiſiſti ex noſtris propriis expenſis ſeu laboribus nihilque vobis veſtriſque ſucceſſoribus niſi inferius adfixam penſione reputantes preſtanti-

ſtantibus quoque nobis noſtriſque filiis & nepotibus ſingulis quibuſque annis omni marcio menſe infra indictione pro ipſas & que ſupra legitur ideſt in arientum denarios duos tantum penſio ut dictum eſt perſolvatur pro eo quia exinde accepiſti de manibus meis pro me & pro ſupradicta coniux mea manibus noſtris in preſencia teſtium qui ic ſubter ſcripturi ſunt calciarii nomine ideſt libro uno pro denariorum ſollidos viginti & per unoquemque ſollidos ana denarios duodecim ita & poſt tranſitum noſtrorumque filiorum & nepotum munimine expleto quandoque Domino ſue ſancte mageſtatis placuerit tunc ipſa res que ſupra legitur cultas laborata defenſata & in omnibus meliorata vel quidquid a nobis inibi aditumélioratumque fuerit ad ius dominiumque monaſterio veſtro cuius eſt ius & proprietas modis omnibus revertatur. Promitto propterea in nullis diebus nulliſque temporibus vite noſtre vos autem vel veſtriſque ſubceſſoribus teſtis huius paginam enfiteoſis violabimus ſet inviolabiliter obſervabimus. Et ſi ec peticione a nobis in vobis facta minime valere recognoverint tunc daturos nos promittimus noſtriſque filiis & nepotibus vobis veſtriſque ſubceſſoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obtimi uncias quatuo & poſt pene ſolucione mane ad peticione in ſua firmitate. Quam vero peticione *Iohannes* in Dei nomine *tabellio Ravenne* ſcribendam rogavi in qua & ego ſubter manus mea ſubſcripſi & rogitis teſtibus illam tibi in eorum preſencia tradidit ſub die & menſe & indictione ſupradicta prima *Ravenne*.

✠ *Siſilicus* in hac peticione ut ſupra legitur a me facta ſubſcripſi.

L I I.

Charta Arnaldi Archiepiſcopi Ravennatis, qua plura donantur ab eo monaſterio Pompoſiae anno 1018. 20. *februarii.*

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domni *Benedicti ſummi Pontificis* & huniverſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede quinto ſitque imperante domno *Henrico magno Imperatore* in Italia anno quarto die vigeſimo menſis februarii indictione prima *Ravenne*. *Harnaldus ſervus ſervorum Dei* divina gracia *Archiepiſcopus Petro* venerabili *Abbati ſancte* Dei genitricis virginis *Marie* que vocatur *in Pompoſia* & per te tuiſque ſucceſſoribus in eadem venerabili monaſterio in perpetuum. Petitioni veſtre que abentur in ſubditis libenter ac quomodocumque aſſenſum ob oc quia nec munificentiam deperit nec percipientibus in proprietatem quod datur adqueritur & quem ſperaſtis videlicet *portum Volane* cu piſcationibus tuis integris ſicut vos ante os dies abuiſtis & detinuiſtis & nunc a noſtra iure item tenere videmini enfi-

enfiteuticario modo poftulaftis largiri ficut iufte & racionabiliter a nobis petiftis vos qui fupra *Petrus* venerabilis *Abbas monafterii fancte* Dei genitricis virginis *Marie* que vocatur *in Pompofia* & per te tuisque fucceffforibus in eodem venerabili monafterio in perpetuum pro omnipotentis Dei timore & genetricis domini noftri Iefu Chrifti amore & ut participes mereamur fieri orationibus fratrum ibidem Deo fervientium ut quorum fubvenimus neceffitatibus a Domino precibus quodque ipfa Dei genetrix intervenientes audiat fervulos nos comendet proprio filio & ut hoc votum impleatur devotius pro noftris folvendis criminibus miffas duodecim per fingulos facerdotes cantare volumus facerdotes vero qui non fuerint decantent tua falteria die vero noftre decefionis omnes fratres generaliter annuam miffam celebrent . Et infuper omnes marcio menfe dare debeatis vos veftrifque fucceffforibus nobis noftrifque fucceffforibus ftoriones duos penfi fingulis quibufque indictionibus actoribus fancte noftre Ravennati ecclefie inferre debeatis. Ea vero conditione prefixa ut fuprafcripta pifcaria cum omnibus fuis pertinenciis veftris propriis expenfis feu laboribus pifcare laborare defenfare deinde debeatis adducere nihilque de omni expenfa quam inibi feceritis ab actoribus fancte noftre Ravennatis ecclefie in fuperius affixo penfo quoquomodo reputari debeatis nullaque tardietate aut negligentia veftra ad inferendam penfionem quamque ad melioratione predictis pifcariis facere debeatis fet ante aliqua excufatione aut dilactatione actoribus fancte noftre Ravennatis ecclefie perfolvere debeatis & nec cuiquam prefens preceptum aut has pifcaria alicui homini dare vel vendere feu transferre aut in alio venerabili loco relinquere audeatis per nullum negocium vel argumentum feu negligentia aliquando adverfus fanctam noftram benefatricem noftram Ravennatem ecclefiam cuiquam contra iufticiam tractare aut agere nifi propria caufa fit contingerit per iuftitiam tantummodo ventilare audeatis. Quod fi in aliqua tardietate aut negligentia vel controverfia inventi fueritis extra agere de is que fuperius affixis conditionibus non folum de oc precepto recadeatis & ne nos neque fucceffores noftri vos veftrifque fucceffores de quavis caufa que fupra legitur in vel aliq facere vel nullam in Si quis vero prefumpferit facere trecentorum decem & octo fanctorum patrum anathematis vinculo vulneretur. Obfervator autem qui extiterit Domini benedictione redundetur. Et qui hoc obfervare noluerit & prefentem paginam aliquo dolo infregere tempraverit compofiturum fe fiad * auri obtimi libras centum & hec paginam in fua firmitate maneat. Quam vero paginam noftre preceptionis *Honefto notario fancte* noftre *Ravennatis ecclefie* fcribendam iuffi in qua nos fubfcripfimus fub die menfe & indictione prima. ✠ Legimus.

LIII. *Li-*

(*) *Hoc eft* : fciat.

LIII.

Libellus emphyt euticus datus a Gerardo Abbate s. Mariae in xenodochio Ravennae anno 1018. 12. *martii*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus donus *Benedicto summo Pontifice* & universali Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno septimo regnante donus *Enricus* vero imperio in Italia anno undecimo in Dei nomine die duodecimo mense marcio indictione prima in vico qui vocatur *ruvina*. Petistis ad me quidem in Dei nomine donus *Gerardus clericus* & *Abbas de monasterio sancte Marie* que vocatur *in senodochio* filio quondam *de Furaldo iudices* patrono qui est abitator in civitate *Ravenne* uti mihi presente in Dei nomine *Valero* qui vocatur *Gastalido* petitore seu filiis & heredibus tuis libelli nomine concedimus nos seu patrono de rem iuris nostris seo patrono qui nos tenere viso sum ad iure sancte *Ravennati ecclesie* idest tota set integras omnes res vel cetere porciones quantacumque pertinet & cocumque modum vel titulum ad *Florello* & a *Martinonio* & ad *Iohannes* qui vocatur *Balbo* & ad *Romanu* in fundo qui vocatur *laugnano* & singulis locis omnia cum terris & vineis cum piscariis pascuis silvis salectis padulibus piscacionibus venacionibus arbustis arboribus pumiferis fructiferis & infructiferis case seu & curtibus vel omnibus eisdem pertinentibus quod supra legitur abendum tenendum laborandum cultandum roncandum pastinandum defensandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viinti & nove ad salve racione donice dandum denariorum libres * ad altero libellum renovandum sicut supra legitur prestate cognos seo petitore cum suis filiis & heredibus tibi seo patrono cum tuis filiis & heredibus vel subcessoribus inferere debeo sinculi quibusque anis omnis mense infra indictione sine aliqua tardietate aut in neglectum denariis dui tantum pensio ut dictum est persolvatur promittentes preterea nunc nulisque temporibus diebus vite mee seo patrono cum meis filiis & heredibus vel subcessoribus tibi seo petitore cum tuis filiis & heredibus testus huius paginam peticionis inviolate sed inviolabiliter modis omnibus & adimplere promittimus nos seo petitore cum meis filiis & heredibus quod sit quod absit & avertad divina potencia ec omnia no observavero vel adimplevero seo petitore cum suis filiis & heredibus ante omnes litis inicium & interpellacione pene nomine auri obtimi uncias due & post pena soluta manentem & os libellum in omnium robore & firmitatis qod vero libellum uno pari tenore conscepto *Iohannes* in Dei nomine *tabellio* scribendum rogatus & subter manus suas proprias firmavit testibusque ad me rogitis obtulit

(*) *Lacuna in membrana*.

obtulit ſubſcribenda eorumque preſencium eum tibi eos tibi contradimus ſub die menſe & indictione ſeu prima in vico qui vocatur *ruvina*.

Signum ✠ manus ſeo *Valero* petitor ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

Signum ✠✠✠ manus *Guilio Egegiulſo* qui vocatur *de Guilio* & *Dominicus* ad omnia ſei teſtes cui relectum eſt.

Non abentes licentiam ſeo petitore de ipſa ſeu res que ſupra legitur cum tuis filiis & heredibus annul placito neque diſtinctum andare nec vindere nec donare nec comutare niſi inter fratribus & conſortibus niſi ad me ſeo patrono & de meis filiis & heredibus.

Noticia teſtium ideſt: *Guillo* uti teſtes.

✠ *Iohannes tabellio de curtello* qui vocatur *Rudige* ſcriptor huius pagina peticionis ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium & tradita complevi & abſolvi.

L I V.

Libellus emphyteuticus uti praecedens anno 1018. 17. *martii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus vero domni noſtri *Benedicti ſummi Pontificis* & univerſali Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede anno ſeſto regnante vero & imperante domnus *Enricus Imperatore* a Deo coronato pacifico magno auguſto in Italia anno quintodecimo die ſeptimo decimo menſe marcio indictione prima in vico qui vocatur *arquada plebe ſancti Andreas*. Petivi a te quidem in Dei nomine domnus *Girardus clericus* & *notarius ſancte Ravennatis eccleſie* & *Abba monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in ſenodochio*. Uti ego *Petro* qui vocatur *de figulo* ſeu filiis & heredibus tuis libellario nomine conceſiſtis & largiſtis ſeu confirmaſtis mihi a dicto petitore ſeu filiis & heredibus meis de re iuris eccleſie veſtre *monaſterio ſancte Marie* que vocatur *in ſenodochio*. Ideſt totam & integram omnes res vel ſortes & porciones quanta mihi prenominato petitore obvenit per cartula comparacionis per quam libellus de manno factum fuerit ipſa res que eſt poſita in fundo qui vocatur *figulus* & in fundo qui vocatur *matoni* ſingulis locis cum terris & vineis campis pratis paſcuis ſilvis ſalectis ſacionalibus caſalibus limitibus padulibus piſcacionibus venacionibus vel omnibus eiſdem pertinentibus. Ita omnia ſupradicta rem ſicut ſupra legitur conceſiſtis mihi ſeu filiis & heredibus meis habendum tenendum poſſidendum laborandum ſuperſedendum adeſenſandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad ſalvam calciaria domnica dandum qualiter vobiſcum vel cum veſtris ſucceſſoribus con-

convenire potuerimus ad alterum libellum renovandum ut non abeamus licencia de ipsa supradicta res ad aliam districta ire nisi ad vos supradicto patrono vel vestris successoribus. Prestante coque ego supradicto petitore cum meis filiis & heredibus de supradictis rebus sicut supra legitur vobis supradicto patrono vestrisque successoribus inferrere debeamus singulis quibusque anni omni marcii mense sine aliqua tardietate aut neglectum ideft in argentum pensione nomine denarii quatuor tantum in pensio ut dictum est persolvatur. Promitentes preterea ego supradicto petitore cum meis filiis & heredibus textum huius pagine libelli enfiteosin sicut supra legitur usque ad prefinitum tempus sicut supra legitur conservare & adimplere promito & si cot absit & adversa divina potencia ec omnia que supra legitur ego supradicto petitore cum meis filiis & heredibus non conservaverimus aut hiis omnibus sicut supra legitur stare & permanere noluerimus promitimus ego supradicto petitore cum meis filiis & heredibus componere & dare vobis supradicto patrono vestrisque ante omne litis inicium vel interpellacionem pene nomine auri ebrizo uncie due & post penam solutam permanead iste libellus sicut supra legitur in suo robore firmitatis quam scribere rogavi *Arnulfo* in Dei nomine *tabellio* huius vici *crispini* in qua manu mea propria signum sancte crucis feci testibus afirmare precepi sub die mense indictione supradicta prima.

Signum ✠✠ manus *Petri* qui vocatur *de figulo* petitore ad omnia supradicta cui relectum est.

Signum ✠ manus *Vitalis* filio *Martinus* qui vocatur *de Vitalis Valentinus* filio quondam *Arnulfo Martinus* filio *Vitalis* testis vocatis ad omnia supradicta cui relectum est.

✠ *Arnulfo* in Dei nomine *tabellio* huius vici *crispini* scriptor huius pagine libelli sicut supra legitur post roboracione testium & tradita complevit absolvit.

Noticiam testium in primis ideft:
Vitalis uh testes.
Valentinus uh testes.
Martinus uh testes.

L V.

Libellus emphyteuticus factus a Petro Abbate Pomposiae anno 1018. 20. *aprilis*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti summi Pontificis* & huniversalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno sesto si quis imperante domino piissimo propicio agusto *Enricus* a Deo coronato pacifico magno *Imperatore* in Italia anno quarto die

die vigefimo menfis haprelis indictione prima in loco qui vocatur *caput de Gauro*. Petimus ad vos quidem in Dei nomine domnus *Petrus presbiter* & *monachus* atque *Habbate regule monasterii fancte Marie* que vocatur *in Pompofia* huna per confenfum & auctoritatem cuncta congregacione & defervienciam eiufdem monafterii ut nobis in Dei nomine *Dominicus Faber* meifque filiis & heredibus libellario nomine concediftis & largiftis atque confirmaftis nobis rem iuris veftris fupradicti monafterii ideft tres fortes integras de terra que eft pofita in loco qui vocatur *Gauro* una cum terris vineis campis pratis pafcuis filvis falectis facionalibus padulibus pifcatoribus venacionibus vel omnibus ad fupradictas tres fortes integre pertinentibus ut fupra legitur inter afines eius hoc eft ab uno latere de fupre terre ifte fortes que fupra legitur poffident *Lopicinus tabellio* & *Albericus* qui vocatur *Turco* & *Martinus de Laurito* quam enfiteofim tenere vifi eftis ha iure veftro & ab alio latere *Gauro* percorente ficut iuris monafterii veftri defendunt feu a tercio latere filva que vocatur *de montone* a quarto latere medio fluvio qui vocatur *Gaure* conftituto *territorio Cumiaclenfis plebe fancti Martini* qui vocatur *laco fancto* cum ingreffo & hegreffo fuo & cum omnibus ad fupradictas res pertinentibus que fupra legitur nos abendum tenendum poffidendum laborandum cultandum paftinandum fuperfedendum pifcandum venandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & novem ad renovandum falva fanacione domnico dandum libellum renovemus. Ita fane ut inferatis domino cefo de omnibus vobis veftrifque fubcefforibus rendere debeamus fingulis quibufque annis omnes annualiter hoc eft terratico de grano & ficala in campo capa quinta fabas feu & minuto in area modio fefto lino manna fefto & fi vineam plantaverimus eftis cafale in campo fuere debeamus annos tres poftea rendere debeamus anforo quarto femel vite arbore pecto ponente poftea fit nobis petitori ceffo & concediftis nobis pro cafale de ipfa terra in longo fluvio qui vocatur *Gauro* ufque in valle & in lato perticas decinpedas treinta penfionem nomine dare debeamus pro ipfo cafali fingulis quibufque anni omnes feftivitatem fancte Marie in menfe agufto denarios treinta & fex tritulatum & pervectum ipfo terratico domnico per nos petitore aut per noftrum miffum ufque ad ripa veftra domnicata *in Pompofia* & ipfa penfionem in ipfo feftivitate in fupradicto monafterio veftro & non habeamus licentia de ipfa res a nullo placito publico neque diftricte andare nifi ante veftram prefenciam & de veftrifque fuccefforibus a maiore quidem domnico veftro vel veftram dominacionem cum honore & hobediencia fufipere debeamus & fucceffionem * ei facere cum fide & puritate feu umilitate fine aliqua fraude vel dolo pro quia exinde accepiftis de manibus meis fupradicto *Dominicus Faber* in manibus tuis fupradicto *Petrus Habbas* in prefencia

(*) *Hoc eft*: fubiectione.

ſencia teſtium qui ic ſubter ſubſcripturi ſunt calciarii monaſterii ideſt in arientum ſolidos * Si quis vero pars noſtrum contra os libello ire tentaverimus antequam finitum tempus ſicut ſupra legitur det pars parti fidem ſervantis ante omnes litis inicium vel interpellacionem pene nomine auri uncias duas & poſt pene ſolucionis manentem os libello in ſuo robore. Quod vero libello uno tinore conſcripto *Lopicinus* in Dei nomine *tabellio* in qua & ego ſubter manus mea propria firmavit & hunus alterius nobis pariter iubemus. Quod conſecuti ſumus agamus Deum & nobis maſſimas gracias.

Signum ✠ manibus meis ſupradicto *Dominicus Faber* petitore ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

Signum ✠✠✠✠✠ manibus noſtris *Petrus* qui vocatur *de Andrea Martinus* qui vocatur *de Confce Iuliano Trivifiano Dominicus* qui vocatur *maſſario Iohannes Halbo* teſtibus rogatis ad omnia ſupradicta cui relectum eſt.

✠ *Lopicinus* in Dei nomine *tabellio* ſcriptor uius paginam peticionis de omnibus ... ut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque tradita complevi & abſolvi.

Noticiam teſtium ideſt:

clesie. Insuper confirmamus in perpetuum eidem prenominato monasterio omnes res & pertinencias quantascumque habetis vel detinetis per quemcumque modum vel titulum scilicet mansiones terras vineas silvas paludes vel piscarias a nostra ecclesia vel a monasteriis eidem nostre ecclesie subiectis. Que igitur omnia memorata loca vel sicut superius legitur sub tali videlicet ratione concedimus atque confirmamus tibi tuisque successoribus pro remedio anime mee meorumque successorum quatenus ut tu & tui successores & confratres qui ibi sunt vel qui per tempora ibidem ordinati fuerint orationes que in tuo anteriore precepto quod a nobis in tuo prefato monasterio concessum est releguntur adimplere & facere debeatis & pro omnibus rebus & pertinenciis quas vos vestraque prefata ecclesia detinere videmini a iure sancte nostre Ravennatis ecclesie pensionem persolvere debeatis nobis nostrisque successoribus vel sancte nostre Ravennatis ecclesie octoribus * in festivitate sancti Apolenaris viginti solidos de Veneticorum denariis. Si quis tam nostri successores quam quevis maior aut minor persona contra huius nostre donacionis aut confirmacionis precepti seriem quicquam aliter agere presumserit & prefata loca & res ad ipsum monasterium pertinentes a iure & dominio regularium monachorum qui per tempora fuerint in tuo venerabili templo beata mater & virgo quovis tempore per quemlibet ut dictum est contractum alienaverit vel municiones innovaverit nisi resipiscat & emendet suscipiat indissolubile anathematis vinculum trecentorum decem & octo sanctorum patrum Niceni Concilii atque cum Iuda scariothis Iesu Christi domini nostri traditoris compar existat & cum antiquo oste condemnetur diabolo & abitaculo iustorum privetur eterno & nullo modo in memoria veniat apud Deum. His qui a tuo venerabili templo hec omnia que a me tibi confirmata atque donata sunt beata Virgo alienare aut surripere ut supra diximus atemptaverit eaque ex tuis propriis muneribus a limina tua tibi deserviencium regularium monachorum perenniter tribuimus possidendas. Quamobrem ex excnixa prece deposco ut mihi tuo inutili famulo licet immerito attamen qui pro summo desiderio cordis prelibata munuscula amoris studio tibi confirmare atque donare disposui veri luminis mater quatinus digneris observacionibus obtinere aput filium tuum ut abolitis meorum scelerum vinculis eterne vite participem efficiar. Quam preceptionis & voluntarie nostre confirmacionis & donacionis paginam *Gerardo notario* sancte nostre *Ravennatis ecclesie* scribendam iubentes precipimus & ut verius credatur subter manu propria ut perpetualiter permaneat roborandam mandavimus sub die & mense & indictione predicta octava *Ferrarie*.

✠ Ego *Gebehardus* Dei gracia *Archiepiscopus* hoc preceptum fieri iussi & ss.

✠ Ego

(*) *Hoc est*: actoribus.

✠ Ego *Hugo Parmensis Episcopus* ss.

✠ Ego *Ivo Placentinus Episcopus* ss.

✠ Ego *Sigefredus* Dei nutu *Regensis Episcopus* ss.

Ego *Adelfredus Bononiensis Episcopus* ss.

Ego *Ubertus Saxenatis Episcopus* ss.

✠ Ego *Iohannes* gracia Dei *Ficoclensis Episcopus* in hoc precepto ſubſcripſi.

✠ Ego *Rolandus* gracia Dei *ſancte Ferrarienſis eccleſie Episcopus* ss. *

Ego *Deusdedit ſancte Ravennatis eccleſie diaconus* hoc preceptum laudans ſubſcripſi.

Ego *Lambertus Abbas* in hoc precepto ſubſcripſi.

✠ Ego *Bonizo Abbas s. Severi* in hoc precepto laudans ſubſcripſi.

✠ Ego *Giſelbertus ſancte Ravennatis eccleſie archipresbiter* in hoc preceptum laudans ss.

✠ Ego *Adam presbiter ſancte Ravennatis eccleſie* conſenſi & ss.

Ego *Ravennus Cardinalis presbiteri* in hoc precepto ſubſcripſi

✠ Ego *Vitalis ſubdiaconus & cantor ſancte Ravennatis eccleſie* in hoc preceptum laudans ss.

✠ Ego *DD. Abbas ſancti Iohannis Evangeliſte* in hoc preceptum ſubſcripſi.

✠ Ego *Bonizo ſancte Marie in coſmedin Abbas* in hoc decreto ss.

X C V.

Commutatio eccleſiae s. Petri de Uſtolato facta a Gebehardo Archiepiſcopo Ravennae cum Guidone Abbate Pompoſiae anno 1040.

Ex apographo ſaeculi XIII. in Pompoſiano tabulario.

Domine ſancte & illuminatrici angelorum & hominum regine beate virgini Marie cuius monaſterium fundatum eſt in inſula que vocatur *Pompoſia*. *Gebeardus ſervus ſervorum Dei* divina gracia *Archiepiſcopus ſancte catholice Ravennatis eccleſie* oblator & commutator exiguus. Cum ſumme dominationis potentia *&c. ut in precedenti uſque ad verba*: previdi conſtituere atque confirmare predia inferius adſcribenda atque nunc videntur eſſe tua. Verum etiam ad divini cultus gloriam & ad bone memorie *Valentini* ſubſtentationem munuſculum aliquod & cumcambium tibi nunc verum luminis mater dono ex vero atque mentis devotiſſima ubere confirmo in perpetuum. Ideſt *eccleſiam ſancti Petri Apoſtoli* cum cortis & decimacionibus primiciis oblacionibus terris atque cum omnibus ſibi pertinentibus poſitis in loquo qui dicitur *oſtolatus*. Verum etiam ipſam curtem noſtram integram que vocatur *uſtolatus* cum omnibus ſuis pertinenciis in qua predicta plebs ſita eſſe videtur inter affines pertinentie ipſius plebis & curtis a primo latere *caleo* a ſecundo latere *unzerienſe* ſeu a tercio latere *binbola* atque a quarto latere *padiuſalus* percur-

(*) *Litteris maiuſculis expreſſa haec verba ſunt in ſuo originali.*

currens. Verum etiam concedimus tuo venerabili monasterio beatissima Maria virgo perpetua mansum unum integrum cum omnibus sibi pertinentibus quod est positum prope *Ravennam plebem sancti Stephani* qui vocatur *in tegnia* inter affines prelibati mansi a duobus lateribus iure ipsius plebis a tercio latere fluvius qui dicitur *Gorus* atque a quarto latere iure prefati *monasterii Pomposiani*. Simul etiam confirmamus tibi in perpetuum mansionem unam integram que est posita iusta murum civitatis *Ravenne in regione sancti Vitoris martiris* prope *portam* que vocatur *vacini* a primo latere *Theutius tabellio* a secundo latere murus civitatis *Ravenne* seu a tertio latere heredes quondam *Iohannis de porta* que vocatur *vacini* atque a quarto latere platea publica percurrens necnon & mansionem aliam positam *in regione sancti Michaelis archangeli* qui vocatur *asirglisco* ab uno latere possidet *Iohannes Stabilis* ab alio latere possidet *Andreas Duldirige* seu a tertio latere heredes quondam *Martini Callo* a quarto latere andronella que vadit ad fluvium qui vocatur *Padentinus*. Similiter fundum unum integrum qui dicitur *munterioni* positum *in territorio Pupuliense* plebe ipsius cum appendicibus suis inter affines eius ab uno latere strata publica percurrente ab alio latere aqueductus & septa seu a tertio latere *dagolo* & *casulicolo* & fundum qui vocatur *de campenna* atque a quarto latere *aquaviola* & *casalbaoni*. Quin etiam sancimus & firmiter perpetuamus tibi *Guidoni* venerabili *Abbati monasterii sancte* predicte virginis *Marie* tuisque succedentibus abbatibus in eodem monasterio in perpetuum idest omnes res & pertinencias illas quantascumque habere & detinere videmur iure sancte nostre Ravennatis ecclesie per singula loca vel territorio tam in civitate quamque in plebibus vel ubicumque sunt posita remota omnium nostrorum successorum contradictione itemque permittemus & perdonamus atque concedimus tibi tuisque successoribus eiusdem monasterii fodrum placitum & quodcumque de predicta curte *ostolatus* exierit, vel pertinet que ad nostram respiciunt functionem. Pro eo quia tu *Guido* venerabilis *Abbas* de iure vestre ecclesie dedisti nobis quasi per concambium idest medietatem *portus* qui vocatur *de Volana* in perpetuum & centum quinquaginta libras denariorum Papientium pro predicta curte *ustulatus* quam meus antecessor *Eribertus* per hipothecam dedit quibusdam hominibus a quibus predictam pecuniam accepit quibus ego illam nunc reddere debeo idest *Guidoni comiti* & *Iohanni de Alberto clerico eius Ferrariensibus*. Que igitur omnia loca memorata sub tali videlicet ratione concedimus & confirmamus tibi pro remedio anime mee meorumque successorum & per te in tuo venerabili *monasterio* in perpetuum sancte *Marie* que vocatur *in Pomposia Guido* karissime pater quatinus omnibus diebus vite mee universi fratres qui sunt vel qui in postea fuerint per singulas ebdomadas missam unam solempniter pro peccatis meis cantent & expleta similiter unaquaque ora salmum unum idest *Bea-*

tus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. In die vero depoſitionis mee quot ibi presbiteri fuerint omni anno unuſquiſque pro delictis meis tres miſſas concinant & ſalteria ſingula qui presbiteralem officium non habent ſimiliter dicant. Et inſuper precipimus ut pro predicta plebe una cum curte integra & pro medietate *piſcarie Volane* necnon pro omnibus rebus illis ſicut in iſta confirmacione precepti continet penſione omni annualiter in feſtivitati ſancti Apolenaris ſolvere debeatis nobis noſtriſque ſucceſſoribus vel ſancte noſtre Ravennatis eccleſie actoribus bizantium unum. Si quis vero tam noſtri ſucceſſores quam quevis maior aut minor perſona contra huius noſtre donacionis precepti ſeriem quoquo aliter agere preſumpſerit & prefata loca ad ipſum monaſterium pertinentia a iure & dominio regularium monachorum qui per tempora fuerunt in tuo venerabili templo beata mater & virgo quovis tempore per quemlibet ut dictum eſt contractum eſt alienaverunt vel munitiones innovaverint ſubxipiat indiſſolubile anathematis vinculum trecentorum decem & octo ſanctorum patrum Niceni concilio atque cum Iuda Scariothis Ieſu Chriſti domini noſtri traditore cumpar exiſtat & cum antico oſte condemnetur diabolo *&c. ut in precedenti uſque in finem, omiſſis tamen verbis, quae confirmationem innunt, notis etiam chronologicis, & ſubſcriptionibus, quarum loco dumtaxat habetur.*

Ego *Gebehardus* Dei gratia *Archiepiſcopus* hoc preceptum fieri mandavi & ſubſcripſi.

XCVI.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pompoſiae anno 1040. 11. *auguſti.*

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini noſtri *Benedicti ſumo Pontifice* & univerſalis Pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede anno octavo Imperatore defunctus nullus in Italia Imperatore nondum abemus die undecimo menſis auguſto indictione octava in vico qui vocatur *uſtolathus*. Petivi ad te quidem in Dei nomine donus *Uberto presbiter* & *monachus* pro vice ex perſona de domno *Wido* gracia Dei *presbiter* & *monachus* atque *Abbas regule monaſterii ſancte Marie* quod vocatur *in Pompoſea* largitore. Uti mihi quidem in Dei nomine *Iohannes* qui vocatur *burello* tam pro me quam pro vice ex perſona de *Pedorina* iugale mea petitoris ſeu filiis & heredibus noſtris libella ii nomine conceſiſtis & largiſtis ſeu confirmaſtis nobis de rem iuris ſupradicto monaſterio veſtro. Ideſt una pecia terre de caſale qui eſt poſito *in uſtolatho* prope ſet non longe *eccleſia ſancti Petri* quod eſt in longitudinem ſuam perticas decimpedas ſidecim & in latitudinem ſuam perticas decimpedas quatuor iuſta latus via qui dicitur

tur *caput de orto*. Et iterum concedistis nobis in ipsius loco da alia parte via una pecia terre vinearum quod est ordinis tres iusta latus possidente nobis supradicti petitore cum ingressu & egressu suo & cum omnibus que ad supradicta res pertinentibus sicut superius legitur heas abendum tenendum possidendum laborandum defensandum & in omnibus meliorandum in annis advenientibus viginti & nove ad renovandum salva calciaria domnica dandum hoc peticione renovemur. Ita sane ut inferre debeamus nobis nostrisque filiis & heredibus vobis vestrisque subcessoribus dare debeamus singulis quibusque anni hoc est pensione de denariis Veneticorum quatuor tantum pensio ut dictum est persolvatur. Et non abeamus licencia de ipsa res ad nullum placitum publicum neque districtu andare nisi ante vestra presencia vel de vestris missis maiore quidem domnico vel vestra dominacione cum onore & obediencia susipere debeamus & subcepcione ei facere cum fide & puritate seu umilitate sine aliqua fraude vel dolo. Si quis vero pars nostrum contra hoc peticione ire temtaverimus ante prefinitum tempus sicut supra legitur det pars parti fidem servanti ante omnis litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri obtimi uncias duas & post pene soluta manente hoc peticione in sua firmitate. Quos vero peticione uno pari tenore conscripto *Iohannes* in Dei nomine *tabellio* scribendum rogavi & subter manus mea propria firmavi & unus alterius nobis pariter iubemus quod consecuti sumus agamus Deum & vobis massimas gracias.

Signum ✠ manus supradicto *Iohannes* petitore tam pro se quam pro vice ex persona de *Pedorina* iugale sua ad omnia supradicta cui relectum est.

XCVII.

Venditio bonorum facta a quondam Tiersone monasterio Pomposiae anno 1040. 23. *novembris*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti anno Deo propicio pontificatus domini nostri *Benedicti sumi Pontificis* & universalis Pape in apostolica sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno decimo regnante domnus noster *Henricus* antequam coronam imperialem accepisse anno primo die vicissimo tercio mense november indictione hoctava in vico qui vocatur *Cornedo*. Profitens profiteor ego quidem in Dei nomine *Tierso* filio quondam bone memorie *Stefanus* qui vocatur *musrco* * qui fuit habitatore in vico qui vocatur *pupinzana* venditore per huius paginam mee vocis professionis sponsionis vendicionis transfersionis & transactionis a presente die mee paginam. Vobis presente in Christi nomine domnus *Iohannes*

(*) Fortasse: *musico*.

nes monachus comparatore qui manere viſſoſum *in cella ſancti Petri* qui vocatur *in Cornedo* per conſenſum de domno *Vido* gracia Dei *Abbas* ſeu per cunctorum deſerviencium eiuſdem monaſterio ſeu ut ſubceſſoribus tuis pro futuris temporibus poſſidebere * que hic inferius legitur da *Eiverdo* necnon & tranſacto de meo iure meoque dominium meorumque filiorum & alieno ſeu tranſcribo atque ſubduco in iure & dominium tuum ſupradicto domnus *Iohannes monachus* comparatore & in tuiſque ſubceſſoribus & quod habere hac poſſidere & a meis manibus detinere viſſo ſum ad iure quondam bone memorie genitore meo *Authundo* que mihi adveniſſe vel pertinere potuiſſe per quodcumque modum vel titulum ideſt omnes res & ſortes & porciones mea quantaſcumque mihi ſupradicto venditore pertinet que eſt poſita ipſa ſupradicta res in fundo qui vocatur *pupignano* & in fundo *ſilva morta* & in fundo *caſello* & qua in fundo *lamare lamare* & in *ſoleno* & per aliis ceteris locis vel fundis omnibus cum teris & vineis campis pratis paſculis ſilvis ſalectis ſacionalibus arbuſtis arboribus pomiferis & infructiferis cultis vel incultis vallibus paludibus piſcacionibus vel occupacionibus ſuis & cum omnibus ad ſupradictas res poſſidentibus ſitis infra *plebe ſancti Andree in hercudis* ** ut amodo a preſente die aut quandoque volueritis liceat tibi ſupradicto *Iohannes monachus* comparatore tuiſque ſubceſſoribus ſupradictas res que ſupra legitur ibidem introire & prehocupare atque ingredi in poteſtatem per hanc paginam vendicionis transferſionis da me atque in te facta & tradita tanquam per legitimam & meam corporalem tradicionem abendi dominium & poteſtatem ab eas teneas poſſideas eciam vindendi donandi vel comutandi & quiquit tibi placuerit exinde facias cum tuiſque ſubceſſoribus in perpetuum. Pro eo quia ego ſupradicto *Tierſo* renditore acepit precium in manibus meis de manibus tuis ſupradicto compratore in preſenciam teſtium qui hic ſubter leguntur precium nomine ideſt argenti denariorum ſolidus treinta & quinque ab omnis deceptionis ſeu deliberacionis calumnie & ab hiſta die numquam aliquam aliquando liceat mihi ſupradicto venditore neque meis filiis & heredibus ullo unquam in tempore quamvis exinde facere queſtione repeticione aut cauſacionem vel interpellacione ullamque moleſtia generare aut facere incontra vos ſupradicto compratore vel contra tuoſque ſubceſſoribus neque per me neque per a meis ſubmiſſis vel ſumitendi perſonis magioris vel minoris propinquis vel extraneis & non adeundum in iudicium & non ſuplicandum princibus neque per eccleſiaſtica vel per regule aut per imperialem poteſtate. Set immo homni tempore ſecurus & quietus exinde maneatis cum tuiſque ſubceſſoribus in perpetuum & ego ſupradicto venditore cum meiſque filiis & heredibus vobis domnus *Iohannes* comparatore tuiſque ſubceſſoribus ipſa ſupradicta res quod ſupra legitur ab omni perſona

(*) *Hoc eſt*: poſſidere. (**) *Hoc eſt*: arquado.

ſona omnium * ſtare & defenſare & auctorizare promitto. Quod ſi quod abſit & avertat divina potencia & omnia que ſupra legitur non obſervavero vel adimplevero & contra hec ire vel agere aut contendere voluero tunc daturo me promitto meoſque filios & heredes dare tibi ſupradicto compratore tuiſque ſubceſſoribus ante omnes litis inicium aut interpellacione pene nomine auri obtimi libras una & poſt pene ſoluta manente hec cartula vendicionis transfercionis ſicut ſupra legitur in ſuo robore & firmitatis quam vero hec paginam *Petrus* in Dei nomine *tabellio* de vico qui vocatur *tamara* ſcribendum rogavit & ſubter manus mea propria adfirmavit & teſtes adfirmare rogavit & ſub eorum preſencia eam tibi tradidit ab abendum & detinendum omnia quod ſupra legitur ſub die & menſe indictione ſupradicta *in Cornedo*.

✠ Signum ✠ ſupradicto *Tierſo* venditore in anc paginam vendicionis transferſionis de omnia quod ſupra legitur cui ſunt auctore ſupradicti teſtis adfirmare rogavit.

Signum ✠✠✠✠✠ ſupradicto *Ato* ſartore & *Iohannes Balbo* & *Gairardo de Laugnano* & *Domezello* filio quondam *Averdo* & *Alberto* qui vocatur *Tuſſco* toti prenominati in anc paginam vendicionis ſicut ſupra legitur rogatis teſtibus teſtique littera neſci.

✠ *Petrus* in Dei nomine *tabellio de vico* qui vocatur *tamara* ſcriptor hec paginam vendicionis transferſionis ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque tradita complevit & abſolvit.

Noticiam teſtium ideſt inprimis:

Atto teſtes.
Iohannes teſtes.
Gairardo teſtes.
Demezo teſtes.
Alberti teſtes.

XCVIII.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pompoſiae anno 1041. 13. *februarii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Domini temporibus domini *Benedicti* ſede nono die terciadecima menſis februarii indictione nona *Ravenne*. Petivi ad vobis in Dei nomine domnus *Wido ſancte Marie Abbas* per conſeum ** deſerviencium eiuſdem monaſterii me preſente in Chriſti nomine *Petrus* petitor pro me & pro *Romoaldus* fratres . . . meo filii quondam *Romualdi* ſeu filiis ſeu nepotibus noſtris & qua is ex nobis mori ſine filio vel filii eius portio hei fratribus qui ſupervixerit ſeu filiis ſuis per ſe peticionis enphiteuſin concediſti nobis rem iuris ſupradicti monaſterii veſtris ideſt manſionem una integra muro circumdata

(*) *Hoc eſt*: hominum. (**) *Hoc eſt*: conſenſum.

data tegulis & inbracibus atque ſindolis tecta que fuit de quondam *Ioannis de gauſa* & *Maroccie* iugales & *de Ioanne* nepote ſuo cum curte & orto & puteo integro poſitum in capite andrenellam pertinentem ad ipſam manſionem cum ingreſſo & regreſſo ſuo & cum omnibus ſibi pertinentibus ſitas in hac civitate *Ravenne in regione porta nova* ab uno latere platea publica ab alio latere murotium a tertio latere poſitum *Andree iudex* & concediſti nobis alia manſionem ipſa regione poſita prope *eccleſiam Guthorum* cum orticello retro ſe & vinea una integra & orto uno integro poſito foris *porta artemeduli* & terciam manſionem integram cum curte & porcione puteum ante repoſitum cum andronule ſue in capite eius cum ingreſſo & regreſſo ſuo & cum introito exito ſuo uſque in platea publica ſitas in ac civitate *Ravenne in regione ſancti petri maioris* ab uno latere poſitum heredes *Sardo* ab alio latere poſitum heredes quondam *Martinus de Leoncio* a tercio latere poſitum *ubi presbiter* a quarto latere ſupradicta curte de quomune & domus una integra cum manſiuncula retro ſe cum porcione puteo poſito *in regione ſancti petri maioris* & pratum unum integrum poſitum in loco qui vocatur *vadum* iuſta latere fluv & omnes res illa quantaſcumque obvenit ſupradicto monaſterio veſtro per *Ioannes de* iugales & da *Altruda* mater noſtra que eſt poſita *in co* cum terris vineis campis pratis ſilvis paludibus piſcariis venacionibus & cum formis anatrarie & cum omnibus ſibi pertinentibus ſitas territorio *plebe ſancti Kaſiani* & omnes res illas integras que ovenit monaſterio veſtro *de Ioannes de Gauſa* & *Marocia* iugales & *da Altruda* mater noſtra poſita in curtem que vocatur *farnete* infra fundis fundum qui vocatur *ponte ſeculi ſalecta caſoſi* *maſſati* & *felice* & *limite* & *campo de canuſio* & *ronco de rogo* & *caſula* ſitas *territorio Livienſis plebis ſancti Martini* qui vocatur *in Strada* & una area ſalinarum poſita *in palude Fiquocleſis* in fundamento *de lo forno* & conceediſti nobis omnes res illas integras quantascumque ovenit ſupradicto monaſterio per donacionis carta tu nobis ſupradicti petitoris poſita in fundum qui vocatur *ſananellus territorio Ceſſinate plebe ſancte Marie* que vocatur *a monte tugati* cum terris vineis campis arbuſtis arboribus & cum omnibus ſibi pertinentibus que omnia ſupradicta res ſit in dominium & proprietate *Altrude* mater noſtra diebus vite ſue totis utendi fruendi dandi ſupradicti petitoris ſeu filiis & nepotibus noſtris divina gracia in ac luce placuerit permanere vita concediſti nobis eas res habendas tenendam poſſidendam defenſandam & meliorandam in omnibus meliorandam & ex propriis expenſis ſeu laboribus nihilque inferamus penſione reputantes ſub penſione omni marcio menſe infra indictione pro ſupradicta res ideſt denarios Venecie duodecim penſio tantum perſolvatur pro eo quia exinde accepiſti calciarium de manibus meis ſicut ſupra legitur in preſencia teſtium qui aic ſubter ſubſcripturi ſunt calciarii nomi-

nomine librum unum pro denariorum Venecie libras viginti & tu supradicto Abbas cum tuis subcessoribus nobis supradicti petitoris nostrique filii & nepotibus eas res ab omni persona hominum stare & auctoriare seu defensare debeatis ita & post transitum nostrorum nostrarumque filiarum & nepotum munere expleto quandoque Domino sue sancte maiestatis placuerit tunc supradicta res laboratas cultas defensatas & in omnibus melioratas ad ius & dominium supradicti monasterii vestris cuius est iura & proprietas modis omnibus revertantur dominium & potestatem. Quod si quod absit & avertas divina potencia ec omnia que supra legitur non observaverimus & vel adimpleverimus contendere voluerimus quia daturi nos promittimus cum nostris filiis & nepotibus tibi tuisque successoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri optimi uncie due & post pene solucionem ec peticio firma *gerardus* Dei nutu *tabellio Ravennas* scribendum rogavi sub die mense & indictione supradicta nona *Ravenne*.

✠ *Petrus* filius quondam *Romani* in ac peticione a me facta subscripsi.

✠ *Andreas* filius quondam *Aldonis* in hac peticione ut supra legitur rogatus testis subscripsi.

✠ Ego *Deusdedit* filius quondam *Aldonis* in hac peticione *&c. ut supra*.

✠ Ego *Mauricius* filius quondam *gregorius* in hac peticione *&c. ut supra*.

✠ *gerardus* Dei nutu *tabellio Ravennas* scriptor uic peticionis ut supra legitur post roboracionem testium complevi absolvi.

Noticiam testium: *Andreas* filius quondam *Aldonis*. *Deusdedit* fratri suo. *Mauricius* filius quondam *gregorius*.

X C I X.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pomposiae anno 1041. *die* 14. *februarii.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Domini temporibus domini *Benedicti pape* sede anno nono die quartodecima mensis februarii indictione nona *Ravenne*. Petivi ad vobis in Dei nomine domnus *Wido* Dei gratia *Abbas monasterii sancte Marie* que vocatur a *pomposia* per consensum deserviencium eiusdem me presente in Christi nomine *Petrus* qui vocatur *homine* petitor pro persona ei nure *Euthochia* sori mea seu *Sizile* nepotibus suis aut si filio vel filia non abueritis sibi dare vel derelinquere in uno successore suo seu filiis sui mediocras persona per hec peticio enfiteusin concedisti & largisti seu confirmasti nobis rem iuris *monasterii* vestri *sancte Marie* que vocatur *a genodochio* idest vacuamentum unum integrumque extenditur in longitudinem suam pedes

pedes viginti & ſeptem & in latitudinem ſuam pedes decem & octo vel cum ingreſſo & regreſſo ſuo & cum omnibus ſibi pertinentibus ſitas in ac civitate *Ravenne* in regione *porta* que vocatur *ſancti Laurencii* in finibus eiusdem rei hoc eſt ab uno latere poſſidetis ego predicta *Euthochia* iuris predicti monaſterii a ſecundo latere poſſidet *Andreas* qui vocatur *Zarauquo* iuris prefati monaſterii ſeu a tercio latere poſſident heredes quondam *Riculfi* iuris iam dicti monaſterii atque a quarto latere poſſidet *Andreas* qui vocatur *Graſſo* dum me ſuperius nominata seu filiis & nepotibus mei aut meo ſucceſſore ſeu filiis ſui divina gracia in ac luce iuſſerit permanere vita concediſti & largiſti ſeu confirmaſti nobis eas abendam tenendam poſſidendam defenſandam & meliorandam sub penſione omni marcii menſe infra indictione pro supradictas res ideſt denariorum Venecie unum Pro quia accepiſti calciarium in preſencia teſtium ideſt librum unum pro denaris quinque Venecie solidos viginti & tu supradictus Abbas supradicti monaſterii una cum tuis ſucceſſoribus me predicta *Euthochia* meisque filiis & nepotibus aut meo ſucceſſore seu filiis suis eas res que supra legitur ab omni perſona omnium * ſtare & auctoriare seu defenſare debeatis. Quod ſi quod abſit *&c. ut in praecedenti.*

✠ *Euthochia* in ac peticione ut supra legitur a me facta ſubſcripſi.

✠ *Iohannes* filius quondam *Iohanni* in ac peticione ut supra legitur rogatus teſtis subſcripſi.

✠ Ego *Stefanus conſul* in ac peticione *&c. ut ſupra.*

✠ *Gogtrardus* in hac peticione *&c. ut ſupra.*

✠ Ego *Gerardus* &c. ut in praecedenti.

Noticiam teſtium: *Iohannes* filius quondam

Stefanus filius quondam *Gogtrardus.*

C.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pompoſiae anno 1041. 20. *februarii.*

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Domini temporibus domini *Benedicti pape* ſede anno nono die vieſima menſis februarii indictione nona *Ravenne*. Petivi ad vobis in Dei nomine domnus *Wido* Dei gracia umillimus *Abbas monaſterii ſancte Marie* que vocatur *a Pompoſia* per conſenſum deſerviencium eiuſdem monaſterii me preſente in Chriſti nomine *Iohannes de Berta* petitor pro me & pro *Berta* conius mea seu filiis & nepotibus noſtris per ec peticionis enfiteuſin concediſti & largiſti seu confirmaſti nobis rem iuris predicti monaſterii veſtri ideſt manſione una integra pede plana que extenditur in longitudinem suam pedes

(*) *Hoc eſt*: hominum.

des legiptimi semissalibus viginti & quatuor & in latitudinem suam pedes decem & octo vel cum ingresso & regresso suo & cum accesso ripa fluvio *podorine* & cum omnibus sibi pertinentibus que est posita foris *porta* que vocatur *varcini* ultra predicto fluvio in finibus eiusdem rei a primo latere predicta ripa & fluvio ab alio latere possidet *Vitalis de Teucio* a tercio latere possident eredes quondam *Verardi* & *Andree iudex* a quarto latere possidet *Bonofilio* ne qui vocatur *de Vitalis* dum nos superius nominati petitoris seu filiis & nepotibus nostris divina gracia in ac luce iusserit permanere vita concedisti & largisti seu confirmasti nobis eas res abendum tenendum possidendum defensandum & meliorandum in omnibus indesinenter secundum paginam peticionis nostre singulis quibusque anni sub pensione omni annualiter pro supradicta res denariorum Venecie quatuor tantum infra indictione pensio ut dictum est persolvatur pro eo quia accepisti calciarium ideſt librum unum pro denariorum Venecie libras quatuor & tu supradicto Abbas cum tuis subcessoribus *&c. ut in charta huius anni* 13. *februarii usque ad verba*: indictione supradicta nona *Ravenne*.

☧ Signum ✠ manus supradicto *Iohannis de Berta* iam dicto petitore ad omnia supradicta cui relectum est.

C I.

Venditio bonorum facta Iohanni monacho s. Petri in Cornedo pro Guidone Abbate Pomposiae anno 1041. *die* 22. *februarii.*

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine sancte & individue Trinitatis hanni ab incarnacione domini nostri Iesu Christi sunt modo mile quadrainta huno pontificatus domini nostri *Benedicti sumi pontificis* & universalis Pape in apostoliça sacratissima beati Petri Apostoli Domini sede anno nono regnante domnus noster *Henricus* hantequam coronam imperii accepisset hanno primo die viesimo secundo mense februario indictione nona in *Cornedo*. Profitentes profitemur nos quidem in Dei nomine *Iohannes* & *Dominicus* germani filii quondam bone memorie *gregorio* sitque *Dominicus* filio quondam *Dominicus* pro ex persona & in vice de *Martina* conius mea toti prenominati venditori qui sunt habitatori in vico qui vocatur *laugnano* per huius paginam nostre vocis professionis sponsionis vendicionis transfersionis & perpetualis transactionis a presente die nostre paginam vobis presentibus in Christi nomine domnus *Iohannes monachus de cella sancti petri in Cornedo* comparatore per consensum de domnus *Wido* gracia Dei *Abbas monasterii sancte Marie* que vocatur *in pomposia* seu & subcessoribus vestris pro futuris temporibus possidentibus rem que hic inferius legitur damus & vendimus necnon & transfactamus de nostro iure nostroque dominium nostrorumque filiorum & heredum alienamus seu

transcribimus atque subducimus nos quod habemus hac possidemus & a nostris manibus detinere visi sumus ad iure quondam nostris parentibus aut hundeque nobis avenisse vel pertinere potuisse per quodcumque modum vel titulum ideſt res & sortes & porciones nostra in integrum quantacumque nobis pertinet in fundo qui vocatur *laugnano* da ista parte fossa que est termine in fundo *laugnano* & *sancto Zenone* que est posita ipsa supradicta res per singulis vel diversis locis altum vel planum terris & vineis campis pratis pascuilis silvis saledis facionalibus harbustis arboribus pomiferis & infructiferis cultis vel incultis vallibus padulibusque piscacionibus venacionibus vel hoccupacionibus suis & cum omnibus ad supradicta res pertinentibus sitis infra *plebem sancti Andree* que est fundatum *in arcuada* liceat vobis supradicto domno *Iohannis* comparatore tuisque subcessoribus innovandi ut hamodo a presente die aut quandoque volueritis liceat tibi domnus *Iohannes* comparatore tuisque subcessoribus in supradicta res supra legitur introire & prehoccupare atque ingredi & potestatem ab eas teneas possideas eciam vindi * donandi vel comutandi & quitquit tibi placuerit exinde facias cum tuisque successoribus in perpetuum. Pro eo quia nos supradicti venditori accepimus precium in manibus nostris de manibus tuis supradicto domnus *Iohannes* comparatore in presenciam testium qui hic subter leguntur precium nomine ideſt hargenti denariorum solidos hundecim monete Veneticorum hab omnis deeeptionis seu deliberacionis calumnie & hab ista die nunquam aliquam aliquando liceat nobis supradicti coenditori neque nostris filiis & heredibus ullo unquam in tempore quamvis exinde facere questionem repeticionem aut causacionem vel interpellacionem ullamque molestia generare aut facere incontra te supradicto compratore vel contra tuisque subcessoribus non per nos neque per a nostris sumissis vel sumittendi personis maioris vel minoris propinquis vel extraneis & non adheundum in iudicium & non supplicandam principibus neque per ecclesiasticam aut regalem vel imperialem potestatem sed immo homni tempore securus & quietus exinde maneatis in omnibus. Etsi quod eo tempore quepia persona omnium ** surexerit quem tibi eiusdem regi *** partem vel eam totam tollere voluerimus nos supradicti venditori nostrisque filiis & heredibus quibus supradicto compratore tuisque subcessoribus ipsa supradicta res & sortes & porciones integras quod supra legitur ab omni persona omnium **** stare & defensare & audorizare promittimus. Quod si quod absit & avertat divina potencia ec omnia que superius legitur non observaverimus vel adimpleverimus & contra ec ire vel agere aut contendere voluerimus tunc daturi nos promittimus nostrisque filiis & heredibus dare tibi supradicto domnus *Iohannes* comparatore tuisque

(*) *Hoc est*: vendendi. (**) *Hoc est*: hominum.
(***) *Hoc est*: rei. (****) *Hoc est*: hominum.

que ſubceſſoribus ante omnes litis inicium aut interpellacio ne pene nomine auri obtimi huncias tres & poſt pene ſoluta maneat hec cartula vendicionis transferſionis ſicut ſupra legitur in ſuo robore & firmitatis. Quam vero hec paginam *Petrus* in Dei nomine *tabellio* de vico qui vocatur *tamara* ſcribendum rogavit & ſubter manibus meis propriis adfirmavimus & teſtibus adfirmare rogavimus & ſub eorum preſenciam teſtibus tradidit ab abendum & detinendum omnia quod ſupra legitur ſub die menſe indictione ſupradicta nona in *Cornedo*.

✠ Signum ✠✠ ſupradicto *Iohannes* & *Dominicus* germani venditoris in ac paginam vendicionis ſicut ſupra legitur cui ſunt auctori ad omnia cui relectum eſt.

✠ Signum ✠ ſupradicto *Dominicus* venditore pro ex perſona & in vice *de Martina* conius mea in anc paginam vendicionis transferſionis ſicut ſupra legitur cui ſunt auctore & ad omnia cui relectum eſt.

✠ Signum ✠✠✠✠✠ ſupradicto *Iohannes Balbo* & *Michelem* & *Martino* qui vocatur *Zallo* & *Guntardog* filio *Leo de Taſſini* & *Adamo* qui vocatur *de Boſſia* in anc paginam vendicionis transferſionis ſicut ſupra legitur ſunt teſtes per littera neſſi.

☧ *Petrus* in Dei nomine *tabellio* de vico qui vocatur *tamara* ſcriptor hec paginam vendicionis transferſionis ſicut ſupra legitur poſt roboracionem teſtium atque tradita complevi & abſolvi.

Nuncia teſtium ideſt in primis: *Iohannes* teſtes *Michele* teſtes *Martino* teſtes *Guntardo* teſtes *Adamo* teſtes.

C I I.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pompoſiano anno 1041. 20. *iunii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti anno Deo propicio pontificatus domini *Benedicti Pape* ſede nono pos defuncto domno *Conradus Imperatore* die vigeſimo menſe iunii indictione nona *Ravenne*. Plura eſiſtunt pacta que ſola temporum ſet ob oc neceſſe eſt ſcripture vinculis vergentium tempora oblivionis mandentur & iurgium generetur equum. Profitens profiteor ego in Dei nomine *Ingizoni* qui vocatur *Bonizoni de Vitalis* de huius . . . mee vocis profeſſionis ſponſionis ſimulque pactique convenientie ti ſeo largetati a preſenti die mee pagine de preſente in Dei nomine domnus *Wido* Dei gracia *presbiter* & *monachus* adque *Abbate regule* venerabilis *monaſterii ſancte Marie* Dei genitricis glorioſeque Marie que vocatur *in Pompoſia* eo quod vos predicto domnus Abbas cum conſenſum monachorum eiuſdem monaſterii faci cartam pacti largetati meum . . . *Ingizoni* amodo uſque ad annos quadra-

draginta etsi plus vixerit omnibus diebus vite mee dedit & post meum obitum cadat adque revertat ipsas res quas inferius michi largisti absque omni invencione in supradicto *monasterio* vestro *sancte Marie* que vocatur *in Ponposia* & si antea quadraginta annos mortuo fuero ego supradicto *Ingizoni* similiter ipsas res revertant in predicto monasterio vestro concedisti nobis rem iuris predicti monasterii vestris idest omnes res illas integras quantascumque pertinet supradicto monasterio vestro *in massa* que vocatur *borsialia* cum inte fines eorum supradicte res a primo latere fluvio *Alimone* & ab alio latere via que git a *gudo* a tercio latere supradicto *gudo* percurrens adque a quarto latere possident heredes quondam *Tribuni* & possident heredes quondam *Petri tabellionis de pusterula* & heredes quondam *Teubaldi de pusterula* & una pecia terre que est posita ex alia parte *gudo*. Et insuper mihi supradicto petitori sicut supra legitur. idest omnes res illa quantascumque modo a presenti die ad tenere in locum qui dicitur *fosso* . . . latere & fluvio *Alimone* & ab alio latere *gumso* a tercio latere *russi* a quarto latere predictis rebus cum terris & vineis campis pratis pascuis silvis salectis facionalibus arbustis arboribus & cum omnibus sibi pertinentibus sitas qui vocatur qui vocatur *in axiliate*. Hec omnia abendum tenendum pusidendum laborandum restaurandum defensandum & in omnibus meliorandum sicut supra legitur. Ita sane ut inferamus singulis quibusque anni omni marcio mense infra indictione pro omnibus que supra legitur in argentum dinari Venecie solidos quinquaginta pensionem ut dictum est persolvatur. Pro eo quia ego supradicto *Ingizoni* cum consensum *Prengarda* que vocatur *Ita* iugale mea dedimus & contradedimus et recimus in supradicto monasterio . . . idest mansum unum posito in loco qui dicitur *b territorio Ariminensi plebe sancti Laurencii* qui vocatur *in monte* & manso uno in loco qui dicitur *in besano* cum quartam partem de case a se pertinentibus quam ipso manso de *Iohannes de monzango* ad iura & octavam partem *de campavoli* & octavam partem de omnes pertinencias quantascumque abuit & detinuit & pertinuit quondam *Martinus* qui vocabatur *Petrus de ralotto* in fundo qui vocatur *cento* & in fundo qui vocatur *curbulo* & *guiliano in buriano* coerentem sitas in *plebe sancti Cassiani* qui vocatur *in decimo* & fundum unum in integrum qui vocatur *meditula plebe sancti Iohannis* qui vocatur *aliba* & medietatem de omnes res illas quantascumque abeo & detineo & mihi pertinet in loco qui vocatur *Pomposiano* & in fundum qui vocatur *benazo* & *marini* & *silba zanni* & *baniodati* coerentem se quam ipsam medietatem debeatis da *capello* misisti iuri *monasterii sancti Petri* qui vocatur *in vincula territorio Ficoclensi plebe sancti Andree* qui vocatur *bilo maculata* quod sunt ec omnia insimul mansos decem abentem de unumquemque mansos

ſos tornaturias quadraginta & ſi minus fuerit adimplere debeamus ... de vico noſtro qui vocatur *ſorore* & inſuper librum pro calciarium denariorum Veneticorum libras ſexaginta & numquam licead tibi ſupradicto Abbate tuis ſucceſſoribus ipſas res que ſupra legitur & minuere mihi ſupradicto *Ingizoni* omnibus diebus vite mee tantum per nullum ingenium de quod umanum ſenſum otignere potuero ſet immo homni tempore ſecurum & quietas exinde maneas in omnibus ſicut ſupra legitur. Quod ſi quod abſit & avertat divina potencia ec omnia que ſupra legitur non obſervavero & adimplevero & contra ec ire vel agere aut contendere voluero tunc daturo me eſſe promitto ego ſupradicto *Ingizoni* tibi ſupradicto Abbati tuiſque ſucceſſoribus ante omnes ſolidis * inicium aut interpellacionem pene nomine auri libras duas & maneat pacti in ſua firmitate. *Petrus* in Dei nomine *tabellio Ravennas* ſcribendum rogavi ſub die menſeque & indictione ſupradicta nona *Ravenne*.

✠ *Ingizo* in oc pacto ut ſupra legitur a me facta ss. & ſcribere rogavi.

✠ Ego *Leo Romani* in hac peticione ut ſupra legitur rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ Ego *Petrus tabellio Ravennas* ſcripſit hac paginam peticionis complevi abſolvi.

C I I I.

Uſusfructus manſionis cuiuſdam datus a Guidone Abbate Pompoſiae anno 1042. *die* 27. *aprilis*.

Ex tabulario Pompoſiano.

In nomine Domini temporibus domini *Benedicti Pape* ſede decimo die vigeſimo ſeptimo menſis aprilis indictione decima *Ravenne*. Petimus a te domnus *Guido* gracia Dei *Abbas regule monaſterii ſancte Marie* que vocatur *in Pompoſia* per conſenſum eiuſdem monaſterii uti mihi *Anna* relicta quondam *Dominici* qui vocabatur *Scaramalo* omnibus diebus vite mee conceſſiſti & largiſti mihi ideſt una manſione ſede plana in integrum cum acceſſo ripa fluminis *Padorene* cum ingreſſo & egreſſo ſuo & cum omnibus ſibi pertinentibus que eſt poſita foris *porta* que vocatur *guercini* inter affines eius a primo latere via publica a ſupradicto fluvio *Padorene* a ſecundo poſſidet *Iohannes* filius quondam *Theofilus* & ab aliis duobus lateribus poſſidet domnus *Tedebaldi* nobiliſſimo viro vel omnibus ut ſupra legitur eas abendum tenendum ſuperſedendum per me aut per meum miſſo defenſandum & in omnibus meliorandum omnibus diebus vite mee & poſt autem meam vita ipſa manſione cum ipſa terra a te ſupradicto Abbate tuiſque ſucceſſoribus revertas. Ita ſane ut inferere debeo ego ſupradicto *Anna* tibi ſupradicto Abbati tuiſque ſucceſſo-

(*) *Hoc eſt*: litis.

ceſſoribus omni marci menſe denari octo tantum denarii Venecie penſio ut dictum eſt perſolvatur. Pro eo quia exinde accepiſti in manu tua ſupradictus domnus Abbas de manu mea ſupradicta *Anna* ideſt libro uno pro in argentum denariorum Veneticorum ſolidos viginti & pro unoquoque ſolido ana denarii duodecim. Quod ſi quod abſit & avertas divina potencia ec omnia que ſupra legitur non obſervavo ego ſupradicta *Anna* tibi ſupradicto domno Abbati tuiſque ſubceſſoribus ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri uncias una & poſt pene ſolucionem manentes ac pagina peticionis in ſua firmitate. Quam vero paginam *Petrus* in Dei nomine *tabellio* ſcribendum rogavit eam tibi contradidit ſub die & menſe indictione ſupradicta decima *Ravenne*.

Signum ✠ manus mea ſupradicta *Anna* relicta quondam *Dominici Scaramalo* at omnia ſupradicta cui relectum eſt.

C I V.

Commutatio terrarum facta inter Ubaldum Cremonenſem Epiſcopum cum ſuo clero, & Giroldum ac Bernardum fratres anno 1042. *die* 8. *iunii*.

Ex tabulario Pompoſiano.

Anni ab incarnatione domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadrageſimo ſecundo octavo die menſis iunii indictione nona *canonico ſancte Marie Cremonenſis ecleſie* que canonica ipſa cum omnia ſua pertinencia pertinere videtur de ſub regimine & poteſtate de *epiſcopio ſancte Marie Cremonenſis eccleſie* ubi nunc domnus *Hubaldus* venerabilis *Epiſcopus* preordinatus eſſe videtur & *Gandulfus archipresbiter* ſeu *Ardincus archidiaconus* cunctis & ordinatis in prefata canonica nox (*) in Dei nomine *Giroldus* & *Bernardus* germanis filii quondam *Petri* de predicta civitate offertores & donatores in eadem canonica ſſ PP diximus quiſquis in ſanctis ac in venerabilibus locis ex ſuis aliquit contulerit rebus actoris vocem in hoc ſeculo centuplum accipiet & inſuper quod melius eſt vitam poſſidebit eternam. Ideoque nos qui ſupra *Giroldus* & *Bernardus* germanis donamus & offerimus a preſenti die in eadem canonica ideſt pecia una de terra aratoria iuris noſtri quam abere viſi ſumus in loco & fundo *vilaſco* & per menſuram iuſtam iurgias duas coeret ei a mane terra *Ariberti* & *Laurenti* a meridie *reſervamus* a ſera via a montibus *ſancti Laurenti* ſi ibique alie ſunt coerentes que autem ſupradicta pecia de terra iuris noſtri ſupra nominata una cum acceſſione & ingreſſo ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis quales ſupra legitur in integrum ab ac die in eadem canonica donamus & offrimus eo ordine & per preſentem cartam offerſionis in eadem canonica relinquimus manifeſte pro-

(*) *Hoc eſt*: nos.

profitemur nos qui ſupra *Bernardus* & *Giroldus* germanis eo quod petivimus ad vox * domnus *Ubaldus Epiſcopus* & *Gandulfus archipreſbitero* ſeu *Ardingus archidiaconus* ut vos nobis & ad noſtris filiis filiabus vel abeaticis noſtris legittimis aut illi cui nos dederimus uſque in quartam generacionem concedere dignaretis precarie & enthintheuxin ** nomine pecia una de terra aratoria iuris canonice iam dicte que iacet foris predicta civitate prope fluvio qui dicitur *Tipia* & eſt per menſuram iuſta iurgias quatuor a mane & meridie terra de epiſcopio a ſera currit ipſa *Tipia* a montibus detinet caria ſi ibique alie ſunt coerentes . Cum ipſis *Bernardus* & *Giroldus* germanis ad hec recordati ſunt ipſis domnus *Ubaldus Epiſcopus* & *Gandulfus archipresbiter* ſeu *Ardincus archidiaconus* ſic eſt veritas ſicut ipſis germanis adſeverant tunc per ferula quod ſuorum tenebat manibus de ſupraſcriptes pecies de terra tam de illa quam ibi *Giroldus* & *Bernardus* germanis offerſit quamque de illas quam inde petivimus inveſtivi & tradidit in precarie & enthintheuxin nomine tali ordine ut abeant & teneant ipſis germanis & ſuis filiis filiabus vel abeaticis ſeu filiorum eius legitimis aut cui ipſi dederint uſque ad completam quartam generacionem tantum uſufructuario nomine & faciant de frugibus vel cenſum quod dominus annue dederit de iſtes pecies de terra quicquit eis fuerit oportunum ſine eidem domni *Hubaldi Epiſcopi* & *Candulfi archipresbiteri* ſeu *Ardingi archidiaconi* ſuique ſucceſſores vel pars canonice contradicione . Ita tamen ut ſemper ipſes pecies de terra per eis melioretur & non peioretur & perſolvere exinde debeant ipſis germanis & ſuis filiis filiabus vel abeaticis ſeu filiorum eius legitimis per omni feſtivitate ſancti Martini aut infra tres dies poſtea anualiter uſque ad completam quartam generacionem ficto cenſum argentum denarios bonos ſex dati ipſi denari infra ſupradicta civitate eidem domni *Hubaldi Epiſcopi* ſuique ſucceſſores vel ſuo miſo per ſe ipſis *Giroldus* & *Bernardus* & ſuis filiis filiabus vel heredibus eorum aut ſuorum miſſo de quibus & pena inter ſe poſuerunt ſic oblicaverunt ut quis ex ipſis aut ſucceſſores vel heredes eorum ſe hac carta precaria removere quiete & pacifice habere non permanſerint in ea omnia qualiter ſupra legitur tunc compret illa pars que non conſervaverint a parte fidem ſervanti predictes pecies de terra que ſupra legitur in duplum in conſimilibus locis & inſuper pena argentum denarios bonos libras quinquaginta & poſt completam quartam generacionem maneant iam nominates pecies de terra ſicut ſupra legitur in iure & poteſtate predicte canonice & faciat inde in antea pars ipſis canonice quicquit voluerit iure proprietario nomine unde due carte precarie & henthinteuxin nomine uno tenore ſcripte ſunt. Actum infra domo ipſius civitatis feliciter . Ego *Ubaldus* Dei gratia *Epiſcopus* in hac precaria a me facta ſubſcripſi . Ego *Gandulfus archipresbiter*

(*) *Hoc eſt:* vos. (**) *Hoc eſt*: enphyteuſin.

ter in hac precaria a me facta subscripsi. Ego *Ardincus archidiaconus* a me facta * subscripsi. *Amizo iudex* rogatus testes ss̃i. *Gauselmus notarius* rogatus testes ss̃i. Signum manibus *Vazoni* & *Inverardi* atque *Pauloni* rogati testes. Ego *Lampertus notarius sacri palaci* scripsi post tradita complevi & dedi. *Ufredus iudex* autenticum unum vidi & legi sic in eo continebatur sicut legitur in isto exsta ** litera plus vel minus. *Gisulfus iudex* autenticum unum exempli vidi & legi & sic inibi continebatur sicut in isto legitur exemplo ni litera plus vel minus sit. *Iohannes iudex* autenticum uius exempli vidi & legi & sic inibi continebatur sicut in isto legitur exemplo & manu mea ss̃i.

☧ *Iudex* huius ego cernens autentica *Guido*. Exempli legi mox sic in eoque relegi.

Continet ut presens minus aut plus grammata preter.

✠ *Ungarus iudex* autenticum huius exempli vidi & legi & sic in eo continebatur sicut in isto legitur exemplo preter litera plus minusve sit.

✠ Ego *Albertus notarius* & *iudex* autenticum huius exempli vidi & legi & sic in ibi continebatur sicut in isto legitur exemplo extra literas plus vel minus & hoc exemplum scripsi.

C V.

Libellus emphyteuticus factus a Guidone Abbate Pomposiae anno 1044. *die* 2. *novembris*.

Ex tabulario Pomposiano.

In nomine Domini temporibus domini *gregorii Pape* sede primo die secundo mensis novembris indictione quartadecima *Ravenne*. Peto ad vobis in Dei nomine domnus *guido* gracia Dei *presbiter* & *monachus* atque *Abbas regule* venerabilis *monasterii sancte Marie* que vocatur in *Pomposia* una cum consensu deserviencium eiusdem monasterii. Ego quidem in Dei nomine *Iohannes dux* filius quondam *Adalberti duci* petitore pro me & pro *giseltrude* nobilis femina iugale mea atque filiis & nepotibus nostris per enfiteuticario ius a presenti die concedistis & largistis nobis rem iuris supradicto monasterio vestro idest unum spacium terre in integrum cum putheo in integrum infra se abente quod est da pertinencia quas detinet *Iohannes* nepos *de Iohannis presbitero* qui vocatur *de Cristina* & filii *Milonis* usque ad pertinencia quas detinet heredes quondam *Pasquali Eleutheri* cum ortore suo in integrum retro se posito excepto cubiculum quod detinet *guido Prolatus* iure predicto monasterio vestro & excepto orto quod detinuit *Iohannes presbitero* iure predicti monasterii cum ingresso suo pedes sex & cum ingresso & regresso suo & cum omnibus ad supradictum spacium terre & ortore in integrum pertinentibus sitas in

(*) *Sic*. *Hoc est*: ex cepta.

in ac civitate *Ravenne* in regione *portas sancti Laurentii* inter adfines eius de predicto spacium terre & as terras in integrum pertinentibus hoc est ab uno latere androna que pergit *ad sancti Pollionis* & ab alio latere possidet *Iohannes* nepos *Iohannis presbitero* qui vocatur *de Cristina* & filii *Milonis* & uxor que fuit de quondam *Mainfradi* & heredes quondam *Andree* qui vocabatur *Zarauco* & heredes quondam *Leo Bursa* & *Leo Betone* seo a tercio latere possident heredes quondam *Gerardi* qui vocabatur *de Leoni de liuto* atque a quarto latere possident heredes quondam predicto *Pasquali Eleutherius*, vel omnibus ut supra legitur. Dum nos superius nominati petitoris atque filiis & nepotibus nostris divina gracia in ac luce iusserit permanere vitam concedistis & largistis nobis supradictas res que supra legitur abendas tenendas defensandas & in omnibus meliorandas tu supradicto Abbas una cum tuis successoribus ad nobis eius petitoris nostrisque filiis & nepotibus sicut supra legitur ab omni persona hominum in omnibus exinde vobis cumstare & auctoriare sed defensare debeatis & ex vestris propriis expensis seo laboribus nihil aliquid nisi inferius & affixa pensione reportantes protestantes quoque nos superius nominati petitoris atque filiis & nepotibus nostris indefinenter secundum paginam peticionis nostre pensionem nomine singulis quibusque anni sup pensione anteriori annualiter infra indictionem persolvamus que supra legitur idest in argentum denarii quatuor tantum Venecie pensione ut dictum est persolvatur. Pro eo quia exinde accepistis de manibus meis supradicti petitoris pro me & pro dicta iugale mea in manibus tuis supradicto Abbas in presenciam testium qui hic subter subscripturi sunt calciarii nomine idest librum unum denariorum Venecie libras viginti ita & post transitum nostrum quorum supra nominati petitoris atque filiis & nepotibus nostris sicut supra legitur. Quod si quod absit & avertat divina potencia ec omnia que supra legitur non observaverimus vel adimpleverimus & contra hec ire vel agere aut contendere voluerimus per quemlibet modum vel titulum & atestacionem confirmamus quia daturi nos esse promittimus nos supradicti iugalium petitoris nostrisque filiis & nepotibus tibi supradicto Abbati tuisque subcessoribus sicut supra legitur ante omnes litis inicium aut interpellacionem pene nomine auri huncias duas & post pene solucionis maneat hec peticio in sua firmitate quam vero paginam *Dominicus* in Dei nomine *tabellio Ravennas* scribendi rogavi & subter manus meas propria firmavi in eorum presencia quorum contradidi sub die & mense & indictione supradicta quartadecima *Ravenne*.

✠ *Iohannes dux* filius quondam *Alberti* in hac peticione a me facta subscripsi.

C V I.

Diploma Henrici III. Germaniae Regis monasterio Pomposiano concessum anno 1045. *die* 16. *septembris*.


Ex Muratorio antichità Estensi *parte prima cap. xij.*

In nomine sancte, & individue Trinitatis. *Tertius Heinricus* divina favente clementia *Rex*. Si circa sanctorum loca beneficia condigna impendimus, hoc nostram imperialem clementiam concedere aestimamus, insuper etiam & aeterna praemia nos adipisci inde speramus. Quapropter omnium christianorum quam fidelium universitatem scire volumus, qualiter nos per interventum nostrae dilectae coniugis *Agnetis* & *Herimanni Coloniensis Archiepiscopi* nostri scilicet *archicancellarii*, & *Hunfredi* dilecti *cancellarii*, ceterorumque familiarium nostrorum *abbaciam sancte Marie in Pomposia* de antecessore nostro *Imperatore Ottone a Frederico Ravennatis ecclesie Archiepiscopo* iuxta utriusque placitum ad imperialem subiectionem concambiatam, ac postea ab *Heinrico* divae memoriae *Imperatore* augusto nostro scilicet altero antecessore corroboratam & ab *Ugone marchione* magnifice ditatam & in nos successione imperii & legali iure hereditatam, ad nostre dominationis manus recepimus. Eamdemque cum omnibus pertinentiis suis & cum lateribus desuper in tota insula, primo latere *Pado* percurrente in mare secundo latere litus maris, tertio latere *Gauro*; insuper *Piscaria*, quae vocatur *Volana*, a rivo *Paderino* usque ad mare, & locus qui dicitur *lacu sancto*, cum omnibus sibi pertinentibus, quantumcumque in apostolicae sedis praecepto releguntur vel infra totum *comitatum Comacliensem*, & *Ferrariensem*, & *Gavellensem* & in civitate *Ravenna* & in *comitatu Cornelliense*, & *Faventino* & *Liviense*, & *Pupiliense*, & *Cessenate*, & *Ariminense*, & *Fanense*, & infra totum *comitatum Orbinatem*, & *Castellanum*, & *Perusinum*, cum areis, aedificiis, castris, capellis, silvis, pratis, pascuis, salectis, olivetis, vineis, montibus, planiciebus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, salinis & cum omni utilitate, quae vel nominari, vel scribi possit, & quicquid sibi iunior *Ugo marchio* filius *Uberti* dedit, & quantacumque habet, vel acquirere potest infra *Padum* & *Attesin* fluvium, vel infra *Padum*, & *Sandalum* ab omni subiectione archiepiscoporum excutimus, ut regalis sit, nulli dominantium personae subiecta. Sint monachi eius ab omni secularis servicii infestacione securi. Qui de suis, qualem voluerint, abbatem eligant, ab Episcopo Comacliensi consecrandum, qui si sibi pro pecunia vel aliqua humana potestate molestus esse voluerit, veniat ad Archiepiscopum Ravennatem, ab eo benedicendus. Et si hoc in isto, quod in priore, invenerit, ad qualemcumque Episcopum desiderat, causa consecrationis properet. Si quis autem hoc praeceptum fregerit, componat ducentas libras auri cocti, medie-

tatem

tatem camerae noſtrae, & medietatem praelibato monaſterio. Quod ut verius credatur, hanc regalem paginam manu propria roboratam ſigillari iuſſimus.

Signum domini *Henrici tercii*.



Regis invictiſſimi. R.

Hunfredus cancellarius vice *Herimanni archicancellarii* recognovi.

Locus ſigilli cerei deperditi.

Datum XVI. kal. octub. anno incarnationis Domini mill. XLV. indictione XIIII. anno vero domini *Heinrici tercii* regnantis ſeptimo. Actum *potfelt* feliciter amen.

C V I I.

Acta sancti Guidonis Abbatis Pomposiani.

Ex Bollando act. sanctor. martii die 31.

CAPUT I.

Vita s. Guidonis saecularis, eremitica, monastica.

GLoriosam *s. Guidonis* descripturi vitam, primo patris, ac matris, patriaeque eius inseramus notitiam: deinde opitulante illo, ad cuius laudem hoc agimus, virtutum eius propalemus insignia stilo quo possumus. Fuit enim huic venerabili viro pater *Albertus* nomine, mater *Merocia* (*a*), patria vero eius urbs *Ravenna*: sed natus est *in Casamarensi* suburbana praefatae civitatis villa, quam a primaeva aetate semper animo vitabat, & mundanarum rerum studio *Ravenne* vacabat, quod praesago sine spiritu agi non dubitamus, dum huius nominis etymologiam consideramus. Hoc namque significabat tunc in persona puerili, quod postea peregit in aetate iuvenili. Casam-maris enim, idest huius procellosi, ac inquieti mundi habitationem animo, & corpore respuit, & caelesti philosophiae, quae Christus est, se totum contulit. Deinde factus adolescens mundano ingenio, ac secularis pompae diverso ornatu pollens, dum mundus eum vellet suae cupiditatis amore per diversa flagitia rapere, & avido gutture in suae malignitatis ventrem immergere; omnipotentis Dei virtus, per dona Spiritus sancti menti eius misericorditer influxit, & a tanto eum praecipitio potenter eduxit.

Prope Ravennam natus & educatus.

2. Igne igitur Spiritus sancti accensus superno desiderio repletus, coepit terrenis negotiis renuntiare, terrena desideria calcare, quicquid carni blanditur horrere, caelesti vitae dulcedini haerere. Secularem habitum miro ardore mutare cupiebat: sed sciens parentum suorum consensum ad hoc nullo modo inclinari posse, hoc apud se absconsum tenebat. Dum itaque parentes vellent ei providere de coniugali thalamo, & ipse anxius cuperet suum explere desiderium, huiusmodi aenigma composuit, & patri retulit. Duas, inquit, mihi, pater, sponsas exquisivi, quarum una est potens & nobilissima, altera pulchrior, at multum ab ea genere, & facultate inferior, me nimis diligit, & suis me complexibus iam constringit, totusque labor in eius amorem, nisi tua consilia iudicent, utiliorem: illa vero nobilior ac potentissima est mihi difficilis ac nimis

Mundana cupit deserere.

In aenigmate exponit patri suum desiderium.

(*a*) Surio Martia dicitur. *Bolland.*

mis ardua, & nequit acquiri ſine gravis faſtidii anguſtia. Quam ego vis, pater, ut eligam? Tunc congaudens ei pater, inquit: age nunc, fili cariſſime, nulla pericula vel faſtidia ſegnem reddant, nulli amores te enervent, vel degenerem prodant, nulla dolorum vel dotum magnitudo te ab illo nobiliſſimo ac potenti thalamo reflectat. Erige animum, ſuſcita ingenium, ſume virtutem, operare ſalutem, collige ſenſus, proprium corrobora pectus, ut tam praeclari connubii thorum attingas, & fortunatus glorioſuſque exſiſtas. Turpe eſt enim ut pro parvi temporis exercitio tantae potentiae careas commodo, & tam generoſi complexus priveris gaudio.

3. His & huiuſmodi verbis pater filium monebat, quia carnale coniugium illum affectare credebat. Sed o adoranda virtus Chriſti! o admiranda immutatio dexterae excelſi! quae cum ſemper, & in cunctis mirabilis habeatur, noſtris tamen temporibus in iſto praecipue veneranda praedicatur. Quamquam enim ob virginitatis ſingulare aliarumque virtutum privilegium, non aequiparemus eum beato Evangeliſtae Iohanni (*a*), quem de nuptiis vocatum legimus; tamen hunc tam venerabilem, miraeque ſanctitatis virum alterum Iohannem, ſi fas eſt dici, appellare quodammodo poſſumus. Miro namque modo verba patris animo figens, eiuſque hortatu vires in pectore ſumens, tanto nimirum devotius, quanto & divinius coepit illam degenerem, ut fatebatur, ſponſam, cuius complexibus iam ſtringebatur, verbis factiſque exſecrando reſpuere, & ad praeclaras illius generoſae, ac potentiſſimae nuptias ardentiſſimo affectu anhelando tendere: ideſt mundi gloriam, & voluptatem, quam degenerem, ac miſeram, caducam, & invalidam nemo vero ſciens ambigit, toto mentis conatu relinquere; & ſe caeleſti ſapientiae, & diſciplinae, atque exercitio religionis divinae ferventi ſtudio omnifariam coniugere: tantoque aeſtuabat ardore pro caeleſtis cultus religione, ut nihil ſibi extra eam placeret, nihil in hoc mundo praeter ipſam ambiret, & ſecundum genitoris ſui hortamenta, cuncta dura mollia, cuncta aſpera levia, cuncta adverſa videbantur ſibi proſpera; & reciproca ratione cuncta proſpera adverſa, cuncta levia aſpera, cuncta mollia dura. In tali igitur deſiderio, & caeleſti docebatur magiſterio: accepta enim, ut ſupra diximus, patris iuſſione ſub obtentu carnalis coniugii, non ſurda aure auſcultat vocem iubentis Domini: *qui non renuntiat omnibus, quae poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus* (*b*). Sed eſto modo. Quid ſerve Dei agis? Quid alumne Spiritus ſancti meditaris? quas cogitationes mente revolvis? dic, quaeſo, dic, ubi ſacri pectoris tui conſilia recondes? quo te convertes? quo conſcendes? ubi requieſces?

Anhelat ad caeleſtia.

(*a*) Innuit s. Iohannem Evangeliſtam relicta ſponſa ad Chriſtum acceſſiſſe. Eum multorum fuiſſe ſenſum oſtendimus 8. ianuarii ad vitam s. Patientis Epiſcopi Metenſis pag. 470. *Bolland.*

(*b*) Luc. 14.

ſces? Super altitudinem, inquit, de qua mihi per prophetam dicitur: *Suſtollam te in ſuperbiam ſanctorum* (*a*); quatenus ſuperba cuncta, quibus Deus reſiſtit, ac terrena ſic conculcando deſpiciam, & humilia, quae ipſe exaltat, ae caeleſtia enixe appetam, ut cibari merear hereditate electi Iacob, & dilecti pueri Iſrael, & videre in ſupera Sion caelorum Dominum nobiſcum Emmanuel, ut paſci in montibus, atque aedibus Ieruſalem, & potari merear in rivis ac fontibus Iſrael. Quid multa? Haec tam ſancta ſui cordis deſideria diu imperfecta eſſe non patitur, ſed comitante Spiritus ſancti gratia ita adoritur.

4. Quadam igitur nocte, quae celeberrima Ravennae Chriſti martyris Apollinaris (*b*) ſolennitate habetur, *s. Guido* exutus pretioſis ac pauperibus erogatis veſtibus, ſordidis quoque ac viliſſimis indutus teguminibus, clam parentibus *Ravenna* exiit, & mundi dominam caputque orbis *Romam* abiit. Ubi accepto clericatus honore, animum induxit properare *Hieroſolymam*, ea intentione ut nunquam remearet ad propria. Haec eo cogitante, revelatione divina eſt commonitus, ut *Ravennam* urbem repeteret, ſeque imperio *Martini eremitae* ſubiugaret. Hic autem vir *Martinus* tam ſanctae fuit religionis, & abſtinentiae, ut magnae venerationi haberetur pene omni Italiae. Ad quem, ſecundum quod monitus erat, dum perveniſſet, ſuumque ei deſiderium pateſeciſſet, ſuſcepit eum ſanctus vir cum nimio affectu, & poſt exhortationum dulcia verba dixit ei alacri, ut ſemper erat, vultu: Vis, fili cariſſime, habitum ſuſcipere monachicum? Cui ille, hoc, inquit, pater ſancte, meum ſemper fuit deſiderium. Coepit autem eumdem venerabilem virum obnixe deprecari, ut feſtinaret illum abſque mora monachare; timebat enim, ne a parentibus exquiſitus reperiretur, & illecebris mundi iterum ſervire cogeretur. Cuius petitionibus vir ſanctus non acquievit, ſed inducias uſque mane dedit.

Romam clam fugit. Fit clericus.

Redit ad Martinum eremitam.

5. Acceptis autem induciis in craſtinum, quid ageret vas egregium? numquid poterat manere otioſum, & non potius operari aliquid divinum, & prodigioſum? Eia ſancte Spiritus, magiſter mirifice, artifex efficaciſſime, oſtende opus tuum mirabile, artem tuam ineffabilem, magiſterium tuum venerabile: virtutem tuam excita, miracula tua clarifica, theſaurum tuum palifica. Quid putas? Cucullatus a ſe ipſo beatiſſimus *Guido* praeſentatur mane venerabili *Martino*: a quo interrogatus, cur hoc feciſſet, reſpondit, ſui pectoris ardorem ſe nullo modo ferre potuiſſe. In quo fervore aſſiduus perſtitit, & eidem venerabili viro, quoad vixit, totum ſe in omnibus ſubdidit, tribus quoque annis eremitice cum eo vixit in quadam inſula, quam *Padus* dividit *a Pomposia*. *Pomposianum* autem *monasterium* adhuc pauperrimum ſub ipſius *Martini* cura tunc temporis erat, cui tamen dominus *Guilielmus* regulariter praeſidebat:

Veſtem monaſticam induit.

Cum illo triennio manet.

(*a*) *Iſaiae* 60. v. 15. (*b*) Colitur s. Apollinaris 23. iulii. *Bolland.*

bat: in quo quanto aderat inopia terreni ſumptus, tanto abundabat copia divini cultus. Ad quem locum vir domini *Martinus* beatiſſimum direxit *Guidonem*, ut bene diſceret regularis tramitis inſtitutionem, & monaſticae religionis perfectionem. Hanc vero quam plene ac perfecte didicerit, quiſquis idem coenobium, cui poſtea praefuit, vult inviſere, ſcire poterit. Monachi vero eiuſdem coenobii ſimplicem eum, ac ſquallida amictum veſte deridebant, futurum tamen ſibi Abbatem praedivinabant. Quem reverendiſſimus vir *Guilielmus* per omnia officia monaſterii per ſeries temporum conſtituit; inde vero eum *in monaſterio s. Severi* praepoſitum ordinavit, & in omnibus regulariter egit.

Pompoſiae degit.

Ordinatur praepoſitus s. Severi.

CAPUT II.

Vita s. Guidonis Abbatis creati. Miracula.

6. In illo tempore dominus *Guilielmus* in eremum ſeceſſit, & alium Abbatem *Pompoſiae* ordinavit nomine *Iohannem* cognomento *Angelum*, ſimplicem, rectum, & abſtinentia mirificum. Eo itaque defuncto, & in pace perpetua locato, atque ſicut nominis, ita beatitudinis Angelorum collega effecto, quamvis multum renitens, & ſe indignum proclamans, glorioſus vir domini *Guido* ordinatus eſt *Pompoſiae Abbas*, praecipiente domino *Martino*, cui iamdudum propoſuerat obedire, & in cunctis iuſſionibus parere. Nullo tamen modo colla ſuppoſuit, donec ab ipſo licentiam abbatiam quandoque dimittendi habuit. Poſt haec autem pater eius, cuius ſupra meminimus, & frater eius *gerardus* nomine, eius imitantes veſtigia, ſaeculum reliquerunt, & ſub eo regulariter multum ſtrenue converſantes, Ieſu Chriſto animas reddiderunt. Eo igitur praeſidente, & idem monaſterium nobiliter regente, aucta regula, numeroque monachorum, coepit novum, quod permanet, aedificare monaſterium; in quo per eum, & ſub eo quae patrata ſunt, & patrantur miracula, noſtri ſtyli enarrare non ſufficit copia; ſed adminiculante illo, qui *ora mutorum aperta, & labia infantium facit diſerta* (a), verbis ſimplicibus, ut poſſumus, ex multis pauca propalabimus.

Fit Abbas Pompoſiae.

Patrem, & fratrem ſub ſe accepit monachos.

Novum monaſterium condit.

7. Dum igitur coepto operi inſtaret, fratribus aliquando ſupra murum laborantibus crates ſupra modum gravatae petrarum aggeribus, invidia etiam diaboli, abſente patre *Guidone*, ruerunt. Ex fratribus autem quidam cadentes nihil mali ſenſerunt, quidam vero praefixis lignis manibus innitentes penduli in periculo remanſerunt: quo cognito venerabilis pater cito affuit, & ſua illos prece illaeſos depoſuit. Alia vice ſupra eumdem murum impoſitum erat vas ligneum vino plenum ad opus laborantium, quod caſu ad terram prolapſam, nec vinum eſt effuſum, nec vas confractum.

A lapſu illaeſos monachos,

Et vas cum vino ſervat.

8. Cum

(a) *Sapient. cap.* 10.

8. Cum eidem quoque insisterent operi, coeperunt gravi victus inopia opprimi: sanctissimo vero patre omnipotentem Deum in hoc obnoxie * exorante, & ab eo auxilium, & copiam promittente, quadam die dum nihil eis victus in crastinum remansisset, coeperunt omnes contra eum murmurare, nimisque ei molesti esse. Quos ille patienter ferens tolerabat, & qualiter, vel quomodo necessaria emeret, cogitabat. *Ravennam* itaque ad emendum idem ipse dum concitus properat, duas naves non longe a monasterio plenas vino, ac frumento ei obviam Christus praeparat: quibus vir Domini inventis, summae Trinitati gratias agens laetus rediit, & cum benedictione illius, qui *ex quinque panibus quinque millia hominum satiavit* (*a*), eos diu, sufficienterque reficiens, ne ulterius diffiderent, admonuit. Quis tanti viri non miretur bonitatem? quis non eius veneretur sanctitatem? Vere enim dominus Iesus memor suae verissimae promissionis, qua ait: *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*b*), fidem illius coram diffidentibus aperte remuneravit, & famelicos opportune satiavit.

In magna necessitate annonam divinitus accipit.

9. Quodam tempore quidam idiota frater, nomine *Martinus*, defunctus est apud quamdam ecclesiam infra ipsius insulae silvam constitutam, quae a praefato coenobio plus minus octo milliaribus distat. Adductus autem ad monasterium post peracta, ut moris est, defuncti obsequia, post missarum completa solemnia, defunctus revixit, & voce continua sanctum patrem adesse deposcit; qui adveniens diligenter exquirit, humiliterque, ac trepide rogat, ut enarret, quae vidit. Qui dixit: loca tormentorum terribilia vidi, & multos ibi meos propinquos, & notos cognovi; cumque ea tremens inspicerem, apparuit mihi quidam pulcherrimus vir stola candida indutus, & mirabiliter tiaratus, in una manu virgam, in altera quasi favum mellis gestans, quem mihi porrexit, atque comedere iussit: quem ego territus dum renui, iterum iubet, ut comedam, admonetque, ne timeam. Cui ego: quis es Domine? scias, inquit, me esse Michaelem Archangelum, atque ad tuum modo directum solatium. Quod audiens mox pavorem mutavi in securitatem, totamque illius favi comedi dulcedinem, ac suavitatem, quam cum comedissem, iussit me ad corpus redire, triduoque in eo tantum manere. Post triduum ergo quo supervixit, se illius favi saporem in ore habere dixit: post triduum vero, accepta patris sanctissimi benedictione, iterum obdormivit in pace.

Morte resuscitatus monachus narrat visa in altera vita.

Post triduum iterum moritur.

10. Per idem tempus alter frater nomine *Bertholdus* cum propinquus morti magnam in exeundo ex corpore moram faceret, & angustia suae conscientiae torqueretur, benignitate Dei, & beatissimi patris *Guidonis* oratione ad se reversus, & a fratribus, quid in tanto agone vidisset, interrogatus respondit: Vidi daemones adversum me saevientes, & unius delicti mihi caussam opponentes. Et

Item alius narrat in agone mortis visa.

(*) *Hoc est*: enixe. (*a*) *Matth*.14. 21. (*b*) *Marc*.6. 23.

Et fratres inquirunt quam? Tunc ille: unam solummodo, inquit, incantationem in saeculo didiceram, quam non operatus sum, & iam etiam memoria exciderat, hanc solam mihi terribiliter opposuerunt, sed virtute Christi, atque oratione sanctissimi patris *guidonis*, a vestra superati tristes recesserunt; moxque ut benedictionem accepit, in pace continuo perpetua quievit. Accepta benedictione obiit.

11. Interea dum praefatum monasterium sanctis studiis, & exercitiis praenominati patris succrescens, omnique copia, & divitiarum largitate abundaret, monebat ille sanctissimus subiectos dulcibus verbis, & informabat illos virtutum suarum exemplis, divinisque eos hortabatur praeceptis, dicens cum Psalmographo (*a*), ne divitiis cor apponerent, cum Apostolo (*b*), ne curam carnis in desiderio facerent, & cum Ieremia, ne diem hominis concupiscerent. Ille quippe diem hominis concupiscit, cuius animus ad sola carnis oblectamenta inardescit. Ille diem hominis concupiscere probatur, qui cibi potusque ingluviem assidue sectatur. Ille diem hominis concupiscit, cuius renes, cuiusque cor ad libidinis, ac luxuriae oblectamenta per crapulam, & ebrietatem ignoscit. His itaque, aliisque eius mirabilibus hortamentis se unusquisque submittebat, ut enim iuncti monstrarent, quod admonitionibus piis patris de non apponendo cor divitiis gratanter obtemperarent, cum maxima diversorum piscium copia abundarent, iussu eius, atque communi sponte decreverunt, tribus tantum diebus manducare pisces in hebdomada. Praeterea quadam nocte Palmarum lampas quaedam ab eminenti loco, trabibus scilicet ecclesiae, in pavimentum delapsa, mirabile dictu! nec oleum est effusum, nec ipsa confracta: quod iam ter ibidem est patratum, & ipsum vas adhuc permanet sanum. Suis exhortationibus subditos monachos excitat. Hi solum ter hebdomade piscibus vescuntur. Lampas ter e lapsa integra,

12. Contigit aliquando huic viro venerabili simile quoddam *Iuliani*, & *Basilii* (*c*). *Heribertus* enim *Ravennas Archiepiscopus* (*d*) tam grave contra eum exaggerabat odium, & decretum haberet armatus venire, & *Pomposianum* destruere *coenobium*. Quod ut ad aures viri Dei pervenit, se cum omnibus monachis devotissime, contritoque corde in orationem dedit. Nam a parvo usque ad maximum, exutis solitis stamineis *, induti sunt asperrimis vestibus, & ciliciis, cantantes cum Psalmographo: *Dum mihi molesti essent, induebar cilicio* (*e*). Per tres autem continuos dies, & noctes ita induti, discalceati, hordeaceo pane solummodo, & aqua contenti, acriter quotidie in capitulo sed sponte verberati sunt; nulla sede nec In periculo eversionis monasterii afflictiones corporis assumunt.

(*a*) *Psalm.* 61. 10.

(*b*) *Ad Tit.* 3. 3.

(*c*) Intelligitur Iulianus apostata, qui si victor a Perside redivisset, constituerat, s. Basilium magnum interficere, ut scribit sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iulianum. *Bolland.*

(*d*) Heribertus sedit ab anno 1019. ad 1029. *Bolland.*

(*) Surius, laneis vestibus positis. *Bollan.*

(*e*) *Psalm.* 34. 13.

nec in ecclesia, nec in refectorio, nec alicubi, nisi terra, usi sunt, ut veraciter cum Propheta dicere possent (*a*): *Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster*. Non immemor autem Dominus suae dulcissimae promissionis, qua ait per Prophetam (*b*): *Invoca me in die tribulationis, eripiam te, ut magnifices me*, dum in tali essent constituti tribulatione, tali eos dignatus est consolari visione. Apparens cuidam ex eis beatissima virgo Maria, candidarum virginum circumstipata chorea, blando vultu ne timeat, hortatur, taliterque ei congratulando illum effatur: In coepta intentione permanete, filioli, scientes, vos in praesentiarum exaudiri; Insuper ex hoc certi estote, quia quamdiu hoc triduanum ieiunium sic a vobis celebrabitur, a nullo visibili, & invisibili hoste locus iste superabitur. Evigilans autem, dum loquendi sibi tempus rediit, ea cuncta per ordinem patri *guidoni*, fratribusque retulit: quae vera esse probavit pacis redditae tempus, adhuc vero variarum rerum similis eventus. Sed o antiqua prodigia! o virtutum insignia! o miracula priorum patrum gestis per omnia similia! Oratio *Basilii Iulianum apostatam* perpetualiter interfecit; oratio *guidonis Heribertum* in superbiae cornibus male stantem bene quandoque surrecturum cadere fecit: oratio *Basilii* peremit *Iulianum apostatam*; oratio *guidonis Heribertum* humiliat elatum: ille *a Mercurio* (*c*) peremptus est corpore; iste a Christo consternatus est mente. Illum straverunt arma *Mercurii*; istum humiliarunt arma ieiunii. Illum deitatem blasphemantem materialis gladius perdidit; istum contra virum Dei superbe agentem lacrimarum profusio humilem reddidit. Re etenim vera dum ad monasterium malignitatis animo, ut diximus, venisset, fratresque ei omnes, licet eius malitiae non ignoti, obviam cum timore exissent, & eum honorificentissime, ut mos illorum est, in ecclesiam perduxissent, dum humo oraret prostratus, Spiritus sancti gladio repente mactatur. Elevatus enim ab oratione, perfusus ora lacrimis, corde autem, & vultu affabilis, sui livoris evomuit malitiam, & perpetuam firmavit amicitiam. Qua de re omnes non modicum laetati gratias Deo egerunt.

A Deipara virgine confortantur.

Adversarius instar Iuliani apostatae prostratus.

Pacem firmavit.

Desunt reliqua in ms. codice supplenda ex posteriori vita. Bolland.

CVIII. *Alia*

(*a*) *Psalm*.43. 25.
(*b*) *Psalm*.49. 15.
(*c*) Hic est Mercurius miles ac martyr Caesareae in Cappadocia sub Decio. Colitur 25. novembris. *Bolland*.

CVIII.

Alia vita eiusdem s. Guidonis.

Ex Mabillon. act. sanctor. ord. s. Benedicti tom. VIII. fol. 447. & seqq.

1. BEati *guidonis* viri per omnia egregii vitam scripturi lectorem operis huius monemus, ne inter angustias incomparabilis per omnia viri merita credat comprehensa; sed ex minimis maxima, plurimaque ex paucis coniiciens, semina intelligentiae nos praebuisse legentibus, aedificii magni iecisse fundamina, non perfecisse structuram, virtutumque illius tantum demonstrasse insignia, non virtutes ipsas designasse per singula recognoscat. Sed ut de eo cuncta non scribimus, ita cuncta non novimus; quoniam soli Deo sunt cognita, quo teste solo fecit plurima. Fugax enim iactantiae, virtutum, quas per eum Deus operabatur, occultator erat. Pauca igitur de illius ortu, vel conversatione scribentes, nonnulla vero de conversione eius, & vita, eorum, quae post obitum suum miranda perfecit, *Parmam*, & *Veronam* funeris illius baiulas, *Spiram* quoque tanti thesauri possessione ditissimam testes invocamus; ut si fides his non adhibetur, vel pauca, seu parva ducuntur, quae scribimus, valida videantur, & certa, quae tot, talibusque roborantur ex testibus. Pauca de pluribus scribit auctor.

2. Igitur beatissimus *guido* in suburbanis ortus *Ravennae* ab eadem urbe longe lapide decimo villa *Casamarensi* parentibus admodum religiosis, nec genere quoque infimis genitus est, *Alberto*, & *Marocia*, circa quem veluti primogenitum in tantum parentum cura propensior erat, quantum dilectio potior. Erudiendus itaque liberalibus traditur studiis, in quibus sapientia cum aetate proficiens, a puero dignum in se Deo studuit habitaculum praeparare. Praeveniebat quippe aetatis profectum sapientiae studiis, & sacra infantia virum perfectum iam spirabat in minoribus annis. Adolescens vero non suo appetitui, sed parentum studio cum serviret, saeculo huic, & vestibus pretiosis, & cultui deputatus a parentibus de nuru suscipienda tractatur: quod ab eis dum filio aperitur, his fertur tale dedisse responsum. Duas, inquit, iuvenculas, ex quibus est mihi necessario una suscipienda coniugio, propositas video: quarum altera & genere altior, & specie pulchrior, prudentia quoque instructior, atque omni simul & morum & vitae est honestate praestantior; sed quanto augustior merito, tantum quod ad praesens spectat, angustior est opibus, quae quoque (quod satis durum videtur, & asperum) non viri legibus se subdendam promittit, sed virum, qui in ius transeat uxoris requirit; quodque gravius apparet & arctius, nisi spernat ea, quae possidet, nulli suos promittit amplexus. Altera vero longe inferior est prosapia, & forma, sed Guido Ravennas.

 affluen-

affluentior praesentium copia, quae me renitentem quoque iam suis blanditiis illicit, & inverecundis amplexibus, atque impudicis innectit. Ex his quam potius eligam tuo, pater, committo iudicio. Quid hoc problemate providus iuvenis intelligi voluerit, satis, lector, intelligis, spiritualem videlicet, & saecularem vitam, inter quas certum est esse tantam diversitatem, quanta inter propositas sponsas apparet varietas.

Nuptias fugit.

3. Cumque superiorem illam, & praestantiorem eligere filio pater praecepisset, illico ex iussione patris quod dudum ex evangelico mandato statuerat, distractis vestibus pretiosis, quibus indui solebat, pretioque earum pauperibus dato, pannosus, ac nudus clam nocte *Ravenna* egressus *Romam* rudis peregrinus tendit, ibique clericatu suscepto, *Ierosolymam* pergere animo fervente cogitabat, illic, si Christus, quem quaerebat, annueret, Domino militaturus, dum viveret; satisfecissetque votis, nisi quid aliud de eo Deo utilius providente, ab hac illum intentione per revelationem huiusmodi revocasset. Admonetur itaque in somniis *Ravennam* redire, atque ibi in vicino sub cuiusdam *Martini eremitae* disciplina vivere, ac Domino deservire. Erat autem *Martinus* ille vir summae continentiae, & adeo in moribus vitae probabilis, ut merito cunctis, ad quos eius notitia, vel fama pervenerat, venerabilis haberetur, & sanctus. Habitabat autem in insula, quae, interfluente *Pado*, *Pomposiam* a se divisam *ab aquilone* considerat. Ad hunc ut *Guido* pervenit, quid esset a Deo monitus, quidve suo sedisset animo, aperuit. Suscepit mox illum gratulabundus senex, & an monachus vellet fieri sciscitans, mox illum per omnia cupere, secumque perpetuo velle habitare cognovit; & cum vellet continuo vestem mutare, in crastinum ex consilio *Martini* differtur. Illas inducias tirunculus Christi graviter ferens, morae impatiens, monachicum habitum induit mane, priusquam se *Martini* conspectibus reddidisset. Super quo facto cum *Martinus* illum argueret leniter, cur tale quid facere voluisset, respondit, se non ulterius cordis sui desiderium ferre quivisse. Mansit autem in praedicta insula sub *Martini* imperio per tres annos beatissimus *Guido*, & ab eo, quo coeperat, mentis fervore proficiens de virtute in virtutem continuis successibus ambulabat.

Romam adit.

Martino eremitae se subdit.

4. *Pomposiense* vero *coenobium* satis tunc pauperrimum ad *Martini* curam tempore illo pertinebat, cui providentia Romani Pontificis illud regendum submiserat: sed *Guillelmus Abbas* huic ex *Martini* consilio praesidebat. Ab hoc ergo coenobialis institutionis rudimenta perdiscere cupientem *Guidonem* *Martinus* *Pomposiam* transmisit; quem iam triennio continentioris, & arctioris eremiticae vitae observationibus apud se satis, sufficienterque instruxerat. Quem fratres in coenobio eruditi, & incultu vestitu, ac temporalium penitus neglectu velut rusticum irridentes, futurum sibi Abbatem illudendo

Pomposiam se confert.

ludendo praedicabant. Porro *Guillelmus Abbas* ſtrenuus volens eum in omnibus erudire, providénti conſilio per ſingula quaeque illius coenobii officia eum per vices temporum miniſtrare conſtituit, quatenus poſtmodum confidentius doceret, quod enixius didiciſſet. Sane non poſt multum temporis ipſe *Martinus*, quaſi de omnibus eruditum, quae in coenobiis geruntur, ne talentum ſibi commiſſum occuleret ſub modio, apud *Ravennam coenobio ſancti Severi Guidonem* praepoſuit, in quo regulariter & ipſe vixit, & ſubditos vivere docuit. Sed & *Guillelmus Abbas* ſolitariae vitae amore ſuccenſus per idem tempus eremum petiit, relicto coenobio, vicariumque fratribus, quos relinquebat, *Iohannem* cognomento *Angelum* in Abbatem conſtituit, virum per omnia probatum, & angelica merito nuncupatione condignum. Ipſo quoque migrante ad Dominum, ipſe, cuius vitam, & cauſſam narrandam ſuſcepimus, hominibus, & Deo dilectus *Guido*, obnitens quamvis, & invitus, tamen praecipiente *Martino*, cui *a Guidone* reſiſti, rationis non erat, Abbas efficitur: hac ſane conditione, ut quandoque ſibi liceret dimittere, quod cogebatur admittere. Eodem tempore pater eius imitatus filium, & frater eius *Gerardus* nomine aemulatus germanum, relicto ſaeculo, ad Chriſtum converſi ſub eo in *Pompoſienſi coenobio* religioſe converſati ſunt.

Sancti Severi coenobio praeficitur.

Dein Pompoſiano.

Pater, & frater ei adhaerentes.

5. Creſcente igitur religione monachorum, & numero, vir in divinis rebus per omnia ſtrenuus, quod nunc uſque perdurat, conſtruxit monaſterium, in cuius conſtructione fratribus operantibus aliquando crates lapidum ruderibus graves non ſine diabolico inſtinctu de ſuperioribus muri ruerunt in terram: in quo caſu quidam ex operariis, qui ſupererant, cratibus delapſi ad ima, laeſionis nil ſenſerunt; quidam vero dum corruentes muro, tigniſque aliquibus inhaerent, ſine periculo remanſerunt, ſed venerabilis Abbas ſicut ſuis meritis cadentes a laeſione protexit, ita pendentes oratione illaeſos depoſuit. Alio quoque tempore vas ligneum vino plenum ſuper murum miniſter incaute depoſuit, quod lapſum in terram ne frangeretur vas, vel vinum effunderetur, viri ſancti obtinuit meritum.

Operarios ſervat ab interitu.

6. Item quodam tempore ex fratribus idiota quidam nomine *Martinus* in cellula a coenobio milliariis octo diſtante dum degeret, defunctus eſt, cuius funeri dum debitum fratres exhibuiſſent officium, revixit qui fuerat defunctus, voceque anxia patrem monaſterii clamitavit: ſed ad praeſens non habuit quem quaerebat, quoniam longe a monaſterio erat, in quo Abbas *Guido* manebat. Ducitur ergo ad monaſterium, & ab eo quem vocaverat interrogatus ubi fuerit, quid viderit, quidve audierit; loca, inquit, tormentorum, in quibus multos mihi notos, ac propinquos cognovi; cumque tremens quae videbam attenderem, vir quidam ſtola amictus candidiſſima apparuit, me confortans, coronam in capite ferens

Mira quaedam de moribundis monachis.

ferens auream, virgamque laeva, favum vero mellis dextera portans, quem mihi comedendum obtulit: porrectum iterum iterumque comedere iussit, haesitantem ne timerem admonuit. Sciscitanti vero mihi quis esset, Michaelem Archangelum se esse respondit. Cognito quis foret, quem porrigebat favum accepi, & comedi, & ipso iubente ad corpus, quod reliqueram, ut cernitis, redii. Per tres autem dies, quibus post modicum in corpore vixit, illius favi, quem comederat, dulcedinem in ore persensit: post triduum vero patris *Guidonis* benedictione donatus frater ille in pace quievit.

7. Fuerat autem in eodem monasterio monachus *Bertoldus* nomine, qui cum in extremis vitae huius ageret, morasque in exeundo ex reprehensibili conscientia sustineret, Domini misericordiam patre *Guidone* cum fratribus implorante, in se qui moriebatur reversus est, & quid de se ipso vidisset referens, daemones, inquit, vidi adversum me insanientes, unius delicti caussam, cum nihil in ceteris possent, (praesertim cum Christi bonitas omnia poenitenti, & confitenti dimisisset) opponentes. Sciscitantibus igitur fratribus, quae, qualisve esset culpa facinoris, pro qua se deputatum inferis diceret; incantationem, inquit, quamdam, dum adhuc saeculo vestibus, & moribus deservirem, didiceram, quam tamen nec opere exercui, aliquando vero memoriam verborum eius in aliquo tenui: solum est mihi hoc crimen obiectum. Vestris vero orationibus, quod ad praesens institit, evasi periculum. Sed ne possit ulterius hoc, quod nec scio, vel recolo, delictum opponi, confiteor, me & in hoc quoque peccasse, in quo me peccasse non novi; sicque frater in pace quievit.

8. Vir quidam *Iohannes* nomine *Venetiae* ortus, domum, patriamque relinquens, *Pomposiam* venit: susceptus vero ab Abbate *Guidone*, ac monachus factus, a Deo se probabilem exhibuit vita, & moribus, ut quanta esset doctrina magistri in gestis clareret discipuli. Etenim iste, de quo loquimur, cum litteras omnino nesciret, Deum plusquam se, proximum vero tamquam se ipsum diligens, hoc totum implevit, quod *lex continent & prophetae* (*a*): abnegans denique semetipsum, nihil umquam praeposuit Christo; proximum quoque (si fas est fieri, vel credi possibile) plusquam se convincitur dilexisse, cum nulli umquam intulerit iniuriam, saepius vero illatam pertulerit, nec alicuius se permiserit gravari obsequio, cum cuilibet ipse foret semper subsidio, ac his solummodo subveniendo deesset, quibus adesse non posset. Cuius autem sanctitatis, vel meriti fuerit, finis eius probavit. Die quippe una dum resideret in claustro in ordine fratrum, una quoque cum Abbate *Guidone*, angelus nive candidior in specie viri se monstrans dixit ei: *Euge, serve bone, veni, & intra in gaudium Domini tui* (*b*). Qui dum a considentibus cunctis idem, quod a se visum, & auditum, putaret,

(*a*) *Matth.*22. 40. (*b*) *Matth.* 25. 23.

taret, paullulum ſubſtitit; deinde illis tacentibus, patri *guidoni*, quid viderit, quidve audierit, retulit, dicens: quid eſt, inquit, pater, quod vir iſte, quem mecum omnes vidiſtis, locutus eſt mihi: *Euge ſerve bone, & fidelis, veni, intra in gaudium Domini tui*? Cui pater: relinquere nos, ait, fili, vis? Et iſte non poſt multum tempus carne ſolutus migravit ad Dominum, ſumpturus in praemio, quod accepit in merito.

9. Abbas igitur *guido*, cuius omnis vita a cibis, & vitiis ſimul continentia continua erat, in altero homines ſupergrediens, angelis in altero ſe comparans, ſtatuerat aliquando, ut in monaſterio ſecunda, quarta, & ſexta feria fratres non comederent piſces. Hoc ſtatutum cum abſente Abbate, prioris permiſſu die quadam tranſiſſent, illico factum culpabile poena ſecuta eſt. Porcorum quippe monaſterii grex per ſilvam diffugiens, per dies quindecim inveniri non potuit, donec Abbatis adventu tranſgreſſio correcta eſt, ac culpa correpta. Etenim interdictorum uſus abſtinentia licitorum deletur, & appetitus carnalis correptione caſtigatur virgarum: ſicque peccatum poenitentia condonatur, poenitentia indulgentia muneratur; quod porci ſatis demonſtrarunt, cum de ſilva mox, qua fugerant, remearunt. Abſtinentia a piſcibus certis diebus.

10. Habebat vir ſanctus hoc divinitus providentiae donum, ut ſi provenirent in monaſterio adverſa, non fortuito caſui, ſed alicuius delicti cauſſae, & ob hoc Dei iudicio deputaret; unde imminens ſaepe, futurum nonnumquam periculum evadebat. Animi vero fortitudo, mentiſque robur in eo quam maximum fuerit, ex eo dignoſcitur, quod nullis umquam fractus incommodis, nulliſque carnis ceſſit illecebris. Temperantia quoque tanta in eo erat, atque modeſtia, ut aliquibus non inſoleſceret ſucceſſibus; ab omnibus vero, quantum eſt homini poſſibile, exceſſibus temperaret. Frugalitatem vero in eo laudare, vel continentiam quis digne poſſit? cum tanta fuerit, quantam de veteribus ſanctis plus nullus habuerit, ſi de cibo, vel potu dicitur, cum comedens ſemper eſuriret, ac bibens ſitiret, &, ut aliter dicatur, comedens non comederet, bibens non biberet. Si de parvo peccato agitur, id ſemper cavebat, ne de ſe diceretur (a): *maledicti, qui declinant a mandatis Domini*. Supponens denique carnem ſpiritui, ſpiritum vero divinae ſubiiciens virtuti, ex quo Chriſti militiam profeſſus eſt, non ſe terrenae ſubdidit voluptati. Quam caſtus, & integer corpore, & ab his etiam vitiis, quibus minor aetas implicari ſolet, immunis fuerit, manifeſtum eſt. Iuſtitiam vero, quae omnium mater virtutum, & cauſſa eſt, ſic in omnibus aſſecutus eſt, ut cunctis prodeſſe, nulli umquam voluerit obeſſe. Prudentia autem in tantum praeditus fuit, ut quandoque nequiverit ab alio decipi, nolueritque decipere quemquam. Vir Deo plenus ſic vallatus fuit bonarum Guidonis virtutes.

(a) *Pſalm*. 118. 21.

narum virtutum ſtudiis, ut veniens princeps mundi huius ſuae perfidiae in eo non inveniret veſtigium.

Abbates vicarios ſubſtituit.

11. Regebat vir providus monaſterium ſuum, ſubrogatis per temporum vices, quos e ſubditis elegerat, Abbatibus aliis; quorum primus fuit *Vitalis*; quo decedente elegit *Petrum*; poſt cuius obitum *Theobaldus* fuit; poſt *Theobaldum* conſtituitur *Leo*; poſt omnes, qui admirabilis eiuſdem etiam nominis, eligitur *Guido*. Hi ſuo quippe tempore praefuerunt fratribus, & monaſterium gubernarunt habentes Marthae officium, ſolliciti circa frequens miniſterium. Porro ille, qui optimam partem elegerat, una contentus erat; & hanc ne amitteret, inſeparabiliter Chriſti pedibus adhaerebat, nunc orando colloquens cum Deo, quae ſua erant, Domino referebat, nunc pſallendo verbum ex illius ore audiebat. Habitabat in ſilva longe a monaſterio milliariis tribus, ut vere de eo dici poſſet: *Et erat cum beſtiis ſilvarum habitatio eius*. Et cum omni tempore ab his, quae neceſſaria ſunt corpori, abſtineret, in diebus tamen duarum quadrageſimarum tanta cibi & potus abſtinentia, tanta virgarum caede, ac vigiliarum inſtantia corpus debile macerabat, ut excepta morte nihil tormenti amplius poſſet inferre nolenti perſecutor crudelis, quam volenti ſibimet inferebat ipſe vere felix, vereque Chriſti fidelis.

Ipſe in ſolitudine degens.

12. *Gerhardus* quidem genere *Longobardus* quartanis diu febribus fatigatus *Pomposiam* venit, revelatum ſibi divinitus aſſerens, quod ſi biberet de aqua, qua manus ſuas Abbas *Guido* laviſſet, illico ſanus fieret. Hoc audiens homo mitis, & humilis & dictum exhorruit, & factum inhibuit. Sed induſtria miniſtri eius, *Petri* nomine, quod petebat, aeger bibit, & ſanatus eſt. Quoties eius meritis aqua tranſierit in vinum, teſtes ſunt monachi miniſtrantes ei, ſed & laicorum quamplurimi. *Gebehardus* quoque *Archiepiſcopus Ravennae* cum ad menſam una cum Abbate *Guidone* ſederet, cuppam, quam bibebat Abbas, ab eo ſibi petiit porrigi. Quo renitente importunitate quadam, quod petebat, obtinuit, ac bibens, quam eſſe putabat aquam, invenit hauſtum vinum eſſe, quam ex puteo ſolito infuderat miniſter. Poſt menſam vero arguens miniſtrum Archiepiſcopus, cur non ſibi de eodem, quod Abbati, dederit vino optimo, cognovit a miniſtro, vinum optimum ſibi, Abbati vero aquam eſſe infuſam, ſed eius precibus in vinum verſam. Obſtupuit Archiepiſcopus, &, quod a multis audierat, experimento probavit, & credidit. Huic ſimile quid, cum eſſet *Ravennae*, aliquando accidit. Sedenti equidem illi ad menſam miles quidam *Faventinus* advenit. Audierat a multis ille, quia vinum Abbas *Guido* non biberet. Superveniens itaque menſae cuppam Abbatis non ſine quadam temeritate praeripuit; hauſit vinum, ſed aquam miniſter miſcuerat (*a*). Sic iam ut dictum eſt, non tantum bis, ſed ſaepius hoc facie-

Aqua in vinum converſa.

(*a*) *Ideſt*: infuderat.

faciebat miraculum. Illud quoque, quod de aqua, qua laverat manus proprias, aegritudines depulerit alienas, ficut fupra retulimus, non femel & iterum, fed multoties factum novimus. Sed multa funt, quae noftram notitiam, & memoriam fugiunt. Ex paucis, quae fcribimus, plura coniicere lectorem, fupra in praefatione monuimus. Si quis vero de illius meritis potiora noffe defiderat, *Parmam* illum dirigimus; ibi docebitur ab habitatoribus urbis illius, quanta potuerit, ac meruerit vivens, quanta potuerit, & contulerit apud eos etiam defunctus, de quibus nonnulla nos etiam notabimus. Sed quoniam de vivente nobifcum adhuc loquimur, quae vivens egerit, prius eft, ut dicamus. Parva dicturi fumus, & pro meritis tanti viri, vel laude infirma fatis.

13. Frater nomine *Sergius* cuftos ecclefiae afcenderat tripodam, ut lampades luminibus accendendis aptaret, ex quibus elapfa manibus una in lapide pavimenti minutatim confracta eft. Collegit cuftos fragmenta, & ante altare depofuit. Pergens ad Abbatem poenitentiam acturus pro damno, venia mox ab Abbate donata, in ecclefiam rediit, ac lampadem redintegratam reperit; cuius facti damnum patenter deputatum difcipulo, prodigium adfcribendum videtur magiftro. De trabibus ecclefiae ceciderat oleo plena lampas alia, quae nec laefionem pertulit, nec oleum effudit. Eiufmodi cafum iam tertio lampas perpeffa, incolumis tamen in eadem hucufque pendet ecclefia. Verum, ut diximus, minima funt haec ad comparationem eorum, quae tantum auditu comperimus, quoniam extra monafterium operatus eft viro tam magno condigna. Lampades cafu illaefae.

14. Inftabat dies iam, quam fummo defiderio fuftinebat: *cupiebat enim diffolvi, & cum Chrifto effe*: Vidit in fomnis huiufmodi revelationem. Arbor dactylorum a capite eius pullulans in magnae proceritatis culmen erigebatur onufta pomis; fed cupientium fructus eius fumere contactum confugiens, inclinabat fe tamen ad *Guidonis* manum, & cibum ex fe fumere permittebat: ex cuius etiam fractu ex fratribus fibi fubditis porrigebat, quo profecto fucceflorem fibi futurum fpirito prophetico praevidebat. Interea lues graviffima monafterium vexabat, quae de fratribus circiter triginta ad exceffum ufque pertulerat. Infuper illis diebus legatio Imperatoris beatum virum cogebat nuntiis illius occurrere, quod ad Italiam veniebant: quoniam iftius confilio omnia Imperatoris mandata implenda erant. Invictus, ut fertur, iter illud ingreffus eft, & quamvis fufpenfo fermone, non fe tamen amplius a fratribus, quos *Pompofiae* relinquebat, videndum prophetico dixit fpiritu. Profectus igitur fanctus Domini venit *Parmam*, inde *Burgum*, ubi altera die adventus eius, quo venit illuc, coepit infirmari, die etiam tertia defunctus eft. Moritur in burgo s. Domnini.

15. Reducentibus defuncti corpus fratribus, qui cum eo erant, in primo lapide urbis *Parmae* caecus occurrit: ibi dum paullulum subsisterent, funus ferentes, interrogantur a caeco, quid ferant? *Abbatis*, inquiunt, *Pomposiensis* corpus ad propria referimus. Audierat caecus ille de viro illo multa, & praecipua. Nam fama eius bona *Italiam* totam repleverat; ideoque caecus, domine Deus, ait, si homo iste illius meriti est, cuius ego audivi, videam oculis meis, quod corde iam credidi.

Miracula.

Vidit mox caecus, clamat pro lumine laetus:
Vere Dei servus, per quem sum lumen adeptus,
Quem praesens video, fueras sanctissime *Guido*.

Stupent fratres funus ferentes patris, & licet laetarentur de Domini gratia, tamen timent prodito thesauro quem portant. Exaltat caecus vocem suam, &, inhibentibus monachis, aerem totum replet clamoribus, & prae magnitudine gaudiorum non se continens, quoscumque transeuntes invitabat ad laudes. Fit populi illico concursus, & personantibus ecclesiarum signis sine ministerio hominum civitas universa terrebatur; & comperto quid esset, se tarditatis accusat quisque, si non primus adesset. Diripitur corpus, & deflentibus monachis, cives universi tripudiant. Quis tunc infirmus *Parmam* se contulit, & sanitatem non retulit? Quis claudus occurrit, & non erectus recurrit? Quis caecus advenit, & videns non rediit? Mansit autem corpus eius apud *Parmam* mensibus septem, in quibus dies rara pertransiit, quae prodigii munus non senserit: habuit enim unaquaeque dies, pro quo ageret Domino laudes.

16. Venit tandem *Imperator Henricus*, qui iamdiu praestolabatur, & conquerentibus monachis aufertur corpus sanctum *Parmensibus*; deinde Imperatoris iussu *Veronam* defertur, ubi in *ecclesia beati Zenonis* depositum, quod *Parmae* contulit, etiam *Veronae* conferre non distulit. Nam cum ipsa die sui adventus quemdam curasset infirmum, die altera *Zeno* sanctus, quod iam a multis diebus non fecerat, curavit & alium. Sicque certantibus illis per dies plurimos, sine medicorum cura aegrotos suos sanos recepit *Verona*. Iamvero quid Alpes transeundo, quanta *Spiram* devectus miranda perfecerit, *Teutonicis* narranda permittimus. Nam quemadmodum multa de eo non scribimus, ita cuncta eius miranda non vidimus, quae vel in longinquis fecit regionibus, vel iactantiam fugiens humanis non prodidit rumoribus.

17. Rexit autem *Pomposiense coenobium* annis quadraginta octo. Obiit autem anno ab incarnatione Domini millesimo quadragesimo sexto, pridie kalendas aprilis, suae religionis multos relinquens heredes, quos vel in coenobio, cui praeerat, instituit, vel diversis monasteriis in Abbates praeesse constituit ad laudem Dei; & Salvatoris nostri Iesu Christi, cui cum Patre, sanctoque Spiritu manet honor, & gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Annus, & dies obitus.

CIX. *Hymni*

CIX.

Hymni in festivitate s. Guidonis Abbatis.

Ex libro membranaceo chorali saeculi XIV. sign. littera L. in ecclesia s. Benedicti Ferrariae urbis.

Ad vesperas hymnus.

Guidonis festum colimus,
Colentes Christo solvimus
Pro viro tanto debitas
Caelorum regi gratias.
Parentes hic, & patriam
Suam mutans Pomposiam
Christi servavit monita,
Eius sequens vestigia,
Vigiliae. oratio.
Ieiunium, & lectio,
Divina vel inspectio
Huius servivit ocio.
Rachelis amans speciem,
Liae ferens per sobolem,
Alternis sub temporibus
Utrasque gessit moribus.
Gaudens Guido cum angelis
Tuis adesto famulis,
Qui mundi sub laboribus
Tuis egemus opibus.
Sit Trinitati gloria,
Cuius Guido per gratia *
Divina servans munia.
Caelorum habet gaudia. Amen.

Ad matutinum hymnus.

Patris aeterni splendor, & figura,
Germinis Adae nova creatura,
Vota poscentum, pariterque preces
Suscipe clemens.
Quem pater Guido clarus eremita,
Sidus refulgens in utraque vita,
Mente fideli prosequens virtutum
Scandit ad arcem.
Cedit oranti daemonum caterva,
Praesulis ira corruit proterva,
Lympha, qua manus abluit, depellit
Febris ardorem.

Cccc 2 Fortis

(*) *Hoc est*: gratiam.

Fortis athleta peritura ſpernit,
Armis virtutum vitia ſubſternit,
Mundo ſubactus coronatus inſtar
Regna caelorum:
Reddita caecato lumina defunctus,
Quem, ſi quis rogat lacrimis compunctus,
Sentit optatam ſubito ferentem
Caelitus opem.
Gloriam Patri reſonemus omnes,
Eius & Nato iubilemus apte,
Cum quibus regnat ſimul & creator
Spiritus almus. Amen.

Ad laudes hymnus.

Clarum decus Pompoſiae,
Intende melos gloriae,
Quot tibi laeti plaudimus
Tuis infantes laudibus.
Guido pater egregie,
Perennis campus gloriae,
Coronâ fulgens aurea,
Et triumphali laurea.
Iam in ſtellata patria
Manſura tenes atria,
Ubi polorum Domino
Adſiſtis abſque termino.
Oras ibi cum ſuperis,
Succurre nobis miſeris,
Illic excuſa crimina,
Iſtic expelle diſcrimina.
Adorna nos criminibus,
Et ſolve culpis omnibus,
Ut poſt emenſum ſtadium
Caeli ſumamus bravium.
Summo Patri ſit gloria,
Sit Filio victoria,
Conſolatori omnium
Sit decus in perpetuum. Amen.

CX. Offi-

C X.

Officium proprium s. Guidonis Abbatis pro ecclesia ss. Iohannis, & Guidonis Spirae in Germania die 31. martii.

Ex apographo authentico in archivo Pomposiano.

In martyrologio annunciatur primo loco: Pridie kal. aprilis, luna,.. Depositio s. Guidonis Abbatis.

In festo duplex maius. Omnia de communi Confessorum non Pontificum praeter sequentia.

Oratio. Deus, Martyrum palma, corona Confessorum, exaudi nos in beati Guidonis dilecti tui sacerdotis, atque Abbatis festivitate laetantes, eiusque precibus placatus, & meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lect. 1. *noct. de libr. ecclesiast.* Beatus vir, qui inventus est, *ut in communi* ...

In 2. *noct. lect. IV.*

Sanctus Guido in suburbanis Ravennae lapide decimo, villa Casamariensi Alberto patre, & Maria matre natus, parentibus quidem nobilibus, religioni tamen devotissimis, a quibus dum litteris imbuendus traderetur, adeo profecit, ut non solum politicis, verum etiam sacris in litteris adhuc adolescens perfectum se virum exhiberet. Unde & a puero studuit se Deo dignum habitaculum praeparare, dum coniugalem thalamum aenigmate prudenter elusit, & terrenis negotiis renuntiare, mundana desideria calcare, & quidquid carni blanditur, horrere studuit, ut eo liberius caelestis vitae dulcedine frueretur, Quare saecularem habitum miro ardore mutare cupiebat, cuius rei gratia quadam nocte sancto Apollinari martyri sacra s. Guido sibi depositis pretiosis atque pauperibus erogatis vestibus, & vilissimis indutus, clam Romam profectus, sacrisque ibidem initiatus animum induxit Hierosolymam properare, ea intentione ut numquam rediret ad propria.

℟. Honestum.

Lectio V.

Haec dum cogitaret, divinitus admonetur, ut Ravennam urbem repeteret, seque imperio Martini eremitae, cuius fama sanctitatis per totam Italiam diffusa fuerat, subiugaret. Ad quem dum pervenisset, & aliquandiu exemplo, & sacris exhortationibus ad vitam monasticam praeparatus fuisset, diutius ferre non potuit, quia sibi ipsi habitum indueret, in quo tribus annis eremitice cum Martino magistro suo vixit in quadam insula quam Padus a Pomposio dividit. Triennio igitur isto expleto, novus hic athleta ut plene disceret regularis vitae institutum ac perfectionem Pomposiam mittitur, ubi sub squalida veste, vilissima quaeque officia hilari animo subibat. Videns autem Guilielmus Abbas Pomposiensis sancti Gui-

Guidonis indolem, iam tunc successorem suum fore praedivinabat. Quare eum per omnia officia monasterii assumpsit; in quibus se brevi dignum effecit, ut monasterii s. Severini praepositus institutus fuerit.

℟. Amavit.

Lectio VI.

Interea Guilielmus Abbas Pomposiensis moritur, & s. Guido eidem conventui a fratribus in Abbatem eligitur; & licet diu & multum reluctatus fuerit, utpote qui libentius subesse, quam praeesse voluit, tamen a patre Martino, cui omnem obedientiam promiserat, Abbas investitur. Huius igitur sancti viri & parens Albertus, & germanus Gerhardus exemplum imitantes, & sub eius regimine regulariter viventes Iesu Christo animas reddiderunt. Quanta autem fuerint sanctissimi Guidonis merita, satis comprobant miracula in vita adhuc patrata: nam cum collapsum monasterium Pomposiense resuscitaret, quosdam confratrum ab imminente periculo mortis liberavit. Alios quatriduanis febribus laborantes per potatam tantum manuum suarum lotionem curavit. Famelicis etiam operariis ad preces sanctissimi patris ex insperato Deus duas naves frumento onustas salutariter subministravit. Postquam igitur monasterium Pomposiense duo de quinquaginta annis laudabiliter gubernasset, plurimisque miraculis in vita coruscantibus, iturus obviam Imperatoris legationi in itinere apud Parmam feliciter expiravit pridie calendas aprilis anno salutis millesimo quadragesimo sexto.

℟. Iste homo.

In III. nocturno.

Lectio sancti evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis: nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia venerabilis Badae presbyteri. *Ex comment. in Luc. cap.* 50.

De seipso haec Dominus loquitur, ostendens, etsi supra dixerit, nullum generationi nequam, nisi signum Ionae dandum: nequaquam tamen lucis suae caritatem fidelibus occultandam: ipse quippe lucernam accendit, qui testam humanae naturae flamma suae divinitatis implevit. Quam profecto lucem non credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est: sub mensura legis includere, vel intra unius Iudaeae gentis terminos voluit cohibere, sed super candelabrum, inquit, ut qui ingrediuntur lumen videant.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

Candelabrum ecclesiam dicit, cui lucernam supposuit; quia nostris in frontibus fidem suae incarnationis affixit, ut qui fideliter ecclesiam ingredi voluerint lumen veritatis palam queant intueri.

ri. Qua sententia Iudaeorum quosque proceres condemnat, qui signa quaerentes exterius, apertam lucis ianuam noluerint intrare credendo. Denique praecipit, ne opera tantummodo, sed ut cogitationes, & ipsas etiam cordis intentiones mundare, & castigare meminerint.

℟. Sint lumbi.

Si hoc festum celebretur in quadragesima, nona lectio legitur de homilia feriae occurrentis, & de ea fit commemoratio. Si autem transferatur post octavam paschae, neque adsit nona lectio de simplici dicenda, legitur sequens ex eodem ven. Beda.

Lectio IX.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Corpus quippe dicit opera, quae palam cunctis apparent, oculum vero ipsam mentis intentionem, qua operatur, & de cuius merito eadem opera, lucis, an tenebrarum sint opera, discernuntur, sicut ipse consequenter exposuit, dicens: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si inquit pura, rectaque intentione, quae potes, agere bona studueris, lucis profecto sunt opera, quae facis, etiamsi coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur: quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

Te Deum laudamus.

DIE IV. MAII

(Nisi transferendum sit)

FESTUM TRANSLATIONIS S. GUIDONIS ABBATIS

Duplex 1. class. cum octava

Ad 1. vesperas

Antiphonae ex laudibus. Psalmi de dominica. Loco ultimi. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Beatus vir. *de comm. Conf. non Pont.*

Hymnus.

Rex regum potentissime,
Vota precantum suscipe,
Qui iunxisti Guidonem
Caelicolis sanctissimum.

Iam mente sincerissima
Plebs plaudens devotissima
Tua quaerit suffragia
O salus integerrima!

Ipse ferto supplicibus,
Guido sancte, petimus;
Quos tuis iuvas precibus,
Nil hostis laedat callidus.

Nos enim tua colimus
Devotis festa laudibus,

Tu

Tu dignare propitius
Adesse famulantibus.
Monachorum egregium
Te scimus, clementissimum
Cunctis te invocantibus,
Mente nil haesitantibus.
Laus & excellentissima
Huic Trinitati gloria
In deitate unica
Regnanti per saecula. Amen.

V. Amavit eum Dominus & ornavit eum. Alleluia.

℟. Stolam gloriae induit eum. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiphona. O quam admiranda est potentia Salvatoris in meritis beati Guidonis confessoris, qui apud Deum & homines dignus memoria cum sanctis iam aeterna triumphat in gloria. Alleluia.

Oratio. Deus, martyrum palma, corona confessorum, exaudi nos in beati Guidonis dilecti tui sacerdotis atque Abbatis festivitate laetantes, eiusque precibus placatus & meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

AD MATVTINVM.

Invitatorium. Summae regem gratiae venite adoremus: * Qui perennis corona gloriae hodie beatum sublimavit Guidonem. Alleluia.

Psalm. Venite, exsultemus. *Hymnus.* Rex regum. *ut in 1. vesp.*

In 1. nocturno.

Antiphona. Sanctus Guido, natione Ravennas, nobilis erat progenie, sed nobilior sanctitate. Alleluia. *Psalmi de comm. Conf. non Pontificis.*

℣. Os iusti, ℟. Et lingua.

Lectio IV.

Beatissimus Guido Abbas monasterii Pomposiensis postquam duobus de quinquaginta annis monasterium curae suae commissum laudabiliter gubernasset, & salutariter aucta regula plurimos suae institutionis observatores in novo a se exstructo monasterio congregasset, & ad veram monasticae vitae observantiam induxisset, tandem iturus obviam legationi Imperatoris in ipso itinere prope Parmam plenus meritis, multisque clarus miraculis feliciter in Domino obdormivit pridie calendas aprilis anno a partu virginis millesimo quadragesimo sexto, cuius sacratissimas exuvias tamquam pretiosissimum thesaurum fratres secum sumere nitebantur, sed Parmenses tam nobile depositum sibi adscribebant, unde fratribus vi ereptum honorifice tumulare statuerunt.

℟. Honestum.

Lectio V.

Superveniebat autem Henricus Imperator huius nominis tertius & sa-

& ſacrum corpus fratribus vi ablatum Veronam tranſtulit, ubi in eccleſia s. Zenonis honorifice depoſuit. In qua prima translatione ut venerabilis patris s. Guidonis merita apud Deum altiſſimum mundo demonſtrarentur, voluit divina maieſtas, ut, quemadmodum in vita plurimis miraculis coruſcare fecerat, etiam poſt mortem eius ſanctitatem mundo faceret indubitatam. Dum enim in hac translatione ſacrum corpus multitudo comitaretur, campanae eccleſiae ſe ipſis, nullius hominis adiutorio laudem tanti viri inſonabant: cumque per plateas ſumma ſolemnitate portaretur obvians homo caecus dum quaereret tanti tumultus cauſſam eique reſponſum fuiſſet afferri ſacratiſſimum corpus s. Guidonis, exclamavit: utinam ex ſuis meritis viderem meis oculis! qui illico etiam viſum recepit, & palam ſanctum Dei ſervum beatiſſimum proclamavit, cuius interceſſione lumen adeptus eſt.

℟. Amavit.

Lectio VI.

Deinde circa annum Domini milleſimum quadrageſimum ſeptimum Henricus Imperator ſacrum corpus Verona Spiram tranſtulit, & in eccleſia hodie collegiata pretioſiſſime tumulari fecit. Unde & hodie dum dicta eccleſia ob ſacratiſſimarum reliquiarum praeſentiam s. Guidonis Abbatis titulo glorioſiſſime floret, quae prius divo Iohanni Apoſtolo & Evangeliſtae ſacra fuit. Itaque factum eſt, ut quemadmodum Conradus Imperator huius ſecundus pro fundamento faciendo in primi lapidis collocatione felix eidem eccleſiae dedit initium, ita per filium Henricum tertium a venerandis ſanctiſſimi Guidonis reliquiis liberali manu ſua praeſentatis maiorem ſumeret ſplendorem, & non indignum poſt tantam immutationem cognomentum.

℟. Iſte homo.

In III. nocturno.

Antiph. Hoc beneficio ſanctus puer non inferior fuit Martino, dum hic dimidiam chlamydem, ille totam dimiſit pro Domino ſubſtantiam. Alleluia.

Pſalmi de comm. Conf. non Pontif ℣. Lex Dei. ℟. Et non.

Lect. VII. VIII. IX

Homilia s. Auguſtini in evangelium. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt: *ut in comm. Martyrum tempore paſchali.* ℟℟. *vero ſumuntur de comm. Conf. non Pontif. ritu paſchali.*

Ad laudes & per horas.

Antiphona. Corpus exanime ut reducitur, caecus clamavit, quid feratur. Alleluia. *Pſalmus* Dominus regnavit: *cum reliquis.*

Antiph. S. Guidonis corpus ad tumulandum deferimus. Allel.

Antiph. Utinam ex ſuis meritis viderem meis oculis. Alleluia.

Antiph. Vidit mox caecus, clamat pro lumine laetus. Allel.

Antiph. Vere Dei ſervus, per quem ſum lumen adeptus. Allel.

Capitulum, hymnus, & versus de comm. Conf. non Pontif.

Ad Benedictus.

Antiph. Sancte Guido pater bone digne & patrone tua nos intercessione a peccati livore, & a cunctis munda maculis, in Spirae qui regione claris fulges miraculis. Alleluia.

In II. vesp. dicuntur omnia ut in I.

℣. Iustum. ℟. Et ostendit illi regnum Dei. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Eia quanta tanti vivi merita, cuius nutu in vinum transit aqua: cuius ablutio manuum quartanam fugat febrem: cuius ius sancti praesentia nobis det suffragia continuata. Alleluia.

Oratio. Deus martyrum palma: *ut supra.*

Die XI. maii.

Octava s. guidonis. Dupl. min omnia ut in festo praeter sequentia.

In I. nocturno lectiones de script. occur.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Quanta sint merita sanctorum apud Deum in caelis, quorum vita regula morum est in terra apud homines, abunde comprobant miracula, quibus s. Guido Abbas Pomposiensis in vita & post mortem claruit; enimvero dum monasterium Pomposiense collapsum resuscitaret, delapsos ex alto fratres, & operarios quosdam suis precibus incolumes servavit. Vas ligneum & iteratim lampades in terra allisas sine effusione & vini & olei integras loco suo restituit. Famelicis operariis in novi coenobii structura detentis precibus sanctissimi Abbatis Deus ex insperato duas vino & frumento onustas naves subministravit.

℟. Honestum.

Lectio V.

Postquam in vasta eremo frater quidam e vita discessisset, cadaver ad monasterium deductum inter preces fratrum suorum revixit, qui post triduum benedictione patris percepta denuo expiravit. Alius Bertholdus nomine, agonizans, plurimis angustiis conscientiae exagitatus tamdiu intercessione s patris servabatur donec exsolutis sacramentalibus quiete in Domino obdormiret. Reluctantes fratres salutaribus admonitionibus s. Abbatis Deus confestim punivit, non prius a peccato liberandos, nisi precibus sanctissimi praesulis reconciliarentur.

℟. Amavit.

Lectio VI.

Tanta praeterea mansuetudine pollebat, ut etiam infensissimos sibi reconciliaret. Sic Heribertus Archiepiscopus Ravennatensis dum leonino furore monasterii ruinam meditaretur, ad intuitum sanctissimi patris agnus mansuetissimus efficitur. Dum Gebhardum Archiepiscopum sibi alias familiarissimum se invisentem habuit, aquam

aquam grato hoſpiti in vinum convertit. Plurimos etiam a quartana febre per potatam ſanctarum manuum lotionis aquam liberavit. Nec tantum in vita plurimis aliis miraculis claruit, ſeu & poſt mortem. Caecus viſum recipiens, necnon campanarum ſonus, qui abſque ullo hominum adiutorio paſſim audiebatur, magnalia Dei in ſanctiſſimo Abbate eloquebantur. Laudemus igitur ſanctum Guidonem in generatione ſua, cuius memoria ſit in benedictione noſtra.

℟. Iſte homo.

In III. nocturno.

Lectio VII. VIII. IX. Homilia in evangelium Matthaei.

Ecce nos reliquimus omnia: *de communi Abbatum.*

Die IV. maii in feſto translationis s. Guidonis Abbatis & confeſſoris ad miſſam.

Introitus. Protexiſti me Deus a conventu malignantium, alleluia; a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia. *Pſalm.* Exaudi Deus orationem meam cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam.

Oratio. Deus martyrum palma *&c. ut ſupra in officio.*

Lectio libri apocalypſis B. Iohannis Apoſtoli.

In diebus illis: reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt? & dixit illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni; ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte in templo eius; & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus aeſtus, quoniam agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitae fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum.

Alleluia, alleluia. ℣. Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Alleluia. ℟. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Alleluia.

Sequentia.

Surge, Spira, & reſpira,
 Mente gira Dei mira
 Edita divinitus.
Surge Rhenus, ſis amoenus,
 Quod ſerenus, laude plenus
 Fulget tuus ambitus.
Nam regnantem ſuſcepiſti
 Militantem, quem neſciſti
 Datum tibi caelitus.
Hunc Ravenna tibi miſit,
 Quem invitus tunc amiſit
 Lombardorum populus.
Ergo grates decantemus
 Deo, atque iubilemus
 In Guidonis laudibus.
Tunc laudamus, & laudamur,
 Cum laudatum imitamur
 Cunctis noſtris viribus.
Quem Martinus eremita
 Spiritali fulſit vita
 Tempore novitii.
Qui virtute redimita,
 Et ſalute crevit ita
 Factus doctor ſaeculi.

Die, Martine, favum mellis,
Quem de manu Michaelis
Mandis eius meritis.
Dic, Gebharde praeful Chrifti,
Cuppa lymphae, qua bibifti,
Vinum fi guftaveris.
Dic, tu frater, in agone,
Quem pro incantatione
Poena damnat iudicis.
Num te, Guido, liberavit,
Emendandum revocavit
Mortis ab articulis.
Dic, Gerharde Longobarde,
Quis fanavit, & fugavit
Morbum in te febricum.
Non natura fuit cura,
Sed lotura fan&a pura
Sacratarum manuum.
Fratres quoque excefferunt,
Pifces quando comederunt
Prioris licentia.
Sed peccato cedit lues,
Cum in fugam vertunt fues
Guidonis abfentia.
Guido templum cum fundavit,
Daemon tunc praecipitavit
Templi de cacumine
Laborantes qui ruerunt
Mali tamen nil fenferunt
Eius in munimine.
Hic reftaurat vas collifum,
Caeco fimul reddit vifum,
Luctum vertit tunc in rifum,
Sciens haec miracula.
Sed quid plura recenfemus?
His auditis iubilemus,
Spe firmanti imploremus
Ipfius fuffragia.
Ecce gemma confefforum,
Interceffor populorum,
Vere pater filiorum,
Omnium Spirenfium.
In Lombardis praedicatur,
In Germanis honoratur,
Nobis paftor deputatur
Per partes Rhenenfium.
Ecce Guido ferve bone,
Praecolende tu patrone,
Tu nos falva in agone,
Ne damnemur cum dracone
In terra degentium.
Sed poft iftum incolatum
Ad beatum duc nos ftatum,
Ut cernamus increatum
Verbum Dei incarnatum
In terra viventium. Amen.
Alleluia.

Sequentia fancti evangelii fecundum Iohannem.

In illo tempore: dixit Iefus difcipulis fuis: Ego fum vitis vera, & pater meus *&c. ut in comm. martyr. tempore pafchali*: *dicitur* Credo.

Offertorium. Confitebuntur caeli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in ecclefia fanctorum. Alleluia, alleluia.

Secreta. Munera noftra Domine beati Guidonis facerdotis tui, atque Abbatis preces commendent, & merita, quibus delectatur, fanctis honorem, & gloriam, nobifque pacem tribuas, & indulgentiam. Per Dominum.

Praefatio pafchalis.

Communio. Laetabitur iuftus in Domino, & fperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Alleluia, alleluia.

Poftcommunio. Sumpto, Domine, falutis aeternae pignore pro feftivitate beati Guidonis facerdotis tui, atque Abbatis tibi oblato, fuppliciter imploramus, ut per haec in tuo fimus ferventes amore, & in fanctorum tuorum devotiffima veneratione. Per Dominum.

Die XI.

Die XI. maii in octava translationis s. guidonis Abbatis, & confessoris.

Introitus. Os iusti *&c. ut in comm. Abbatum*.

Oratio. Deus martyrum palma *&c. ut supra in officio*.

Lectio libri sapientiae. Dilectus Deo, & hominibus *&c. ut in comm. Abbatum cum versiculis suis. Sequentia non dicitur. Evangelium:* Ecce nos reliquimus omnia: *ut in eodem communi. Dicitur* Credo.

Offertorium. Desiderium animae eius *&c. ut in eodem comm.*

Secreta. Sacris altaribus, Domine, hostias superpositas beatus Guido Abbas, quaesumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per Dom.

Praefatio paschalis. Communio. Fidelis servus, & prudens: *ut in eod. comm.*

Postcommunio. Fac nos quaesumus, Domine, intercedente beato Guidone Abbate, a tuis numquam cessare laudibus, sed placitis semper moribus obedire. Per Dominum.

Praesentem copiam cum suo originali, quod in ecclesia collegiata ad sanctum guidonem Spirae quotannis recitatur in choro per omnia concordare hisce attestor. Bruschaliae die 22. mensis septembris 1761. F. L. Schnellm protonotarius apostolicus, eiusdemque collegiatae canonicus capitularis, Rmi, & celsissimi Episcopi, & principis Spirensis consiliarius ecclesiasticus.

L. ✠. sigilli in cera rubea.

C X I.

Epistola Mauri Squarzonii monachi Casinatis ad Anselmum Desinghium monachum Germanum anno 1752. die 31. augusti.

Ex archivo Pomposiano.

V. C. Anselmo Desing Benedictino
Maurus Squarzonius eiusdem ordinia S. P.

Ex quo mihi feliciter contigit, te Florentiae cognovisse anno iubilaei elapso, & tibi, sodalique tuo Sigismundo, quoad potui, deservisse, qua occasione tuam pietatem, tuamque novi doctrinam, semper in animo fuit, litteras ad te mittere. Augebatur adhuc desiderium hoc meum tuis ex epistolis, quas ad Petrum Aloysium Gallettium amicissimum, qui legendi copiam mihi semper fecit, mittebas. Verum iusta scribendi caussa defuit, donec reccurrentibus comitiis nostris generalibus, monasterio Pomposiano sancti Benedicti Ferrariae deputatus, iusta iamdium quaesita occurrit caussa. Cum enim meos inter sodales Pomposianos sermo esset de beato Guidone Pomposiani nostri coenobii olim Abbate, cuius corpus Henricus III. Romanorum Imperator anno aer. vul. MXLVII. ex burgo s. Domnini Placentini ducatus secum trastulit, non sine monachorum lacrimis Spiram Germaniae urbem; conquesti sumus, templum hoc nostrum sacris tanti viri reliquiis, ut vocant, prorsus destitui: itaut nec ossium, nec cinerum pars ulla penes nos sit. Mihi itaque orbitatem hanc nostram cogitanti spes affulsit,

voti

voti compotes nos fortaſſe facturos, ſi te per epiſtolam deprecarer. Toto animo igitur te rogo, atque obteſtor, ut per te ipſum vel per amicos de S. P. N. Guidonis exuviis aliquid nobis obtineas; neque ultro ſinas ſeros ſancti viri nepotes orbitatem ſuam diutius deplorare. Movebit te, arbitror, D. O. M. necnon dicti S. P. Guidonis honor, quem modo promovere queis. Movebit ipſa orbitas noſtra. Tua te pietas movebit; movebit tua comitas: ſicque de tuo favore confiſus sacrnm quaeſitum pignus iam mihi obtinuiſſe videor. Quod autem es mihi elargiturus, ut ſpero, quippe quod in argentea capſula ad publicum fidelium cultum erit locandum, maioris, quoad fieri poterit, magnitudinis eſſe cupio; ex loco deinde indubio deductum; necnon Spirenſis Epiſcopi ſigillo, & fide in ſcriptis munitam, ut omnis dubitationis anſa de medio prorſus tollatur. Praeterea eadem occaſione ſcire mihi periucundum erit, quonam cultu, rituve divus Guido noſter in Spirenſi dioeceſi colatur, quanam ſcilicet liturgia utatur eccleſia ipſa in ſacro celebrando, & divinis officiis perſolvendis in die feſto ipſiuſmet divi Guidonis, miſſane, ac officium ſit proprium, vel omnia ex communi, ut vocant, Abbatum deſumatur. Curioſitas denique ultro me audacter cogit (quoniam de humanitate, & comitate tua confido) ut a te petam inſcriptiones omnes, ſicut & indicem chartarum, ſi quae ſunt Spirae in templo divo Guidoni noſtro dedicato, vel in eiuſdem tabulario ad ipſummet divum pertinentes: ſicque apparebit, verumne ſcribant Eiſengremius, & Piſtorius, qui in beatiſſimi laudati divi mauſoleo in marmore elevato haec legiſſe referunt:

HIC REQVIESCIT
CORPVS S. GVIDONIS ABBATIS.

Et in lapide eiuſdem templi haec alia:

HENRICVS III. ROMANORVM
IMPERATOR CONRADI
II.
IMPERATORIS FILIVS
CORPVS S. GVIDONIS
IN HANC AEDEM TRANSTVLIT
ANNO MXLVII.

Si longior, quam par eſt, ſi moleſtior fui, rationabilis curioſitas mea, tua ipſa comitas in cauſſa ſunt. D. O. M. te, ſociumque tuum Sigiſmundum ſoſpites ſervet, ut coeptum P. Zeigelbauri in rem litterariam laborem tua, qua polles, eruditione complere feliciter valeas, & brevi publicam in lucem, ordine noſtro plaudente, emittas.

Dabam Ferrariae ex coenobio Pompoſiano s. Benedicti pridie kalendas ſeptembris anno reparatae ſalutis CIϽIϽCCLII.

A tergo = Rmo atque doctiſſimo viro
P. D. Anſelmo Deſing Benedictino.
Paſſaviam.

CXII. *Re-*

CXII.

Responsum Anselmi Desinghii ad Maurum Squarzonium anno 1752. v. kal. ianuarias.

Ex archivo Pomposiano.

Vir summe reverende patrone observandissime.

Elegantissima epistola tua quantum me recreavit testimonio amoris tui, quem mihi adhuc integrum conservasti, tantum mihi iniecit sollicitudinis, qua maxime via laudabili desiderio tuo facerem satis. Quippe de Guidone beato, deque sacris eius exuviis intelligere, quin & accipere per me aves, quae Spiram nostram traductae pridem sunt. Equidem Spira in omni Germania satis est nota. Verum interiacet inter illam & me Bavaria tota, tota item Svevia cum Palatinatus Rhenani parte. Ad haec nullum ibi, vel circa, monasterium nostrum, nec sedes alia, ubi mihi litterarum esset commercium. Circumspicienti tamen mihi singula occurrit denique illustris Baro de Beroldinq canonicus eiusdem ecclesiae frater germanus eiusdem ecclesiae canonici mihi admodum amicus. Hoc illustri viro utor ad obsequium tuum, id unum te orans, ne ex lentore forte meo impatientius mihi succenseas: nam & locus, ut vides, dissitus est, & is canonicus non semper ibidem moratur. Faciam certe quantum si non tuum de me meritum postulat, certe quantum res, & vires meae ferunt. Vale. Ziegelbauri opus non ego, sed P. Oliverius Legipont procurat.

Dat. Passaviae v. ianuar. 1752.

Servus devotissimus

Anselmus Desing Benedictinus.

CXIII.

Altera epistola Mauri Squarzoni ad eumdem Anselmum Desinghium anno 1753. ix. kal. novembris.

Ex archivo Pomposiano.

Clarissime & reverendissime pater.

Anno iam elapso, ex quo misi ad te litteram, cuius pergratissimum accepi responsum, iterum ad te breviter redeo, enixe orans, ut vota mea erga divi Guidonis reliquias, ut vocant, priori in epistola exposita feliciter compleas. Non equidem ut tibi succenseam, hanc scribo, sed ut in susceptum opus curam, diligentiamque tuam eo magis exhorter. Interim tuas literas vehementer exspecto, & quidem tales, quales maxime opto. Etiam atque etiam vale.

Dat. Ferrariae ix. kal. novembris 1753.

Addictissimus Servus.

D. Maurus Squarzonius Casinas.

CXIV. *Epi-*

C X I V.

Epiſtola Anſelmi Deſinghii laudati ad Abbatem s. Benedicti de Ferraria anno 1755. *prid. idus auguſti.*

Ex archivo Pompoſiano.

Reverendiſſime domine pater Abba patrone obſervandiſſime.

Aliquot fluxere anni, ex quo D. Maurus Squarzonus imperavit mihi aliquid ſacrarum exuviarum s. patris Guidonis Abbatis pro celebri monaſterio Pompoſienſi Spira conquirere. Qui Squarzonus num Ferrariae etiamnum moretur, me fugit. Quamobrem ad te potiſſimum, pater reverendiſſime, eventum adhibitae a me operae nuntiare hac epiſtola decet. Nimirum paucos ante dies venit ad manus meas quod optabam. Petieram verbis veſtris portionem, quantum fieri poteſt magnam. Si ea ipſa non reſpondet exſpectationi veſtrae, id mihi vitio verti non poteſt, forte nec canonici s. Guidonis. Sacrum enim depoſitum apud ipſos iniuria temporum diſtractum eſt, adeout pauca ſuperſint, ipſumque ſacrum caput incendio anni 1688. penitus deperditum fuit. Scatula igitur, quam habeo, digitos ſex longitudinis, quinque latitudinis, tres altitudinis non ſuperat, eſtque ſigillo probe munita, inque ea non dubito ineſſe litteras, quas vocant authenticas. In hac igitur ſcatula eſt munus impetratum pro nobili monaſterio veſtro, extractum Spirae iuſſu Epiſcopi, ac principis illius loci ab ipſius ſuffraganeo conſenſu domini praepoſiti, atque canonicorum eccleſiae collegiatae ſanctorum Iohannis Evangeliſtae & Guidonis Abbatis. Hoc quale ac quantumcumque eſt, opportuna facta occaſione, ad vos tranſmittam. Interea te oro, Pater Rme, uti brevi epiſtolio me doceas, num hae meae redditae tibi fuerint. Epiſtolam autem non diriges Paſſaviam, ſed per Ratisbonam ad monaſterium meum Enſdorff, ubi ſervus tuus deinceps morabitur. Vale plurimum cum benedicta familia tua, in qua ſi numeras Squarzonum, a me ſalutatum etiam atque etiam volo. Dabam Paſſaviae 12. aug. 1755.

Tuus Reverendiſſime Pater

Servus devotiſſimus

Anſelmus Deſing Benedictinus.

C X V.

Altera epiſtola eiuſdem Deſinghii ad ipſum Abbatem anno 1755. *xviij. kal. ſeptembris.*

Ex archivo Pompoſiano.

Reverendiſſime domine pater Abbas patrone obſervandiſſime.

Mitto ſcatulam ſacrae reliquiae s. Guidonis Abbatis per manum illmi D. comitis Ioſephi de Lamberg ad collegium Romanum proni-

proficiſcentis, canonici Paſſavienſis, ſpe fretus, ſecuro itinere perventuram ad tuas reverendiſſimas manus. Si placet, optarem, nomine abbatiae Pompoſiacenſis ſcribi epiſtolam ad DD. praepoſitum, decanum, & capitulum inſignis eccleſiae collegiatae ss. Iohannis Evangeliſtae & Guidonis Abbatis, in quibus gratiae pro recepta ſacra reliquia agantur. Epiſtolam dirige, ſi placet, ad me per Ratisbonam ad monaſterium Enſdorff. Cetera ego perficiam. Vale. Paſſaviae 15. auguſti 1755.

Tuus Rm̃e Pater

Servus devotiſſimus
Anſelmus Deſing Benedictinus.

CXVI.

Epiſtola Franciſci Mariae Riccii Abbatis s. Benedicti de Ferraria ad Ioſephum comitem de Lamberg canonicum Paſſavienſem in collegio Clementino Romae convictorem anno 1755. VI. *idus novembris*.

Ex archivo Pompoſiano.

Illm̃o e Rm̃o ſig. ſig. e pñe colm̃o:

Siccome fu a me ieri conſegnata la ſcattola, che è piaciuto a V. S. Illm̃a e Rm̃a di recarmi, raccomandatale dal P. D. Anſelmo Deſing Benedettino, così non manco di porgerlene il dovuto ſollecito riſcontro, che precorrerà forſe all'arrivo di lei medeſima in Roma. Rendo a V. S. Illm̃a quante per me ſi poſſon mai vive riverentiſſime grazie del favor ſegnalato, che ſi è degnata ella di compartire così a me, come a queſto moniſtero, per contenerſi entro la ſcattola ſteſſa la da noi cotanto bramata ſagra reliquia del noſtro s. Guidone celebre Abate Pompoſiano, il cui prezioſo corpo ripoſa nell'inſigne collegiata de' ss. Giovanni Vangeliſta, e Guidone medeſimo di Spira, trasferitovi dall'Imperadore Errico terzo d'Italia; e dell'avercela apportata le rimango io co' miei monaci tenuto in eſtremo grado. Bramo ardentemente a V. S. Illm̃a la più felice dimora in Roma, ed in codeſto nobiliſſimo collegio ben degno di lei, ed a me l'onore de' ſuoi riſpettati comandi, ai quali tanto dichiaromi pronto, comunque io pur vagliami, quanto pregiomi invariabilmente di eſſere a tutte prove

Di V. S. Illm̃a e Rm̃a

Dal monaſtero Pompoſiano di s. Benedetto in Ferrara 8. di novembre 1755.

Divm̃o ed obblm̃o ſervitore
D. Franceſco Maria Ricci Abate.

C X V I I.

Epistola eiusdem Francisci Mariae Riccii Abbatis ad Anselmum Desinghium anno 1755. 10. *novembris*.

Ex archivo Pomposiano.

Reverendissime pater.

Delata ad me denique fuit VIII. idus huiusce mensis, vir ornatissime, theca undique obsignata, quae divi Guidonis Pomposiani Abbatis peroptatam iamdiu sacram reliquiam adtulit mihi cum humanissima epistola tua. Quanta eas cum animi voluptate exceperim ego, utramque exosculatus, longe melius ipse poteris assequi mente, quam ego calamo prosequi, verbisque complecti. Quas itaque & quidem maximas, atque immortales, accepta altera epistola tua officiis utique plena, mihique data pridie idus sextiles huiusce anni, ad te illico rescribens VIII. kalendas septembris, tibi gratias habui, eas nunc pro tanto munere cum monachis meis, ac potissimum Squarzono, qui tibi praeterea, quum primum poterit, hac de re scribere curabit, ex animo iterum ago, referrem etiam, si possem, quod Gratiano Caesari aiebat D. M. Ausonius: me tamen ad id paratissimum, uti & tui studiosissimum scias. Habes & eucharisticam epistolam, quam non tu postulas modo, sed vel res ipsa flagitat, atque egomet officii, gratique animi caussa scribendam constitui, quamque tibi etiam atque etiam commendatam volo. Tu interea, clarissime vir, quem verbis meis nolim diutius detinere, illud pro certo habeas, me quidem omnem operam daturum, ut beneficium in me tuum non male umquam locatum existimes.

E coenobio Pomposiano Ferrariensi divi Benedicti IV. idus novembris 1755.

C X V I I I.

Epistola monachorum Pomposianorum s. Benedicti de Ferraria ad praepositum, decanum, & canonicos collegiatae ecclesiae ss. Iohannis Evangelistae, & Guidonis Abbatis Spirae civitatis anno 1755. 10. *novembris*.

Ex archivo Pomposiano.

Illmis ac Rmis DD. praeposito, decano, ac canonicis insignis ecclesiae collegiatae Spirensis ss. Iohannis Evangelistae, & Guidonis Abbatis, Abbas, ac monachi coenobii Pomposiano-Ferrariensis divi Benedicti S. P. D.

Quum primum ab eximio P. D. Anselmo Desing Benedictino professore Salisburgensi nobis significatum est epistola data pridie idus

idus ſextiles huiuſce anni, veſtrum omnium, ampliſſimi viri, ſingulari humanitate, ac beneficentia effectum fuiſſe, ut ex ſacris exuviis divi Guidonis olim Abbatis coenobii Pompoſiani, quod petra eſt, ut cum Iſaia loquamur (*a*), unde exciſi ſumus, pars quaepiam nobis tandem obveniret, eamque iam tum ſibi iſthinc delatam brevi mittendam, ſi fieri potuiſſet, tantam profecto cepimus animo voluptatem, quantam proinde noſtrum votis, diuturnaeque exſpectationi reſpondiſſe, facile intelligitis. Verum ea ipſa intra thecam probe obſignatam, veſtroque ſigillo communitam ad nos denique perlata VIII. idus huiuſce menſis per Ioſephum S. R. I. comitem Lambergium canonicum Paſſavienſem, tanta repente, iterumque laetitia affecti ſumus, atque perfuſi, ut hanc, qua certe maior nemini umquam contigerit, commemorare potius quam verbis exaequare poſſimus. Votorum itaque compotes effecti, quodque iamdudum, enixeque optavimus, tandem aliquando nacti, ſacro nimirum pignore potiti, ſerque illud exoſculati, vobis omnibus, ſingulisque, viri ornatiſſimi, quantas ipſi praegeſtientes animis poſſumus gratias & agimus & habemus pro collato in nos beneficio hocce immortali, quod memoria colemus idcirco ſempiterna. D. interim O. M. orabimus (atque utinam & exoremus), ut nobiſcum adprecante ſanctiſſimo ipſo, nec tam noſtro, quam veſtro Guidone tantum ille munus vobis cumulate rependat, quandoquidem ipſi ad id impares plane ſumus, voſque ea propter de nobis univerſis adeo praeclare meritos perinſignis eccleſiae veſtrae ornamento, bonorum votis, patriaeque felicitati quam diutiſſime ſervet incolumes.

Ferrariae ex aedibus noſtris IV. idus novembris 1755.

CXIX.

Epiſtola Mauri Squarzonii ad Anſelmum Deſinghium anno 1755. 17. *novembris*.

Ex archivo Pompoſiano.

Clariſſime atque doctiſſime vir.

Laetiſſimo nuncio accepto, iam a menſe auguſti fluentis anni a Rmo P. D. Franciſco Maria Riccio huius monaſterii Abbate, quod tandem parte deſumta ex ſacro corpore divi Guidonis noſtri tu ipſe potitus fueras, magna ſane ſum affectus laetitia. Gaudium illud meum equidem mihi in animo erat per epiſtolam tibi ſignificare; ſed rei familiaris, quibus addictus ſum, curis, eo praeſertim tempore, diſtractus id exſequi non potui, quod maxime optabam. Quum autem compos ſum factus ſacri, optatique muneris per illmum & rmum comitem de Lamberg delati diligentia, immo amore erga me tuo, quantam ceperim voluptatem, potes per temetipſum cogitare: & quanto perfuſi gaudio omnes noſtri

fuerint, ab epiſtola rmi Abbatis iam intelligis. Gratias igitur tibi ago maximas agamque dum vivam. Pluribus te deprecari non deberem: ſed quoniam amicitia frueris illmi baronis de Berolding fratris germani alterius canonici Spirenſis, idcirco te precor, ut ex illo intelligas, mihique ſcribas, quanam liturgia utatur Spirenſis eccleſia ſanctorum Iohannis Evangeliſtae & Guidonis die ipſimet divo Guidoni ſacra, an ſcilicet miſſa, & officium, praeſertim oratio, & lectiones ſecundi nocturni ſint peculiares, ſeu propriae, ut vocant, necne. Quod ſi mihi de hiſce etiam, aliiſque priori mea epiſtola anno 1752. pridie kalendas ſeptembris expetitis ſingulari tua humanitate certiorem feceris, omnino me tibi fore devotiſſimum confirmo. Rmus Abbas te plurimum ſalvere iubet. Vale.

Datum Ferrariae xv. kal. decembris 1755.

Addictiſſimus ſervus

D. Maurus Squarzonius mon. Caſinas.

C X X.

Altera epiſtola eiuſdem Squarzonii ad ipſum Deſinghium anno 1756. 6. *iunii.*

Ex archivo Pompoſiano.

Anſelmo Deſing viro clariſſimo Maurus Squarzonus Caſinas S. P. D.

Quintodecimo kal. decembris elapſi anni 1755. miſi ad te litteras inſcriptas Ratisbonam ad monaſterium Enſdorff, quibus tibi maximas agebam gratias pro conlato beneficio partis non exiguae coſtularum divi Guidonis Abbatis Pompoſiae. Paullo ante rmus P. D. Franciſcus Maria Riccius Abbas meus epiſtolam miſerat tam ad rmos praepoſitum, ceteraſque dignitates, & canonicos inſignis eccleſiae collegiatae ss. Iohannis Evangeliſtae, & Guidonis Spirenſis urbis, quam ad temetipſum: ſed neſcio quo fato nullum accepimus reſponſum neque a teipſo, neque a capitulo Spirenſi. Quare arrepta modo occaſione tranſitus P. D. Bedae Paver monachi Germani, optimae indolis viri, iam poenitentiarii baſilicarum s. Paulli de urbe, necnon S. P. Benedicti montis Caſini, qui Roma diſcedens ad monaſterium ſuum revertitur, hanc alteram mitto epiſtolam, gratias maximas iterum agendo nomine etiam rmi P. Abbatis, qui ut officium ſuum viſitatoris provinciarum Venetae, Longobardae, & Liguris expleat, paucis abhinc diebus abeſt a coenobio. Munus interim ſacrum ope tua iam obtentum in theca argentea affabre elaborata locandum ſtatuimus; diemque ſolemnem ſacra, ac ſingulari pompa celebrare aggredimur ſancti Guidonis. Eapropter de ſacra liturgia, qua utitur Spirenſis eccleſia in die feſto colendo eiuſdem, ut me certiorem facias iterum atque iterum deprecor; miſſane, & officium, ac praeſertim lectiones ſecundi nocturni, & oratio ſint propriae, an ex communi Abbatum deſuman-

sumantur. Me tandem tibi devinctissimum confirmo, Deumque obsecro, ut integras vires tibi largiatur, quibus id praestare queas, quod in votis tibi esse satis compertum habeo. Vale.

Dat. Ferrariae VIII. idus iunii 1756.

C X X I.

Epistola Alexandri Zuccaninii Abbatis s. Benedicti de Ferraria ad Episcopum Spirensem Franciscum Christophorum de Hutten anno 1761. 3. iunii.

Ex archivo Pomposiano.

Rm̄o & celsissimo D. D. Episcopo, & principi Spirensi,
D. Alexander Zuccanini Pomposiensis monasterii
s. Benedicti Ferrariae Abbas S. P. D.

Cum perillustre istiusmodi insignis collegiatae basilicae ss. Iohannis Evangelistae, & Guidonis Spirensis civitatis capitulum anno 1755. coenobio huic nostro Pomposiensi portionem costae corporis divi Guidonis eiusdem Abbatis perhumaniter largitum fuerit, maximum me cepit desiderium, ad ipsius parentis nostri cultum magis magisque augendum ad dominationem tuam rm̄am supplicem hanc epistolam mittere. Celebratum ab immemorabili tempore semper fuit in hac nostra ecclesia, & nunc quoque celebratur officium & missa s. Guidonis die 31. mensis martii dormitionis eiusdem anniversaria; sed liturgia e communi officio Abbatum, ut aiunt, omnis desumitur. Cum itaque certior sim factus, in Spirensi memorata basilica celebrari officium, & missam propriam s. Guidonis, tam in die dormitionis, quam in illo translationis eiusdem, mea, meorumque monachorum impulit devotio, dominationem tuam rm̄am exorare, ut ad me authenticum exemplar mittere dignetur actorum omnium sacrae liturgiae, queis in divinis officiis persolvendis, & in sacrosancto missae sacrificio celebrando utitur clerus ss. Iohannis Evangelistae & Guidonis tam in die festivo, quam in altero translationis eiusdem; sicuti etiam exemplaria elogiorum, ut aiunt, quae respective habentur, & leguntur in martyrologio eiusdem ecclesiae pridie dies supra enunciatos. Hisce authenticis exemplaribus, quae ab humanitate tua enixe expostulo, facilis mihi patebit via ad obtinendam a s. rituum congregatione facultatem celebrandi eadem officia in hac nostra ecclesia iuxta Spirensem liturgiam. Eodem memorato anno 1755. ad quemdam monachum Benedictinum Salisburgensem professorem missa fuit epistola, qua supradicta petebantur exemplaria, sed pro maxima fortassis locorum distantia ad ipsum non pervenit. Hinc est quod a dominatione tua rm̄a favorem hunc postulare decreverim; pro quo nullus dubito, quin dominationi tuae rm̄ae pro incremento cultus s. Gui-

s. Guidonis, nostrique erga illum obsequii meritum augeatur in caelis; quemadmodum D. O. M. necnon pro diuturna etiam felicitate dominationis tuae deprecabor, cui me, meumque monasterium fore semper gratum, addictissimumque obtestor.

Dabam Ferrariae e monasterio Pomposiensi s. Benedicti III. non. iunias 1761.

C X X I I.

Responsum Francisci Christophori de Hutten Episcopi, & principis Spirensis ad Alexandrum Zuccaninium Abbatem Anno 1761. 22. *septembris.*

Ex archivo Pomposiano.

Rme domine Abbas.

Laudabili dominationis tuae, totiusque monasterii tui cultum sancti Guidonis magis magisque augendi desiderio & zelo ut faciam satis, authenticam hic, prout postulasti, accludo copiam totius divini officii in ecclesia mea collegiata ss. Iohannis Evangelistae, & Guidonis annue in sacris eiusdem festivitatibus a canonicis eiusdem ecclesiae persolvendi, una te, tuosque enixe in Domino obsecrans, ut vos omnes hanc sacrae psalmodiae concordiam sectantes, Deumque in sancto suo Guidone iugiter laudantes, ab eodem quoque tamquam patre misericordiarum, & Deo totius consolationis omnem de caelo gratiam, & benedictionem in patriae salutem omniumque nostrum felicitatem exorare sedulo satagatis. Interim autem permaneo cum plenitudine gratae benevolentiae

Revmae dominationis tuae

Bruchsaliae die 22. septembris 1761.

Affectionatissimus ex corde

Franciscus Christophorus Episcopus, & princeps Spirensis.

C X X I I I.

Altera epistola ad eumdem Episcopum Spirensem, & recens S. R. ecclesiae Cardinalem Antonii Bissii prioris, & administratoris s. Benedicti de Ferraria anno 1762. 8. *martii.*

Ex archivo Pomposiano.

Eme rme & celsissime princeps.

Dum magna afficerer maestitia ob inopinatum decessum rmi patris nostri, humanissimas tuas ipsi defuncto inscriptas, & officia s. Guidonis laetanter accepi. Admiratus sum maxime eminentiae tuae

tuae benignitatem, atque benevolentiam, quae humilibus precibus inclinata omnium nostrum votis favere dignata est. Officii itaque, gratique animi mei rationem obsequens eminentiae tuae gratias habeo maximas, pro collato in nos beneficio, quod memoria colemus diuturna; & D. O. M., sancto Guidone opitulante, cum monachis meis deprecor, ut eminentiam tuam ecclesiae catholicae, dioecesis, & principatus Spirensis utilitati quam diutissime servet incolumem, cuius sacram purpuram deosculando me obsequentissimum esse profiteor.

Eminentiae tuae rmae

Ex monasterio Pomposiano s. Benedicti Ferrariae VIII. idus martii 1762.

Humillimus, devotissimus, & addictissimus servus

D. Antonius Biffi prior & administrator.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. VII	15	notam	natam
7	*lin.* 19	verum quid	verum quidquid
8	36	aut ubi sunt	at ubi sunt
12	7	ascenderunt	ascendunt
13	8	efformat	efformata
15	32	a Pelasagi	Pelasgi
16	1	distinguatur	distinguantur
18	19	Illae enim	Ille enim
30	20	Iis enim	Lis enim
31	16	exstitisses	exstitisse
—	32	eam	eum
32	7	refeat	refert
—	17	obtrutis	obrutis
35	16	Malvut	mavult
36	9	sillarum	villarum
—	10	dndeque	undeque
—	11	crediverim	crediderim
40	2	uta	ita ut
41	27	verum adhuc levis	verum haud levis
—	29	a Plinianis	de Plinianis
42	1	manuscripti	manuscriptas
45	14	abierit	abiret
47	34	Indicato	Iudicato
—	30	piscatoribus	piscationibus
58	18	tacca di Goro	sacca di Goro
59	33	Portus Cellarii	Portus Cellerarii
60	17	Valcis	Vallis
62	19	Martino dictam	s. Martino dicatam
66	26	Valvensis	Valvensis, sive potius Belunensis

ERRA-

		ERRATA	CORRIGE
80	9	quas	quos
—	23	erat	erant
83	18	pinerum	pinetum
86	27	ſuperat	ſupereſt
95	*in notis*	ad annum 1047.	ad annum 1097.
97	4	Atſeſin	Atteſin
100	28	fuerit	fuerint
105	21	in perpetuum	dele voculam *in*
108	18	eſſectos	affectos
134	23	ſors ipſi incerta	verum iam cubant revera Tabulae in Archiepiſcopali Ravennae archivo.
140	19	reciperet	reciperent
145	23	examinatiſque	exanimatiſque
178	22	cenſebat	cenſebant
181	31	quodſi mox	quod ii mox
182	31	quid & *regale*	quum & *regale*
188	3	attilimus	attulimus
—	32	qualemcumque	qualecumque
191	21	Pompoſianis	ab Pompoſianis
197	6	diplomatibus	diplomaticis
—	30	fixit	finxit
198	3	delamatorio	declamatorio
—	4	detractandum	detrectandum
199	7	Ughellio	Ughellii
204	4	oſtendent	oſtentent
206	11	patte	parte
208	5	non ſolum rata aliis	non ſolum rata ſint aliis
212	2	aliſque	aliiſque
258	12	miſcellanis	miſcellaneis
260	18	in quo	de quo
278	22	referentes	referens
279	24	medicis	modici
—	27	habitus	habitum
—	33	quam	quem
282	9	intellexerint	intellexerit
283	28	elegit	elegerit
291	14	praeterea	praetereo
318	6	certe	certa
319	33	poſſionem	poſſeſſionem
323	27	ſed ab unis	ſed non ab unis
336	31	atque	aeque
342	20	tum	tunc
349	5	pride	pridie
352	18	Bagnacallo	Bagnacavallo
391	5	exſtabat	exſtabant
—	32	gratae	gratiae

INDEX
CHRONOLOGICUS MONUMENTORUM
Quae in primo volumine continentur.

Anno 874. 4. kalen. febr.	I.	*FRagmentum epistolae Iohannis VIII. Romani Pontificis ad Ludovicum II. Imperatorem.* Pag. 399
896. 8. septembris.	II.	*Donatio bonorum facta ab Ingelrada comitissa Petro diacono Ravennati filio suo.* ibid.
932. 18. aprilis.	III.	*Libellus emphyteuticus ab Honesto Abbate ss. Iohannis, & Barbatiani Ravennae.* 400
939. 4. octobris.	IV.	*Libellus emphyteuticus Paulli Episcopi Liviensis, & Abbatis s. Mariae in xenodochio Ravennae.* 401
953. 15. octobris.	V.	*Libellus emphyteuticus Honesti laudati Abbatis ss.* Iohannis, *& Barbatiani Ravennae.* 403
957. 20. martii.	VI.	*Libellus emphyteuticus factus ab Abbate Iohanne s. Zachariae Ravennae.* 404
957. 9. aprilis.	VII.	*Libellus emphyteuticus eiusdem Iohannis Abbatis s. Zachariae, & s. Ioh. Baptistae Ravennae.* 406
957. 15. iunii.	VIII.	*Libellus emphyteuticus Honesti Abbatis ss. Iohannis, & Barbatiani Ravennae.* 408
963. 1. decembris.	IX.	*Venditio mansionis Comacli facta á Gregorio Stancario presbytero fideicommissario Dominici Pettorussolo.* 410
970.	X.	*Commutatio bonorum inter Petrum Archiepiscopum Ravennae, & Georgium Abbatem s. Stephani iunioris de Ravenna.* 412
972. 11. septembris.	XI.	*Libellus emphyteuticus Sergii Abbatis s. Mariae in xenodochio Ravennae,* 414
976. 15. novembris.	XII.	*Libellus emphyteuticus Gerardi Abbatis s. Mariae in xenodochio Ravennae.* 416
978. 30. maii.	XIII.	*Libellus emphyteuticus Georgii Abbatis s. Stephani iunioris Ravennae datus a Constantino diacono Ravennati.* 417
